LUDOVICI AUGUSTI WÜRFFEL ... IURISPRUDENTIA CIUILIS...

Ludwig August Wurffel, ...

LVDOVICI AVGVSTI WÜRFFEL

OLIM LL. AA. AC PHIL. D. IVRISQVE IN SVPREMO
S. R. I. CAMERALI IVDICIO PRACTICI

IVRISPRVDENTIA
CIVILIS
DEFINITIVA

EXHIBENS

DEFINITIONES

IN

IVRIS CIVILIS COMPLEXV OBVIAS

AD

NORMAM LOGICAE FORMATAS.

EDITIO NOVA

AVCTIOR ET EMENDATIOR

RECENSVIT

ET

BREVIBVS ADNOTATIONIBVS

AVXIT

IO. HENR. CHRIST. DE SELCHOW

I. V. D. ET P. P. O. ET ADSESSOR FACVLT. IVRID. GOETTING.

FRANCOFVRTI AD MOENVM

IMPENSIS ANDREAEIS

MDCCLXVIII.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

IO. HENR. CHRIST. DE SELCHOW.

Cum in recudenda *Iurisprudentia definitiua Würfeliana* meam qualemcumque operam deſiderauerit Bibliopola honeſtiſſimus: a fine, quem auctor in conſcribendo hoc libello ſibi olim propoſuit, aberrare dubitaui. Scilicet cum omne opuſculum in vtilitatem praeſertim Iuſtinianeorum nouorum compilatum fuerit: omnem aut

(*) erudi-

eruditionis oſtentationem, aut lectionis varietatem ab eo alienam eſſe intellexi; praeſertim cum eius, cuius ſumtibus exſcribitur libellus, intereſſet, pretium et formam libri haud multum immutari. Quae quum ita ſint, hoc vnum mihi relictum eſſe ſenſi, vt definitiones, ſi quas legibus haud ſatis reſpondere, aut certe non adeo concinnas eſſe intelligerem, ſub examen eae vocarentur, aut faciliori ſaltem orationis forma procedere iuberentur. Qua in re vtrum lectoribus, quales huic libello contingere poſſint, ſatisfecerim, meum non eſt, iudicare. Adieci ſimul, multis certe in locis, aliquam, ſed parcam tamen, optimorum auctorum notitiam, vt qui definitionem auctoris, aut meam adeo, curatius rimari velint, habeant, quos in teſtimonium vocare queant; quibus rationibus inductus, mea quoque Elementa iuris Germanici priuati et Antiquitatum iuris Romani publici ac priuati ſaepius adlegaui,

non

non quod meis qualibuscumque conatibus impensius faueam, sed quia ampliorem ibi optimorum scriptorum recensum inuenient, qui haec studia amant.

De instituto auctoris vt multis edisseram, haud necessarium puto. Fuit certe in eo magnum ingenii acumen, scientia iuris haud spernenda, eaque, quae quidquid profecerat, ad vsum fori fere vnice referret, licet antiquitatis Romanae et elegantiorum litterarum non omnino rudis esse intelligatur. Stilus tamen haud paullum incomtus, sed qualis eo tempore, quo in academiis versatus est auctor, viris doctis in deliciis fuit, qui vna dictionis barbarie, et tantum non squalore, ad Philosophorum gloriam se eniti posse opinabantur. Parum tamen, credo, hoc dicendi genus lectoribus officiet; praesertim cum, quae desunt stili veneres, rerum certe grauitate et vbertate abunde compen-

 sentur,

ſentur, et multum condonandum ſit auctori, qui Apollinem vitricum et nouercantes Muſas nactus, et, fato, neſcio, an ingenio ſuo parens? ſtatam fortunarum ſuarum ſedem, dum vixit, nullibi collocauit. Certe libelli huius ea dos eſt, vt qui diligenti eius lectioni ſe adſignare velint, eos multum inde proficere poſſe, mihi perſuaſiſſimum ſit. Ita vale, amice lector, mihique faue. Dabam Goettingae, menſe Martio CIↃ IↃ CCLXVII.

APOL-

APOLLINI
VITRICO
CVM
NOVERCANTIBVS
MVSIS.

COMMENTATIO
PRAELIMINARIS,

SISTENS

VERVM AD SOLIDAM IVRIS SCIENTIAM

PERVENIENDI MODVM.

§. I.

Qui ſolida rerum diuinarum humanarumque ſcientia imbui, iuraque olim factis hominum decenter applicare percupit, is ad optatam nunquam pertinget metam, ni ordinem, ipſa natura duce, ſeruauerit, abiectoque obſcurarum notionum praeiudiciorumque iugo, diſtinctas obuenientium rerum ſibi formauerit ideas. Id autem felicius alia ratione fieri nequit, quam ſi ab iis, quae facillima ſunt, ſineque quibus difficiliora intelligi nequeunt, ordiatur, progreſſurus quotidie ad altiora, poſtquam firmatus ſatisque inſtructus fuerit.

§. II.

Abſit! haec dum in chartam coniicio, vt Veteranis in tritura forenſi conſilium mutandi ordinis, ſi ita dicere fas eſt, in ſua, quam profitentur, arte, ſuppeditare, vel cogitauerim ſaltim. Non enim neſcius ſum, me ſurdo narraturum fabulam. Inueteratos mores tollere difficile ita eſt, quam inueteratum malum penitus eradicare. Nec eſt, quod inuideamus ſeculi noſtri Bartolis, aeuique huius Burchardis, quod eierata quandoque ratione, Brocardicis ac praeiudiciis delectentur; ſed nec et eos nobis inuidere oportet, quod rationem aperte ſequamur.

§. III.

Scribimus impraeſentiarum illis, quibus ingenium mite, flexile, itaque moderatum eſt, vt ad propriam felicitatem non rapi, ſed duci percupiant; ſcribimus non ſilicerniis aut emeritis Themidis ſacerdotibus, ſed tironibus, qui eius ſacris initiari volunt; ſcribimus denique nec iis, qui non, niſi alios docere, ſed iis, qui diſcere deſiderant.

§. IIII.

Atque his finis, quem ſibi quilibet Themidis caſtra ſequuturus proponere debet,

venit attendendus. Is autem alius esse nequit, quam quod ius suum cuique tribuatur. Iuri igitur operam daturus, aut ipse olim iura factis applicabit, aut alios idem facere docebit.

§. V.

Vtrumque vero vt rite fiat, distincta iuris & facti cognitione opus est. Factum cognoscimus, quoties distincte et secundum veritatem referente altero, in quolibet obueniente casu idipsum percipimus. Ad iuris vero cognitionem hoc compendio peruenire non licet. Non semestribus enim spatiis, sed pluribus opus est ad hoc, vt decenter fiat.

§. VI.

Ea autem studia, quae Iurisprudentiam non tam exornant, sed necessario antecedunt, sunt Philologia, Philosophia atque Mathesis. De singulis breuissimis dicendum, ne Iliada post tot Homeros canamus (*).

(*) De studiis, quae Iurisprudentiam adiuuant atque exornant, egregie singulari Dissertatione commentatus est Consl. Dn. Manzel, Varniacae decus.

§. VII.

Philologia vel est Latina vel Graeca. Ita ad nostrum scopum distinguimus, neque

ceteras curamus linguas. Ebraica namque ac Syriaca facile carere poterit ICtus; nec est, quod metuat se iure poedriae excidere in vita aeterna (a), nec, qui Vlpiano imputantur, Hebraismi (b), tanti aestimandi sunt, vt tempus discendae Ebraicae linguae impendamus insigne.

(a) Hoc argumento inter alia vtuntur ad euincendam praerogatiuam Theologorum prae ICtis post hanc vitam. Vid. OLEARIVS von dem Vorzug derer Gottesgelehrten vor denen Rechtsgelehrten, im ewigen Leben. Jena 1747.

(b) Vid. B. Dn. HEINECCIVS *de Hebraismis Vlpiani.*

§. VIII.

Quanto facilius igitur ICtus aliis linguis carere potest, tanto minus Latinae linguae studio supersedebit. Ipsum namque, idque vastum iuris Romani volumen non solum Latina lingua consignatum est, sed et optimi scriptores, idem qui interpretati sunt, et qui ad eius intellectum faciunt, eodem vsi sunt idiomate. Nec sufficere sibi putauerit quis, ita didicisse Latinam linguam, vt vltra verba non sapiat; sed temperandus ad elegantiam praeterea stilus. Non enim legere quotidie, sed scribere quandoque ICtum oportet. His, qui causas in Supremis Imperii Tribunalibus defendunt, commendanda erit elegans scribendi ratio, quando Leodien-

diensium, Stabulensium ac Tridentinorum litigia iisdem exponunt, hoc enim Latio sermone fiat necesse est.

§. VIIII.

Nouellas Graeca lingua scriptas esse, vel tironibus patet. Easdem leges esse, in vulgus notum est. Ni igitur pro nucleo corticem obtrudi sibi velit quis, fontes ipsos consulere debet. De Basilicis verba impraesentiarum non faciam.

§. X.

Nec ICtum pigebit laboris, in rimanda antiqua lingua Germanica impensi, iuri Germanico explicando ita necessaria, vt Carolvs IIII. Imp. in *A. B. cap. fin.* §. 2. sanxerit, Principes Imperii linguae Slauicae studere debere.

§. XI.

Ante omnia vero vernaculae nostrae perpoliendae tempus aliquod dicandum esse, censerem. Opprobrium namque est Tullium latine loquendo citare, patrium vero idioma non callere. Censuram omnino merentur Germani, quod, ad cornicis apud Phaedrum exemplum, alienis plumis exornari,

nari, quam natiua perfectione conſpici malint. Potiſſimum vero horride ita dicunt ac ſcribunt pragmatici noſtri, vt non cum politiſſimis noſtri ſeculi hominibus, ſed, ſi non cum Euandri matre, cum Celtiberis certe commercium iis eſſe videatur.

§. XII.

Altera Philologiae claſſis abſoluitur hiſtoria. Ea autem eſt cognitio rerum in orbe geſtarum, proindeque ad Iurisprudentiam neceſſaria ac vtilis. Aperit nimirum fontes, ex quibus leges manarunt, indicat circumſtantias, quae, dum condebantur hae, aderant, explicat mores populorum, e quibus leges aut conſuetudines fuerint deriuatae. Hinc opus eſt, vt iuri operam daturus conſulat hiſtoricos cuiuscunque claſſis. Ad ius Romanum quod attinet, huic illuſtrando apprime inſeruiunt LIVIVS, SVETONIVS, VELLEIVS PATERCVLVS, VALERIVS MAXIMVS, TACITVS, LAMPRIDIVS, cet. Mores Romanorum, in quantum iuri explicando inſeruiunt, ſcriptis ſuis recenſuere CICERO, e Comicis vero TERENTIVS atque PLAVTVS, aliique. Dici non poteſt, quanta vtilitas ex lectione horum auctorum in ſtudioſum iuris redundet. Hiſtorici autem minima potiſſimum negligunt, quorum rationem

nem Comici habent, atque ita factum, vt, quod alias aeterna obliuione sepultum iacuisset, eius nunc distinctam habeamus cognitionem. Germanicum ius, siue publicum, siue priuatum, absque historia omnino non intelligitur.

§. XIII.

Philosophia Iurisprudentiae facem praefert, in tenebris alias ambulaturae. Logica namque filum illud Ariadnaeum est, cuius ope ex obscurarum notionum labyrintho ad regnum distinctarum notionum progredi licet. Ea autem format obuenientium rerum notiones distinctas atque completas, componit iudicia, terminos adhibere congruos, ratiocinari ex propositionibus distincte perceptis, interpretari easdem, sensumque earum semel traditum aduersus oppositiones defendere docet.

§. XIIII.

Mathesis nonnisi Logica practica est, hinc et eius vsus patet.

§. XV.

Ius naturae ciuilis iuris fons ac basis est, docente IMPERATORE §. 4. *I. de iust. ac iur.* Hoc autem supponit, praeter Philosophiam practi-

practicam vniuersalem, Physicam, Theologiam naturalem, Cosmologiam, Psychologiam, hae vero Ontologiam. E. harum omnium notitia destitui ICtus non debet.

§. XVI.

Haec autem praecipua studia sunt, quae Iurisprudentia supponit. Iam breuissimis disseram de modo ac ratione ea addiscendi. Equidem Cons. Dn. MANZELIVS, in elegantissimo suo Discursu: **Von Einrichtung derer politischen Studien**, huic rei quidem laudabilem impendit operam, neque dubito fore, vt ad hunc modum formatus, ICtus euadat maximus. Permittet tamen Vir hic celeberrimus, vt et meam qualemcunque symbolam conferam.

§. XVII.

Is igitur, qui Themidis olim oracula erit interpretaturus, iusque factis applicaturus, ante omnia stili, tam Latini, quam Germanici, elegantiam sibi habeat commendatam, quo habilis fiat in vtroque idiomate animi sui sensa ita exprimendi, vt cum voluptate ab aliis legatur ac audiatur. Ad hoc vt perueniat, auctores §. XII. allegati non solum vtilem operam ipsi praestabunt, sed duplici vsui ei praeterea erunt. Ex iis namque

que & reipublicae Romanae ſtatus, et res forenſes Romanorum diſcere poterit. Tvllivs enim et cauſas in foro orauit, et magiſtratum geſſit. Subleuabit hoc negotium lectio hiſtoriae antiquitatumque compendiaria, Cellario aut Schazio duce. Heineccii enim liber altioris indaginis eſt, captumque tironis ſuperans.

§. XVIII.

Iam ad diffuſiora ſcripta hiſtorica fiat progreſſus; praecipue ad hiſtoriam S. R. I. aliarumque cum hoc connexarum terrarum. Ita vero in hiſtoricis verſandum erit ei, vt non cum vulgo memoriam factis obruat, ſed pragmatice addiſcat hiſtoriam, i. e. ita, vt in moralitatem, conſectaria, vſum et applicationem cuiuscunque facti inquirat. Hiſtoria enim non niſi doctrina moralis exemplaris eſſe debet. In Germanica hiſtoria potiſſimum ad id attendat, quicquid in iure publico, priuato, aut praxi, Supremorum maxime Imperii Tribunalium, vſui olim eſſe poterit.

§. XVIIII.

Succedat Philoſophiae ſtudium. Ad quam pedem promoturus primo circumſpiciat compendium, idque breuiſſimum, quale eſt Formeya-

meyanum; dein per singulas disciplinas ordine eat. Prima earum Logica est, omniumque vtilissima. In hac pertractanda ita versetur, vt, theoria cuiuscunque capitis absoluta, praxin instituat eorum, quae didicit. V. g. Superato capite de notionibus, a quo illud de vsu terminorum non erat separandum, ipse formet sibi ideas distinctas, completas, adaequatas etc. easdemque ad regulas, quas didicit, reuocet. Dein, postquam vlterius in hoc stadio processit, construat definitiones nominales, reales, descriptiones etc. In terminos porro inquirat, diiudicet propositiones, syllogismos componat, alios soluat, itemque problemata ac sophismata. Demonstret theoremata proposita. Diiudicet experientiam. Propositiones, periodos simplices, compositos, scriptaque minora interpretetur, applicet ea, quae interpretatus est, aduersariam thesin impugnet, ipseque suam defendat. Hac, non alia ratione ad solidam scientiam aditus ipsi erit patefactus.

§. XX.

Absoluta Logica pergendum quidem ad reliquas disciplinas, Metaphysicam, Physicam et Moralem doctrinam. Sed etiam Mathesin putauerim his iungendam. Saltim

putam:

puram. In hac namque Logicae praxis recurrit. Equidem in ea haeresi non sum, vt defenderem, ICtum peritissimum ac absolutissimum Architectum aut Astronomum debere esse, neque in lineis aut circulis occultam aliquam qualitatem ius suum cuique tribuendi quaesiuerim; sed eum saltim in finem Matheseos scientiam requiro, vt cogitare distincte, cogitata vero ordine proponere, & denique ratiocinari discat exacte. Methodus namque, quae vocatur mathematica, ad veritatem inueniendam, inuentamque probandam vtilissima vti est, ita hoc commodum secum fert, vt, si eo procedamus cogitandi ordine, raro fallamur.

§. XXI.

Sed, numne praestabit hac ratione, vt omnia in Iurisprudentia hac methodo proponamus? Fateor, difficile hoc problema solui, ita saltim, ne cuidam suppeditetur indignandi cacoëthes. Sunt, qui eo procedunt, vt ordini mathematicorum, vel potius Logicorum modum cogitandi, iurati adeo existant hostes, vt cum vulgo delirare, quam cum Philosophis sapere malint. Sunt, qui censuram aut rogum metuunt, sibique proinde ab hac Scylla cauent. Sunt, qui per deuia loca vagari, quam compendio vti malunt.

malunt. Sunt denique, qui coufusis notionibus ita delectantur, vt eos, qui distincte cogitant, mente vix compotes habeant.

§. XXII.

Sed dantur et alii, ab his in totum dissidentes, quibus nihil laudabile videtur, nisi quod ad Geometricam normam relatum, eidem ex amussi respondet. Vagatur hic demonstrandi pruritus per omnia scientiarum non solum, sed artium quoque genera, ita quidem, vt nihil exceptum putauerint, quod absque mathematicorum lima perpolitum satis sit. Dicendi canendique artes ne quidem exemtae, parumque abest, quin communes confabulationes aliter, quam per axiomata ac theoremata adornent. Sed imitatorum seruum pecus! Ipsi plerumque demonstrationum vim neo capiunt, nec quidem ipsas propositiones Logicas intelligunt, similesque mihi videntur parochis, qui sermonem sacrum orthodoxum tum demum putant, si ad morem Lutheri nec pluribus nec paucioribus tribus partibus constiterit iste. Ipse aliquando morbo hoc laboraui, vt nihil ad palatum esset, nisi quod Geometrice euictum appareret. Sed tum temporis non nisi confusam methodi demonstratiuae habebam ideam. Ceperat me adeo eiusdem imago,

vt

vt non, nisi ea sola, placeret. Perspiciebam quidem eam conuictionis aliquid secum ferre, qua aliae destituerentur; veritas autem inuenta delectat, ita hac ratione omnes quaerebam veritates. Mancipaueram me Iurisprudentiae, absolutis, vt videbatur, elegantioribus, philosophicis ac mathematicis studiis, atque iam in eo eram, vt prima iuris elementa, secundum ordinem Institutionum, proponi mihi paterer. Sed displicebat Imperatoris methodus, ipseque, adhuc tiro, ad modum B. HEINECCII meditabar nouam planeque demonstratiuam. Legebam eristica, de methodi demonstratiuae in Iurisprudentia vsu et non vsu, scripta, atque Iouem iurassem lapidem et minutissimas Romani Iuris subtilitates ad certitudinem mathematicam reduci posse. Periculum huius facturus, ad §. 3. *I. de libertinis* commentaturus, manumissionem quocunque loco ac tempore, etiam Praetore in balneum vel theatrum eunte, fuisse validam, Geometrico rigore euincere studebam. Absolutum opus elegantissimum ornabat Q. E. D. ipseque in sinu gaudebam de superato feliciter labore. Antequam vero prelo committerem partum meum, cum Viro quodam, in orbe litterato maxime conspicuo, deque emendata Iurisprudentia meritissimo, eum communicabam, rogans eumdem, vt, quid sibi de hoc meo

opuſculo videretur, candide exponeret. Reſponſione ſua humaniſſima Vir iſte celeberrimus ſtudium meum quidem laudabat, ſed ſuaſor mihi ſimul erat, vt Geometriae ſtudium adhuc magis excolerem, ſpondebatque futurum, vt diſtinctius cogitarem, accuratiusque, quam quidem factum hac vice, ratiocinarer. Perſpecturum me quoque tum, Geometras non axiomatibus aut theorematibus ſolum delectari, ſed realitatis aliquid ineſſe his, quae inuerecunda prodigalitate in vulgus non ſpargenda. Ipſe mihi non videbar Suffenus, ſed, conſilium fautoris optimi ambabus arripiens manibus, ſcholis mathematicorum ſedulo intereram, demumque experiebar, eum vera dixiſſe.

§. XXIII.

Atque hac ratione propria experientia inueni hanc veritatem: Vtramque partem fallere, tam eam, quae in defectu, quam eam, quae in exceſſu quoad methodi mathematicae applicationem peccat. Methodus haec demonſtratiua non niſi philoſophica, naturalis, rationique conueniens eſt, operatur conuictionem plenariam atque certitudinem. Igitur quis perfectionis ſuae exiſteret oſor adeo, vt, vbi conuictionem habere poſſet, in probabilitate acquieſceret,

vbi

vbi ſolida imbui cognitione occaſio adeſſet, ſuperficiaria contentus foret, ordinem vbi poſſet ſequi, confuſione delectaretur. Iurisprudentia ciuilis ex iure naturae maximam partem manauit (§. XV.); hoc Philoſophiae pars, eadem vero ſcientia rationis eſt, E. Iurisprudentia ciuilis, quatenus ex iure naturae, hoc vero ex ratione conceptibile eſt, certitudine ſua non deſtituitur, ordineque philoſophico proponi cum fructu poterit & debebit. Porro in iis doctrinis, in quibus Romanis certa ac conſtans fuit theoria, idem optime procedit. In aliis vero, in quibus inconſtans vſus, variumque ius, v. g. ſucceſſionibus etc. fruſtra allaborabis eo, vt ad certitudinem mathematicam dogmata reuoces. Ratio decidendi in obueniente caſu lex eſt; lex vero eſt propoſitio imperantis voluntatem continens, E. verba continet aliena; haec interpretanda erunt ab eo, qui eadem in vſum conuertere vult. Ex interpretatione autem oritur cognitio ſaltim probabilis. Porro, ſi in legis cuiusdam rationem ſufficientem inquiſiueris, ea non ſemper patet; probabilitati itaque ſolum locus erit; aut patet quidem, ſed hiſtorica vtplurimum eſt, v. g. cur ſeptem teſtes in teſtamento ſolemni adeſſe debeant? cur actus continuitas requiratur? Denique compilatum ius Romanum eſt ex ſcriptis ICtorum diuerſorum

opinionum, omnibus vero legum vis indita; hinc contradictiones saepissime oriuntur, quae vix artificio tolluntur, ad mathematicam consonantiam vero nunquam redigentur.

§. XXIIII.

Absoluta Mathesi pura, eamdem denuo repetat, quo facto ad applicatam se accingat, simulque in philosophico studio alacriter pergat. Prae caeteris disciplinis vero Iuri naturae sociali ac gentium addiscendo strenuam operam nauet. Etenim, qui ius naturae non firmiter ac cum ratione tenet, is nunquam ad solidam iuris ciuilis scientiam perueniet. Nec vnica lectio sufficit, sed repetita eiusdem cultura. In hoc enim omne situm est pondus. Ita autem in hoc stadio currendum erit iuris studioso, vt omnes propositiones, naturali ordine dispositas, e fontibus suis deriuet ex Philosophia practica vniuersali, Theologia naturali, Cosmologia, Psychologia, Ontologia etc. demonstret, inque demonstrando Logicae praecepta ob oculos habeat. Earum vero propositionum prae aliis rationem habeat, quibus nititur ius ciuile; hunc in finem ad manus habebit B. Dn. HEINECCII, ac V. C. SCHIERSCHMIDII Institutiones iuris naturalis. LVDOVICI Doctrina iuris naturae, iuridice considerata, exigui erit vsus.

§. XXV.

§. XXV.

In iuris naturalis ſtudio firmatus ſatis, ad ipſum ius ciuile progredi poterit. Solemne quidem eſt, vt, praemiſſa hiſtoria iuris, incipiamus ab Inſtitutis, progrediamur ad Digeſta, et ab his ad reliquas iuris partes; ſed, ſi dicendum, quod res eſt, hic ordo mihi tantum non omnino placet. Labor namque primo diuiditur atque augetur, quum vna fidelia plures dealbare poſſimus parietes. Praeſtat igitur iura, ſaltim Romana, vno intuitu repraeſentare, ad quod tabellae optime conducunt, atque ſummatim exponere, quae Inſtituta, Digeſta, Codex ac Nouellae continent. Sed ſyſtematico, eoque abſoluto opere in hoc genere adhuc deſtituimur. Iurisprudentia quidem STRVVII vnicum fuit refugium iis, qui Digeſtis ſuperſedere voluere; ſed eadem valde inſufficiens eſt, nec completa praeterea, nec bene digeſta. MENCKENII quidem additiones ſua non defraudandae ſunt laude, ſed extra nexum collectae atque propoſitae. Non pigebit Cel. TOPPII Tabellas cum maiori opere ſub titulo: **Unterricht von denen in Teutſchland üblichen Rechten,** in vſum ſuum adhibere. Premitur et alio incommodo methodus ad ordinem Inſtitutionum et Digeſtorum procedendi. Confuſio nempe materiarum ad cer-

tum ordinem difficile redigenda. Institutis quidem facilius medela adferri poterit, quam Digestis.

§. XXVI.

Quemcunque vero elegeris ordinem, ita tamen tibi versandum in eo erit, vt primum historicam materiae substratae considerationem instituas, dein principia generaliora quaeras, e quibus veritates magis determinatae deriuari possint. Dein in singulis, siue principiis, siue conclusionibus, ita verseris, vt rite propositionem interpreteris; interpretationem tuam veram esse legibus comprobes, rationem veritatis siue decisionis inuestiges, ea inuenta ad analogiam, quam dicunt iuris, conferas, vsum denique et praxin hodiernam requiras. Ita, non alia ratione, euades ICtus solida scientia instructus. Verum, quis me hoc docebit? regeres forsan. Dolendum, hoc ordine non procedi ab omnibus Doctoribus. Sed hinc illae in foro lacrymae.

§. XXVII.

Ita in iuris ciuilis Romani theoria firmato ad praxin aduolare non statim licet, sed aliis vt imbuatur studiis adhuc opus est. Equidem his, quibus terminus vitae academicae sesquiennis, aut ad summum biennis fatalis, fami-

familiare est, superato HOPPII Examine, aut STRVVII Iurisprudentia in formam casualis Iurisprudentiae resoluta, ad praxin confugere, et, vt Collegia practica sibi aperiantur, didactro postulare et impetrare plerumque; dein manus dirimendis vetularum aut ruricolarum litigiis infelici plerumque successu miscere. Verum non est quod sequamur abusum, satius quum nobis sit, cum ratione sapere.

§. XXVIII.

Iuris Romani complexus multa continet, quae circa delicta sunt disposita, quorum tamen insignem partem nec moderna praxis respuit, aliam tamen aut Ordinatio criminalis Carolina abrogauit, aut in desuetudinem venit. Inde, absoluto iure ciuili, ad criminalem Iurisprudentiam pergendum putauerim. Caueat vero sibi quis ab hoc, ne in hoc studio empyriam captet, memoriamque suam non intelligibilibus propositionibus oneret in spem futurae obliuionis, sed singula ex fontibus suis, s. dogmatica, s. historica principia eadem sint, deriuet. Hoc vt fiat, optime sibi consulet, si Ill. BOEHMERI Iurisprud. criminalem sequatur, atque ad eam Ordinationem criminalem cum reliquis legibus conferat.

 §. XXVIIII.

§. XXVIIII.

Accingat se iam ad ius priuatum Germanicum. Hoc enim potissimum Iurisprudentiae encyclopaediae caput est. Si enim teste QVINTO MVCIO apud POMPONIVM in *L. 2. §. 43. D. de orig. iur.* a Romanis turpe habitum Patricio et nobili, et causas oranti, ius, in quo versaretur, ignorare; certe Germanis nostris honos ex neglecto patrii iuris studio oriri nequit. Ius illud patrium iis pragmaticorum nostrorum, qui non nisi formulas ad Romanorum morem decantare didicerunt, quibus Germanicum ius in feritate magis ac barbarie antiquorum residere visum fuit, lapis semper fuit offensionis; sed hi luduntur notionibus deceptricibus. Sua cuilibet regioni indoles, sua cuilibet reipublicae constitutio, suum proinde vnicuique ius peculiare sit, necesse est. Neque enim satis scio, quinam maioris dementiae accusandi sint, veteresne Romani, a Graecis, anne Germani, ab illis iura sibi praescribi efflagitantes. Sed felicius nobis ex aliquo tempore affulsit sidus, postquam B. Dn. HEINECCIVS, Perill. Dn. DE SENCKENBERG, ac Perill. Dn. DE WESTPHALEN potissimam in exornando restituendoque iure Germanico collocarunt curam. Ius autem Germanicum qui discere vult, historiam calleat, antiquosque maiorum nostrorum

ſtrorum mores, neceſſe eſt. Illa namque facem huic praefert lucemque accendit, cuius ope, quae ſubinde contigerunt mutationes iurium, optime poterunt animaduerti. Neque plane antiquis chartis ſuperſedere poterit iuri Germanico ſtudens, e quibus quippe plerumque iuris noſtri idea hauritur adaequata. Speculum dein et Saxonicum et Sueuicum aliorum eorumdemque prouincialium iurium fontes exiſtunt, proindeque diligenter conferenda. Compendiaria via tiro, duce B. Dn. HEINECCIO aut Cel. ENGAVIO, ibit.

§. XXX.

Praecipuam vero operam impendat excolendo iuri priuato perſonarum illuſtrium, olim ſibi, maxime in praxi Summorum Imperii Tribunalium, profuturo. GRIEBNERVS viam monſtrabit.

§. XXXI.

Abſoluto iure ciuili quocunque, ſequatur ius canonicum et eccleſiaſticum, id quod viam ad ius publicum et praxin forenſem ſternit optime. Foeneratur autem idem multum luminis ex hiſtoria eccleſiaſtica, maxime vero proximorum poſt Chriſtum natum ſeculorum. Dolendum vero eſt, Proteſtantes adhuc curata iuris canonici notitia deſtitui,

 quum,

quum, quae ad interpretandos canones spectant, maxime traditiones cum aliis moribus ac ritibus, iis non satis cognitae sint atque perspectae. Praestaret igitur omnino primo praecepta iuris canonici ad ductum auctoris Catholici addiscere, dein vero ius ecclesiasticum Protestantium praeeunte Perill. BOEHMERO huic superaddere. Ita feliciori successu interpretatio et applicatio iuris canonici ad casus obuenientes institueretur olim.

§. XXXII.

Tandem deueniendum ad ius publicum et feudale. Ius publicum S. R. I. intelligo, quod in decidendis controuersiis Statuum Imperii omne fert punctum. Caueat vero sibi quis ab eo, ne partium studio abripiatur, alterutrique parti tribuat, alteri vero interuertat nimium. Sed vix erit, vt hoc contingere possit.

§. XXXIII.

Ius feudale, non Longobardicum solum, sed et potissimum Germanicum, idque ita erit addiscendum, vt controuersiis, circa feuda Imperii tam maiora, quam minora motis, decidendis sufficiat. Inde est, quod ius publicum praemittendum iuri feudali voluerim.

§.XXXIIII.

§. XXXIIII.

Ita demum praxi se dabit. Quod dum fecerit, vtetur viri in praxi versatissimi, non alicuius academici solum Doctoris manuductione.

§. XXXV.

Atque ita per omnem Iurisprudentiae partem ita eundem erit, vt rationem potissimum legum inuestigemus, ne in applicando errare contingat. Id, quum negligere soleant plerique, hinc illae in foro lacrymae. Omnem autem malorum Lernam in eo detegisse mihi videor, quod notionibus plerumque deceptricibus, obscuris, confusis, ambiguis, aut ad summum claris contenti, distinctos ad completos negligere soleant conceptus. Dici non potest, quanta definitionum, quae veritatum principia prima sunt, in arte nostra aequi ac boni (ita enim cum CELSO vocanda hoc rerum statu, et vix poterit Iurisprudentia,) existat confusio, quantaque notionum monstra e pulpitis Doctorum saepe prodeant, quae commentarios potius aut iurium deductiones, solutionesue problematum interdum vocaueris non immerito. Idem hoc Iurisprudentiae, ad veterem morem concinnatae, idque naturale vitium est, vt vix dabile sit vitiosae definitionis exemplum, quod non liceat

liceat inuenire in legibus aut ſcriptis Doctorum. Agnouere hoc ipſum limatioris iudicii Iureconſulti, atque medelam huic malo adferri cupiuere. Inter reliquos et poſt fata celeberrimus B. Dn. HEINECCIVS inter eos, qui inſtaurandae Philoſophiae manus admouere, principe loco poſitus eſt. Eo quum in Ill. Fridericiana degenti familiariter vti contingeret, iuraque ac Philoſophiam cum mathematicis ſtudiis pro viribus excolerem, conſilium mihi ſuppeditabat, vt Iurisprudentiam definitiuam, ea, qua olim V. C. BAVMEISTERVS Philoſophiam definitiuam tradiderat, methodo, concinnarem, atque ita eos, qui cultiori Iurisprudentiae addiſcendae ſe accingerent, ſubleuarem. Placuit hoc viri ſummi conſilium, manusque operi admoui, de cuius conditione pauca praefari licebit.

§. XXXVI.

Eſt autem definitio oratio continens notionem rei diſtinctam atque completam. Diſtinctam vero notionem habere dicimur, quando notas rei, ſ. characteres, ordine recenſere poſſumus, ita, vt et alter eius ſibi formare poſſit ideam. Definiturus igitur caueat, 1) ne principem aliquem characterem omittat, 2) ne accidentale pro charactere habeat, 3) ne alium pro alio repraeſentet,

4) ne

4) ne terminis vtatur obſcuris, ambiguis, inanibus, reciprocis, impropriisque.

§. XXXVII.

Character autem, ſeu nota characteriſtica dicitur id, quod rei conſtanter ineſt, quoque ab alio dignoſcitur. Ad hoc vero, vt notio euadat diſtincta, opus eſt, vt recenſeantur characteres, et quidem quo plures, eo magis diſtincta fit notio.

§. XXXVIII.

Accidens dicitur, quicquid in eſſentia rei rationem ſufficientem non habet. Igitur, qui accidentale aliquod allegat, non allegat characterem; ſed indicat aliquid, quod rei non conſtanter ineſt, adeoque non definit, ſed deſcribit.

§. XXXVIIII.

Qui aliud pro alio repraeſentat, decipit; E. notio, alium characterem pro alio obuertens, deceptrix eſt.

§. XL.

Qui terminis obſcuris vtitur, is intelligibilis non eſt; E. finem non obtinet, qui erat is, vt alteri formaretur notio diſtincta rei

cuius-

cuiusdam. Obſcuritas vero potiſſimum euitatur, ſi terminos adhibeamus vulgares, planos ac intelligibiles, abſtineamus ab inconſuetis ac tropicis dictionibus.

§. XLI.

Sed nec diſtincta ſolum ſit definitio, ſed et completa notio. Completa autem eſt, quae ab omnibus, quibuscum ſimile aliquid habet, ſemper, omnique caſu diſcerni poteſt.

§. XLII.

Exempla vitioſarum definitionum larga manu in notis, opuſculi huius §. §. ſubiectis, ſuppeditabo.

§. XLIII.

Sunt autem definitiones vel nominales vel reales. Illae terminum, hae rei poſſibilitatem declarant.

§. XLIIII.

Nominalis definitio formatur per attentionem, reflexionem et abſtractionem. Attendendum namque eſt nominalem definitionem formaturo ad ſingula in re aliqua obuenientia, pergendumque reflectendo per omnes partes, diſtinguenda ea, quae rei conſtanter inſunt,

insunt, ab eis, quae sunt mutabilia, haec negligenda, illa notanda. Sic abstrahendo formabit notionem distinctam ac completam, quam si verbis expresserit, habebit definitionem nominalem. Sic inueniet mancipium dici 1) seruum 2) in dominio alicuius existentem.

§. XLV.

In condenda definitione genetica duo veniunt attendenda, 1) vt notas characteristicas, prout in nominali definitione factum, eruamus, 2) inquiramus, quantum quaelibet earum ad esse rei conferat. Hoc modo v. g. definitio erroris inuenitur. Ad hoc enim, vt oriatur error, opus est, 1) vt adsit propositio aliqua, eaque 2) sit falsa, h. e. repugnet cogitatio rei, 3) reperiatur, qui huic falsae propositioni assensum praebeat, h. e. eam pro vera habeat. Error itaque oritur ex adsensu propositioni falsae dato.

§. XLVI.

Ita, non alia ratione, procedendum erit in construendis definitionibus iuris. Fatendum quidem est, characteres rerum, quae ad Iurisprudentiae obiectum pertinent, plerumque ita occultos esse, vt erui vix possint; sed

laudan-

laudandum erit ſtudium indefeſſaque iuris cultoris opera. Definiendus autem ſi occurrit terminus aliquis, ſolicite circumſpiciendum, quonam ſignificatu adhibitus fuerit idem a ICtis, et cuiusnam eorum ſignificatus maxime receptus ſit. Sed hîc confuſioni nec modus nec finis erit. Exemplo eſſe poteſt vocabulum iuris, actionis etc. Detecto vero vocis ſignificatu ad characteres inueniendos pergendum erit, hac quidem ratione, vt notentur omnia et ſingula, quae rei, cui reſpondet terminus, attribuuntur, perſpiciatur, vtrum rei conſtanter inſint, an minus, ſi prius, exprimantur, ſin poſterius, negligantur. V. g. Ad depoſitum miſerabile requirit VLPIANVS *L. 1. D. depoſ.* 1) quod tumultus, naufragii, incendii, ruinae cauſa ſit depoſitum, 2) quod dolus depoſitarii concurrat, et 3) duplum eius reſtituatur. Ex his datis formanda depoſiti miſerabilis definitio nominalis. Et quidem recenſitos primo loco characteres, mouentis rationis depoſiti miſerabilis exempla eſſe perſpicies. Porro videbis eumdem VLPIANVM §. 3. *c. L.* periculum et §. 4. neceſſitatem deponendi inter characteres miſerabilis depoſiti allegare, omnes vero in eo conuenire, quod metus amiſſionis rei praeſentiſſimus adſit. E. hic character depoſito miſerabili conſtanter ineſt. Atque hac ratione vides 2) nec dolum recte inter

inter characteres eiusdem allegari. Manet namque depositum metu depositum miserabile, etiamsi depositarii dolus non concurrat, idemque restituatur. Cessante dolo 3) cessat dupli restitutio. E. nec hic character deposito huic constanter inest. Formanda igitur depositi miserabilis definitio ita, vt dicatur depositum, ob metum amissionis praesentissimum.

§. XLVII.

In definiendis contractibus actionibusque ad formulas erit confugiendum, eas nempe, quibus vsi olim fuere Romani. His enim totum absoluebatur negotium. Sed, nec harum omnes supersunt. Inde est, quod actionum et contractuum, Romanis vsitatorum, non satis distinctas interdum habeamus notiones.

§. XLVIII.

Geneticam definitionem traditurus, nominalem, si qua adest, supponat. Hac enim ratione characteres habebit cognitos, tantumque perspiciendum erit, quantum quilibet eorum ad esse rei conferat. Si cognita non est nominalis definitio, ex supra dictis formanda. V. g. Rem iudicatam qui defi-

nire vult, notet 1) eam ſupponere iudicem competentem, 2) eius ſententiam, 3) huic litigantes nihil obmouiſſe, 4) hoc vero dici conſenſum tacitum. Ex his conſtruat definitionem, atque dicat: Ex tacita litigantium approbatione oriri rem iudicatam.

§. XLVIIII.

Vtrum ipſe in hac opella ita fuerim verſatus, gratiamue aliquam inierim, apud Te B. L. iudicium eſto. Si defuerint vires, laudanda ad minimum erit voluntas. Subleuare volui eorum, qui iuris principiis primum imbui volunt, operam, inque horum gratiam diſtinctos ac completos obuenientium rerum formare tentaui conceptus. Ita autem in hoc opere verſatus ſum, vt primo accuratam ſecundum regulas logicas formarem definitionem, eam in ſubiecta huic nota declararem, explicarem, illuſtrarem exemplis perſpicuis ac vulgatiſſimis; dein aliorum, ſi quae aderant, ad eam conferrem definitiones, maxime vero attenderem ad legales atque oſtenderem, in quantum cum noſtra conuenirent, in quantum vero ab ea abhorrerent eaedem, et, quaenam eis iure obuertenda eſſent, allegarem, denique vero dubia aliqua mouerem, eaque ſoluerem pro viribus. Atque ita, nec iniucundam nec inuti-

inutilem tironibus operam meam futuram, mihi saltim persuasi.

§. L.

Sequutus sum ordinem Digestorum; non, quod ignorauerim tirones, in quorum gratiam scripsi, Instituta praemittere Digestis, sed vt ea, quae in Institutionibus omissa sunt, v. g. doctrinam de iuramentis, caput de vsuris etc. simul exhiberem, dein vero et iis, qui in Digestis versantur, vsui essem alicui. Neque dupondiis vt hoc ipsum displiceret, adieci repertorium definitionum secundum ordinem Institutionum.

§. LI.

Ipsam tractationem vero quod concernit, circa eam duo praecipue veniunt annotanda. 1) Quod in definitionibus actionum explicandis prolixus non fuerim. Inutilem enim hanc operam putaui, postquam Perill. Dn. BOEHMERVS absolutissimum opus de Actionibus nobiscum communicauit. Circa actiones Romanorum rarior praeterea est Philosophia, frequentior iurisprudentia formularia. 2) Quod definitiones criminum omiserim, cuius rationem suo loco reddidi. Igitur, si haec qualiscunque opella Tibi

B. L. non omnino displicebit, in posterum, et quanto per ea, quae me circumstant, negotia, citius fieri poterit, Iurisprudentiam criminalem, ecclesiasticam, publicam, feudalem definitiuam, eadem methodo conscriptam singulam, scriniis meis excidere patiar. Interim vale, nolique succensere mihi, si quid erit, quod acu non tetigerim, aut plane fuerim hallucinatus in aliquo. Meliora docentem lubentissime sequar. Vale. Scribebam Wezlariae, Calend. Iulii MDCCXLVII.

I. N. D.

IVRISPRVDENTIA DEFINITIVA.

§. I.

Habitus alteri tribuendi id, quod eidem tribui leges vel pacta volebant, IVSTITIA (*) et IVSTVS, qui habitu eiusmodi gaudet, dicitur. Lib. I. T. I. *Iustitia.*

(*) Habitus legi conuenienter viuendi, *Virtus est.* *Virtus.* huius autem species Iustitia, id potissimum, quod proximo debetur, respiciens; Leges vero aut sunt naturales, aut ciuiles, hinc et *naturalis* et *ciuilis* datur Iustitia. Generalem hunc Iustitiae significatum iam olim tradidit ARISTOTELES *Ethic. Lib. V. c. 1.* EAM *obseruantiam omnium virtutum erga alios* appellans, et quidem curate satis, vt opinor. Qui enim alteri exhibet id, quod exhiberi eidem leges iubebant, is *suum cuique tribuit;* inde est, quod tam TVLLIVS *de Inuent. Lib. 2.* quam TRYPHONIVS ICtus *in L. 31. D. Depo.* atque VLPIANVS *L. 10. D. de iust. ac iure* Iustitiam in eo se exserere, vt suum cuique tribuatur, confiteantur. W. Concinnius adhuc dixeris: IVSTITIAM esse conuenientiam actionum nostrarum cum legibus et pactis.

Conuenit cum hac nostra definitione ea, quam Perill. S. R. I. L. B. de WOLF *theol. nat P. I* §. 1061. mutuatam a B. LEIBNITIO, exhibet, IVSTITIAM, *bonitatem, secun-*

dum ſapientiae leges adminiſtratam, vocans, quam mirifice mihi placuiſſe ſemper, diſſimulare non poſſum, eam, quum omnibus numeris completam, foecundam ſatis et vſui loquendi apprime conuenientem, obſeruauerim. Siccine eum v.g. qui pecuniam, a latrone Caio apud ſe depoſitam, Titio, vero domino reddit, iuſte agere dicimus? Dicit et ipſa *L.* 31. §. 1. *De Depoſ.* At quare? Exhibet huic bonitatem et quidem ſapienter, ſc. vt finis legum per eam obtineatur, diſpenſatam. *Bonitas* autem eſt promptitudo bonum h. e. quod ſtatum alicuius perfectiorem facit, alicui impertiendi; *Sapientia* vero ſcientia connectendi fines et media. Ex oppoſito, crudeliſſimum qui ſe gerit, aut conniuere qui conſueuit, nonne iniuſte agere dicimus vtrumque? Illi enim bonitas, huic ſapientia deficit. Neque minus, qui condignas de ſonte poenas ſumit, iuſte agit; exhibet namque bonitatem, dum ſi non capitalis poena, delinquentem, ſi capitalis ea, alios emendare, atque a vitiis auertere ſtudet; exercet eam pariter ſapienti exequutione, finis namque legum eſt, vt ſalus reipublicae, i. e. tranquillitas ſeruetur firmeturque; Haec vero omnia quum determinet ius, liquet, quare Cel. TOPPIVS in denen in Teutſchland üblichen Rechten *p.* 20. Wolfianae definitioni addat vocabulum: *iuris.*

Bonitas. *Sapientia.*

Sed quid de Vlpianea Iuſtitiae definitione ſentiendum erit? Ita autem ille *L.* 10. *D. de Iuſt. ac iur. Iuſtitia eſt conſtans ac perpetua voluntas ſuum cuique tribuendi.* Equidem ALCIATVS *L. I. parerg. c.* 1. hanc omnibus aliis anteferendam definitionibus cenſet, & Perill. L. B. de WOLF *Hor. ſubſec. Marburg. An.* 1729. *p.* 126. eamdem, cum ſua iuſtitiae definitione per omnia conuenire, demonſtrauit. Mihi, ſi dicendum quod res eſt, videtur VLPIANVS neutiquam iuſtitiam virtutem omnibus hominibus communem, ſed eam, quae ICto propria eſt, hic definire; ICto enim convenit conſtans propoſitum, ſuum cuique tribuendi, idem et eſt iuriſprudentiae obiectum. Confirmare hanc noſtram opinionem videtur idem VLPIANVS *L. I. D. eod. tit.* ſcribens: *Iuri operam daturum prius noſſe oportet, unde nomen iuris deſcendat. Eſt autem a Iuſtitia appellatum, nam (vt eleganter* CELSVS *definit) ius eſt ars aequi et boni. Cuius merito quis nos ſacerdotes appellet; Iuſtitiam namque colimus, et aequi ac boni notitiam profitemur, aequum*

ab

ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes; bonos non solum metu poenarum, verum etiam praemiorum quoque exhortatione efficere cupientes. Ceterum Stoica haec VLPIANI definitio est, cui sectae ICti Romani addicti maximam partem fuere. Iustitiam virtutem esse nemo facile negaverit; VIRTVTEM vero Stoici *constantem et perpetuam vitae rationem* dixere, vid. CICERO *de Leg. L. 1. c. 17.* ARISTOTELES *ad Nicomach. V. 1.* GELLIVS *Noct. Attic. Lib. XVII. c. 1. in f.:* hinc iustitia vocata constans et perpetua voluntas. Differentiam specificam Iustitiae ICtus in eo ponit, quod *suum cuique tribuendum sit.* Ita fere apud PLATONEM *de Republ. Lib. I. init.* vbi Socrates ad Polemarchum: *Quid ais Simonidem dicentem, recte loqui de iustitia?* Hic respondet: *Quod id, quod vnicuique debetur, reddere iustum sit.* Atque ita Stoica haec iustitiae definitio expedita esset, nisi alia circa eamdem enodanda restaret controuersia; scilicet, sunt qui in cit. *L. 10. D. de iust. ac iur.* loco vocabuli *tribuendi, tribuens* legere malunt cum MENAGIO *Amoenit. iur. ciu. c. IIII p. m. 28.* suos laudante Auctores CICERONEM *de finibus Lib. V. de offic. L. 1. et ad Herennium L. II.* ALCVINVM *in arte rhetor.* quibus addi potest THEOPHILVS *Inst. h. l.* Situm aliquid esse in huius controuersae lectionis compositione: voluntas sola, anne actualitas quaedam ad id, vt iustus quis dici possit, requiratur, videtur. Vtut vero dissimulare non possim coniecturam BIGOTIO-MENAGIANAM, vnde sc. factum existimet, quod voci *tribuens* antiquae lectioni, substituta sit noua *tribuendi*, elegantissimum esse, atque ad ARISTOTELIS *Ethic. V. 1.* opinionem, proxime accedere, qui iustitiam definit per *habitum, ex quo homines ad res iustas agendas efficiuntur idonei, et ex quo agunt iusta voluntque;* retinendam tamen antiquam lectionem putauerim. Voluntate enim constante ac perpetua ius suum cuique tribuendi, qui gaudet, habitu simul gaudebit iuste agendi, proindeque iustus erit. Habitus enim appetendi et volendi hoc vel illud, contrarii exercitium difficulter admittet. Sed voluntas tamen dependet ab intellectu ab eiusque cognitione determinatur, hinc fieri potest, vt, qui constanti voluntate iuste agendi praeditus erat, in indiuiduo casu, ex defectu cognitionis, aut errore, putans iustum esse, quod agit, contrarium perpetret. Sed an hic vel alter indiuiduus casus difformis obstabit, quo minus iustus dici poterit ceterum qui fuit eritque

 talis?

talis? Non poterit. Vna vel altera virtuosi actio pro vitio habenda non erit, ad hoc enim contrarius requiritur habitus, qui continuo exercitio serieque actuum conformium demum acquiritur. Qui VLPIANI definitionem iustitiam ciuium, (non ICti) respicere autumant, ipsi confiteri coacti sunt, eam sibi non sufficere, sed alia adhuc, quae, vti haec personarum, ita illa actionum iustarum naturam describat, opus esse. Hinc PVFENDORFIVS *de Iur. nat. et gent. L. I. c. 7. §. 8.* duplicem iustitiam definit, personarum sc., quam tradiderat VLPIANVS, & actionum, quam *conformitatem actionum cum legibus*, dixit. W. Videtur VLPIANVS vnice *iustitiam internam* respexisse, quae tamen ad regna Philosophorum, vel, si mauis, Theologorum potius ableganda est, cum in subselliis iudicum de externa tantum actionum nostrarum cum legibus vel pactis conuenientia solliciti esse possimus. GE. CHR. GEBAVERI Diss. *de iustitia et iure §. 4.* vide tamen FRANC. CAR. CONRADI Diss. *de iustitia interna a fine Iurisprudentiae haud separanda.* Helmst. 1744. Neque mouent, quae in contrariam partem disputauit DOMIN. BRICHER. COLVMBVS de *iustitia et iure, s. scrutinium Vlpiani ICti, non vapulantis in definitione iustitiae et iurisprudentiae ad L. 10. et tit. Inst. de iust. et iure* Lips. 1739. S.

Aliorum iustitiae definitiones praetereo, ne charta plus iusto oneretur, illam tantum HIERACIS, qua eam *exactionem poenae ab iis, qui alios laesere* vocauit, vid. GROTIVS *de iur. belli ac pac. L. II. c. 20. §. 1.* allegaturus, quippe quae PVFENDORFIVM induxit, vt *vindicatiuam*, iustitiae peculiarem speciem, statueret.

Denique detegendus erit error eorum, qui sibi persuadent, iustitiam, non virtutem, sed Deam aliquam, ab VLPIANO in *c. l.* 10. definiri, imbecillitatem humanam, constantis praedicatum non admittere rati; sunt in ea haeresi HOTOMANNVS *in Comment. de optim. iur. interpret.* ACCVRSIVS *ad L. 1. §. 1. de iust. ac iur.* VVLTEIVS *h.* et SALVAGHIVS *recit. solemn. de Orig. ethnic.* ap. Cel. OTTONEM *Thes. iur. I. col. 19.* prouocantes ad HESIODVM *Oper. ac die* ℣. 254. *sq.* SENECAM *Octauio Act. II.* ℣. 397. DEMOSTHENEM *in Aristogitone I.* GELLIVM *Noct. attic. Lib. XVI. c. 6.* in quibus omnibus eis nihil praesidii esse euincit COLVMBVS *Diss. de iust. ac iur. Sect. I. §. 11. sq.* W.

De

De cetero ad vniuersum *de iustitia et iure* locum conferri praecipuo loco meretur CONSTANT. LANDI liber sing. ad tit. Dig. de iustit. et iure; in EVERARDI OTTONIS *Thesauro iur. Rom. T. III. p. 1305. sqq.* S.

§. II.

Habitus alteri tribuendi id, quod ipsi iure perfecto (a) debetur, IVSTITIA EXPLETRIX (b); Habitus vero in alterum id conferendi, quod ex iure imperfecto s. humanitatis ipsi tribuendum erat, IVSTITIA ATTRIBVTRIX vocatur (c). *Iustitia explerix et attributrix.*

(a) *Ius perfectum* est, quod oritur ex obligatione perfecta, externa, s. cum coactione coniuncta; *Ius imperfectum* vero supponit obligationem imperfectam coactione destitutam. Distinctius mentem meam explicabo: Obligationem in nobis oriri ex connexione motiuorum cum actionibus nostris liberis, quilibet largietur; motiva vero haec, ad actionem aliquam suscipiendam vel omittendam, aut ex ipsa actionis perpetrandae bonitate vel turpitudine desumta, nobis repraesentantur, v.g. vt egenti eleemosynas erogemus, in periculo versanti auxilio simus, ad id enim nos impellit status alterius miserrimus a nobis perficiendus; aut tertium aliquod nec cum actione suscipienda, nec cum obiecto perficiendo immediate connexum, veluti *lex superioris, pactum*, motiuis ex ipsa actionis natura petitis, accedit; Priori casu *imperfecta* dicitur nostra ad effectui dandum quid *obligatio*, *imperfectumque* eius correlatum *ius*; posteriori casu *obligatio perfecta* et ei respondens *ius perfectum*. Etenim, non sufficiunt motiua ex ipsa actionis bonae natura desumta, haec enim omnibus hominibus sunt aequalia, ac saepe fallacia, ideo necesse fuit, vt ea magis determinarentur accedente superioris vel duorum specifica voluntate. Igitur, qui alterum perficit, quoniam ad id, vt eum perficeret ex innato principio erat obligatus, *ius* eidem tribuit *imperfectum*; nam obligati ad idem erant omnes reliqui homines; Qui vero alteri aliquid tribuit, quod tribui eidem oportebat lege vel pacto iubente, *ius perfectum* in eum exercet, et vt exerceat, ad id compelli poterit. *Ius perfectum et imperfectum.* *Obligatio perfecta et imperfecta.*

 (b) EX-

(b) EXPLERE idem haud raro significat quod pensare, tantumdem reponere, cuius elegans testimonium suppeditat IVSTINVS *Hist. Rom. L. V. c. 4.* scribens: *Deos illis gratulantes obuiam tulere, quorum exsecrationibus erat deuotus, et cui paulo ante omnem humanam opem interdixerant, eum si queunt, in coelo posuisse cupiunt.* EXPLENT *contumelias honoribus, detrimenta muneribus, exsecrationes precibus.* Inde est, quod ea iustitiae species, quam exercendo officio nostro satisfacimus, atque id omni ex parte explemus, expletrix appelletur. vid. TESSMARVS *ad Grotium de iur. bell. ac pac. L. I. cap. 1. §. 8.* Attributricis iustitiae etymologia in propatulo est, neminique, vt opinor, difficilis.

(c) Haec iustitiae distinctio in expletricem & attributricem GROTIVM l. c. habet auctorem inque ipso iure naturae fundamen inuenit suum. Eius de vtilitate in foro si dubitaueris, eam te docebit ICtus PAVLVS *in L. 17. §. 3. D. Commod.* qui verbis: *Sicut autem officii magis ac voluntatis, quam necessitatis est, commodare,* differentiam vnius ab altera aperto digito monstrat. Ea enim, quae officii, et voluntatis esse dicit ICtus, *iustitiam attributricem,* quae vero necessitatis, *expletricem,* constituunt. Videamus vtriusque exempla: Qui mutuo sumsit C. a Caio, ea huic reddens iustitiam exercet. (§. 1. *coll. not. ec.*) At qualem? Mutuum est datio rei fungibilis in genere restituendae, eius obligatio, si ius naturae spectes, ex pacto, si ius ciuile, ex contractu oritur, necessitasque imponitur mutuatario soluendi, quod debet; soluens E. iustitiam exercet expletricem. Cessans enim soluere ad id compelli potest. Ex opposito Titius, qui a Sempronio donum accepit, eo iam aeris indigente, ex propriis bonis tantum in eum conferens, quantum erat, quo indigebat alter, bonum ei largitur sapienter applicatum, ideoque iuste agit, ad hoc vero faciendum nullo, neque naturali, neque ciuili iure compelli poterat; E. iustitia haec attributrix erat. Hunc casum, prout eum retuli, proponit VLPIANVS *in L. 25. §. 11. D. de hered. pet.*

Omnem hanc distinctionem impugnat V. C. PAGENSTECHERVS *in admonit. P. 1. c. 6.* sed ob vocabulorum incommodum significatum, non ob aliam, eamdemque sufficientem rationem, W. Rectius tamen et haec distinctio regnis Pholosophorum, in quibus auctor se

saepius,

saepius iactat, relinquenda. Cum enim in foro vnice id, quod leges & pacta velint, respicere soleamus, nec aliam iustitiam, quam quae legibus pactisque respondeat, quaeramus; sequitur, *vnam tantum esse, quam leges praescribunt, iustitiam*, scilicet, quam GROTIVS vocat, *expetricem*; quae enim *attributrix* vulgo vocatur, non iustitia proprie est, si leges spectaueris, sed CIVILITAS forte melius cum pragmaticis ICtis vocanda; de qua SAM. STRYKIVS in Diss. *de ciuilitate nociua et proficua* Francof. 1684 et 1685. exposuit. S.

§. III.

Habitum alteri omne id, quod leges volebant, praestandi, IVSTITIAM VNIVERSALEM, abstinentiam vero ab iniusta lucri cupiditate, IVSTITIAM PARTICVLAREM dicunt (*). *Iustitia vniuersalis; particularis.*

(*) Suppeditanda fuit haec iustitiae distinctio, ne frustra in hoc compendio quaeratur, sed exhibenda simul fuit ita, vt menti auctoris sui esset conformis. ARISTOTELES is est, qui *Ethic. Lib. V. cap.* 1. illam iustitiae speciem, dicit: *Ἀρετὴν τελείαν πρὸς ἕτερον, obseruantiam omnium virtutum erga alios*, et paulo post eamdem *ὅλην τὴν ἀρετὴν omnem virtutem.* Inde est, quod ea ab vniuersali iustitiae notione, quippe quae semper respicit alios, (vid. Perill. S. R. I. L. B. de WOLF *Phil. pract. vniu. P. I. §.* 241.) non differat, id quod olim docuit paraphrastes ARISTOTELIS ab HEINSIO editus, *p.m.* 157. iustitiam vero particularem restringere tantum *τὴν πλεονεξίαν*, h. e. *cupiditatem plus habendi quam par est*, voluit cit. Auct. Non igitur Philosophi menti conuenit interpretatio D. WLOEMEN *in Diss. qua nouam de iustitia vniuersali et particulari opinionem, secundum mentem Aristotelis*, proferre voluit, qui §. XV. particularem iustitiam dixit *virtutem, quae ius suum alteri tribuit in particulari*, h. e. indiuiduis hominum, vt colligo ex §. IIII., quo ipso tamen nihil dixisse mihi quidem videtur. Ita ARISTOTELES & qui eum sequuntur. Mihi tota distinctio displicet, qui in genus et speciem distinguere non didici. Conf. B. HEINECCIVS Patronus dum viueret

neret summus, *in Elem. iur. ciu. sec. ord. Digest. §. 6.* et Ill. Dom. GEBAVERVS *ICtus in acad. Gotting. primarius, Patronus ac Praeceptor prolixo cultu venerandus in Diss. de iust. actur. §. 5.* W. Ex sententia ARISTOTELIS complexus omnium virtutum, quatenus vtilitas inde ad remp. redundat, vocatur *iustitia vniuersalis.* Hinc eam vocat obseruantiam omnium legum ac virtutum ERGA ALIOS, quo ipso tamen officia erga nos ipsos excluduntur; qua de causa alii eam nominant obedientiam erga omnes leges voluntati diuinae morali conformes, vide e. g. PETR. MVLLERVM *ad Struuium* . . *p. 18. sq.* Proprie tamen loquendo *non datur iustitia, sed virtus vniuersalis*; praesertim cum omnem virtutum familiam ad iustitiam referre possimus; licet veteres, ARISTOTELEM sequuti, aliquam inter virtutes cognationem esse statuerint; quem in modum IVSTINIANVS in Nou. XCIX. pr. ait. *vnamquamque aliarum virtutum, nisi subsequantur iustitiae bona, fiet nihil horum, quae competunt itaque nec fortitudinem, quae non est cum iustitia, laudabimus.* S.

§. IIII.

Iustitia commutatiua; distributiua.

Habitus tribuendi alteri id, quod tribui omnibus iubebant leges, IVSTITIA COMMVTATIVA (a); Habitus vero tribuendi alteri id, quod tribui eidem peculiaris eiusdem postulat conditio, IVSTITIA DISTRIBVTIVA (b) dicitur (c)

(a) COMMVTATIVAM hanc iustitiam dixere, quod vocabulum *συνάλλαγμα* adhibitum ab ARISTOTELE *Ethic. Lib. V. c. 5.* huius distinctionis iterum auctore, per *vltro citroque obligationem* vertere consueuerant ICti. vid. *L. 19. D. de V. S.* Sed inuita admodum Minerua. ARISTOTELES enim *συναλλάγματα* c. l. in *ἑκούσια* et *ἀκούσια* *voluntaria* et *inuoluntaria* distinguens, alteram eorum bilateralibus negotiis tantum vindicat, alteram vero *emendatricis* elogio magis venire cum Ill. Dn. GEBAVERO *cit. Diss. §.* . plane defenderem. Potiorem huius notionis characterem in eo deprehendo, quod in administranda ea obiecta censeantur aequalia, omnis-

omnisque proinde perſonarum reſpectus exulet, atque ſic ſ. Caius mutuo det, ſ. Titius, aequale ius vtrique ex contractu naſcatur. Hinc eſt quod arithmeticam proportionem, i. e. exactiſſimam et minutiſſima quaeuis obſeruantem, huic vindicent, ipſeque ARISTOTELES eam, *aequalitatem numero aequalem*, *Ethic. Lib. V. cap.* 10. *aequalitatem ſecundum quantitatem*, *Ethic. Lib. VIII. cap. 9. pr.* et *aequalitatem rei*, *Politic. Lib. III. cap. 9.* appellet.

(b) Ita enim ARISTOTELES *Ethicor. Lib. V. c.* 5. ſcribit: *Iuſtitiae particularis, iuſtique ad eam pertinentis altera ſpecies eſt, quae in diſtributionibus verſatur, vel honoris, vel opum, vel aliarum rerum, quae eadem ciuitate iunctis diſtribuenda ſunt.* Vides hic notionem ſimul et commodam nominis rationem. Dicitur autem *diſtributiua* iuſtitia, quod varia inter varios diſtribuat, ſingulisque, quae meruerant, addicat iuſtus. Dabo huius exemplum: Caius, Sempronius & Titius ſocietatem ineunt, illo 1000. illo 500. hoc 100. florenos conferente, Elapſo anno lucrum, deductis ſorte ac impenſis aequat 500. florenos, iuſtitiaeque reſpondet, vt quilibet ſorti ſuae proportionatam accipiat lucri partem, ſicque Caius 312. flor. 30. crucig. Sempronius 156. flor. 15. crucig. Titius denique 31. flor. 15. crucig. recipiant. Sed quid ſi Caius ter, Sempronius quater ſocietatis cauſa peregre profecti fuerint, quid ſi Titius commercium litterarum frequentius ſociis aluerit, an haec in computationem venient? Neutiquam. Geometrica ineſt huic negotio proportio minutiſſima non attendens. Hanc iuſtitiae ſpeciem intelligit ARRIANVS *Diſſ. Epict. L. III. cap.* 17. ſcribens: *Ea naturae lex eſt, meliorem, in quo melior ſit, meliore conditione eſſe illo, qui ſit deterior.* Quae eadem huic iuſtitiae ex Matth. XX. ẏ. 13. obuertit HOLBESIVS *de Ciue cap. IIII. §. 6.* iis iamdudum reſpondit PVFENDORF. *de iur. nat. et gent. Lib. I. cap. 7. §. 9.* Alia dubia ſoluit WLOEMEN *cit. Diſſ.*

(c) Ita huius diſtinctionis notiones conſtituendas duxi. PVFENDORFIVS c. l. potiorem harum characterem in natura contractus ciuium inter ſe, vel cum ſocietate, quaerit. GROTIVS *de iur. bell. ac pac. Lib. I. cap. 1. §. 8.* diſtinctionem §. praeced. a me ſuppeditatam pro norma huius aſſumit. Alii eamdem plane reiiciunt, neſcii omnino, ad quamnam harum iuſtitiae ſpecierum ſpectet

 poena-

poenarum impositio. WESEMBECIVS *ad Tit. D. de iust. ac iur. n. 11.* et VINNIVS *ad Tit. eund.* eam ad distributricem; HAHNIVS *ad Wesembecium l. c.* et STRVVIVS *Iurispr. for. R. G. Tit. eod. §. 8.* ad attributricem illam refert. PVFENDORF. *L. I. Def. 2. §. 4.* tertiam eamque peculiarem speciem constituit, quam *vindicatiuam* appellat. Inutilis omnis disceptatio videtur, habetur enim & non habetur in criminalibus personarum respectus pro diversitate subiecti et obiecti. W. Cf. LEYSER *sp. 1. m. 5. et sp. 58. m. 2.* vbi de adplicatione proportionis geometricae ad materiem stuprorum exponit; quocum conferri etiam merentur, quae HENR. COCCEIVS *de proportionibus* Heidelb. 1671. et IAC. AUG. FRANCKENSTEIN *de prosopolepsia in iure licita.* Lipf. 1728. differuerunt. S.

§. V.

Ius; Iustum.

IVS h. l. (a) significat complexum (b) legum homogenearum (c); & IVSTUM, quod legibus est conforme.

(a) *Iuris* vocabulum ambigui significatus esse, ipse PAVLVS *L. XIII. ad* Sabinum fatetur in *L. 11. D. de iust. ac iur.* Igitur iuuabit potiores indicare. I.) Itaque accipitur pro loco, in quo iustitia exercetur, idque quod cuilibet debetur, eidem tribuitur. *L. 4. §. 2. D. de interrog. in iure fac. t. t. D. de in ius voc.* et PLAVTVS *Menaechm. Act. IIII. Sc. 2. ℣. 19.* II.) denotat id, quod iustitia alicui tribuit. *L. 11. D. de iust. ac iur.* LIVIVS *Hist. Rom. Lib. 5. cap. 36. ius barbari postulare videbantur.* III.) sumitur pro facultate morali faciendi aliquid vel non faciendi v. g. ius lignandi, coquendi cereuisiam, de non euocando etc. IIII.) denotat scientiam, quam CELSVS *L. 1. D. de iust. ac iur.* per artem aequi et boni definit. V.) complexum legum, quod hic, innuit; ita PLAVTVS *Epid. Act. III. Sc. 4. ℣. 85. sq.*

- - - - - *qui omnium*
Legum atque IVRIVM *fictor, conditor cluet.* W. Cf. ad hunc locum GE. CH. GEBAVERI Diff. *de iustitia et iure §. 9.*

(b) Complexum legum ius dicere malui, quam legem, quod fecit GROTIVS *de iur. bell. ac pac. L. I. cap. 1. §. 9.* id definiens per *regulam actuum humanorum obligantem ad*

ad ill, quod rectum est. Equidem verum est, a iubendo deriuari ius, iuraque veteribus, ante APPII CLAVDII CENTVMMANI, auctoris Literae R, tempora, scripta fuisse IVSA, vid. FESTVS h. v. huicque respondere germanicam vocem Recht. WACHTER *Gloss. p.* 1251. sed vsus obtinuit. Ita complexum legum, quae de criminibus disponunt, *ius criminale*, complexum legum feuda respicientium, *ius feudale* dicimus.

(c) Hanc nisi addideris determinationem, chaos potius quam iuris species emerget. Si canones feudalibus placitis, ciuiles leges publicis miscueris, orietur quid, cui omnis repugnabit notio. Instabis: ius ciuile, fatente id Imperatore *§. f. 1. de inst. ac iur.* collectionem esse naturalis gentium et ciuilis iuris. Sed respondendum: Fontes allegare Imperatorem, vnde manarit ius ciuile, omnes vero leges, sint desumtae vndenam velint, disponere de τῷ suo subditorum ac priuatorum, sicque sibi esse homogeneas. Conf. B. HEINECCIVS *El. iur. sec. ord. Inst. §. XXXIII.* et PVFENDORFIVS *iur. nat. et gent. Lib. I. cap. 1. §. 20.*

§. VI.

Complexus legum, quae obligandi vim a Deo habent, IVS DIVINVM; complexus vero earum legum, quae vim obligandi a homine habent, IVS HVMANVM dicitur (*). *Ius diuinum; humanum.*

(*) Ius, quum in §. praeced. per complexum legum definitum, facili negotio perspicitur, in tot abire idem, quot legum suppetunt species. Omnes autem leges ratione originis, quum aut ex Decreto Dei, aut ex voluntate creature rationalis pendeant, haud inconcinne ius in diuinum et humanum distinxere veteres. Itaque ius naturae, quod a sapientissimo creatore cordibus hominum inscriptum, ius, quod Israëlitico populo a Deo per Mosen patefactum, sacra scriptura vtriusque foederis ad ius diuinum pertinent; Ius vero, quod princeps aut ciuitas quaedam ad sui conseruationem, vel in commodum subditorum constituit, humanum erit. W. *De valore legis Mosaicae hodierno* elegans est Diss. Io. AVG. HELLFELDII. Ien. 1755. S.

§. VII.

§. VII.

Ius naturae.

Complexus legum ex natura (a) conceptibilium IVS NATVRAE (b) est.

Natura.

(a) Per *naturam* hic intelligo essentiam et nexum existentium in orbe rerum: Quaecunque ergo ex modo compositionis corporum et ex vi spirituum concipiuntur, ea ex natura conceptibilia dicuntur. Declarabo rem tyronibus arduam exemplo perspicuo: Ponas problema: *Vtrum liceat sibi ipsi violentas inferre manus?* Estoque conditio problematis, nullum vnquam legislatorem ad id respexisse, concedendo aut prohibendo, anne nihilo minus soluere idipsum valebis? Animaduertes te esse obligatum ad te perficiendum, impediendasque imperfectiones quouis modo. Hoc animae tuae vis te docebit, & ex ipsa corporis tui structura, eiusque cum anima nexu colliges, atque experieris, per mortem illud destrui fierique imperfectius, quod enim ante quibusuis negotiis expediendis sufficiebat, idem nunc alio adminiculo indiget, quo loco moueatur, atque ita natura motiua tibi repraesentabit ad hoc, vt caueas tibi a propricidio, E. te obligabit.

Deus, quum sit naturae auctor, patet, diuini iuris speciem, ius naturae esse.

(b) Quam in *L. 1. §. 3. D. de iustit. et iur.* VLPIANVS nobis exhibet et IMPERATOR *pr. I. eod.* repetit definitionem, quod nempe sit *id, quod natura omnia animalia docuit,* Stoam redolet, vid. CASSIODORVS *L. 1. ep. 37.* Etenim ZENO Stoicorum parens, *naturae conuenienter viuendum esse*, docuit, Hanc propositionem, vti id plerumque accidere solet, duo eius discipuli CLEANTHES ac CHRYSIPPVS, vterque suo modo, diuerse tamen interpretati sunt, ille, dum naturam pro nexu vniuersi ac in eo existentium rerum acciperet, hic vero ad solum hominem restringeret eamdem. vid. DIOGENES LAERTIVS *in Vita Chrysippi et Cleanthis.* Inde factum, vt, qui vtrumque, at dubio pede, sequebantur Romanorum ICti philosophantes, his tricis extricandis impares, duplicem naturam finxerint, alteram communem, alteram vero hominibus propriam, duplexque simul in ea fundatum admiserint ius; illud iuris naturalis, hoc gentium iuris prin-

principium venditantes. Dantur actus hominum, quos *necessarios* vocamus, iisque cum brutis communes esse videmus, v. g. edere, bibere, mouere se, dormire, vid. KOEHLERVS *Exerc. iur. nat.* §. 181. dantur et alii illorum libertati relicti; omnes tamen ex natura conceptibiles; illi Romanorum, hi nostrum fundant ius naturae. Huc forsan respexit EMANVEL PALAEOLOGVS *educ. reg.* c. 36. scribens: *Bruta agere κατὰ λόγον rationi conuenienter, homines vero σὺν λόγῳ*, i. e. *cum ratione*. Quae alias celebrantur iuris naturae definitiones, ad nostram optime comparari possunt, quae enim passim vocantur insita, innata principia, cordibus inscripta, ea ex natura conceptibilia dixi. Sic v. g. CICERO *Rhet. II.* 22. 51. *Naturae ius*, scribit, *est quod nobis non opinio, sed quaedam innata vis affert*. Et ISIDORVS *Orig. V.* est *commune omnium nationum, eo, quod vbique instinctu naturae non constitutione aliqua habetur*, quam descriptionem GRATIANVS *Decreto* suo *can.* 7. *D.* 3. inseruit. W. Magna *differentia inter ius naturale veterum et nostrorum*. ICti *veteres* ius naturae dixerunt, quod natura omnia animalia docuit, de quo videnda GOTTL. KORTII Diss. *de iure, quod natura omnia animalia docuit*, Lips. 1727; quo nomine *omnes instinctus naturales, hominibus cum brutis communes* complexi sunt, qui tamen in brutis ius non constituunt, cum obligationis et rationis expertia sint. *L.* 1. *D. si quadrup.* Nostris autem ius naturale est complexus legum ex sana ratione colligendarum. vid. IO. IAC. SCHMAVSII *hist. iur. nat.* p. 28. *sqq.* LEYSER *sp.* 7. *m.* 3. IO. FRID. HOMBERGK *de veritate iuris naturae*. Marp. 1715. S.

§. VIII.

Quicquid iuri naturae respondet, AEQVVM dicitur (*). *Aequitas.*

(*) Aequitatis, sed latius acceptae, duas species constituit VLPIANVS *L.* 1. *D. de pact.* alteram *naturalem*, quam ex naturali ratione homini infixam dicit, alteram *ciuilem*, quae prudentia vsuque acquiritur. W. In iure tamen positiuo non agnoscimus aequitatem, nisi legibus ciuilibus agnitam. IO. PAVLL. KRESS *de aequitate*, Helmst. 1731. CAR. FERD. HOMMELII Diss. *pro summo iure contra aequitatis defensores*, Lips. 1752. S.

§. VIIII.

Ius Gentium.

Complexus legum, quibus liberorum populorum actiones determinantur, IVS GENTIVM audit (*).

(*) Imperator §. 1. *I. de iust. et iur.* ex tradita §. *praeced. not. b.* hypothesi, *ius gentium* dicit: *Quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, et apud omnes peraeque custoditur.* Hoc ipsum est, quod illi, qui Stoam sequuntur, *primarium* vocant, idemque a *secundario*, *quod* sc. *vsu exigente, et humanis necessitatibus constitutum*, distinguunt, vid. §. 2. *I. cit.* MODESTINVS *L. pen. D. de LL.* ius gentium dicit: *Quod necessitas constituit.* CICERO de LL. 1. idem definit per *rationem summam, insitam a natura, quae iubet ea, quae facienda sunt, prohibetque contraria*, quam definitionem, an philosophicam anne potius rhetoricam dicere conueniat, insignis inter duumuiros celeberrimos THOMASIVM et HVBERVM exstitit disceptatio. Prius defendit hic *in Digress. Lib. V. c. 5.* posterius ille *in Iurisprud. diuin. Lib. I. cap. 1. §. 28. sq.* Composita tandem in fauorem HVBERI vid. THOMASII *addit. ad huius Praef. P. I. p. m. 9.*

Tu hic notes: Romanorum ius gentium, quod dicunt primarium, idem esse, quod ius naturae dicimus; ius vero gentium secundarium ad ius gentium nostrum proxime accedere, re vero ipsa nil aliud esse ac ius naturae liberarum gentium actionibus applicatum. vid. Ill. Dn. ab ICHSTADT *iur. gent. praecogn. L. I. cap. 1. §. 10. sq.* Exemplis conficienda res erit. Ponas societatem, ciuitatem, gentem indigere aliqua re v. g. lana, frumento etc. aliam vero gentem abundare his omnibus; promittere hanc, se velle id, quo abundat, in alteram conferre, acceptare alteram; Pactum aderit gentis cum gente, quod seruandum ex lege naturae. Inde pacta et commercia gentium. Fingas porro gentem aliquam alteri genti possessionem prouinciae interuertere, aut in possessione quieta eamdem turbare; turbata E. cogere poterit turbantem, vt desinat turbare; hoc vero absque armata manu difficile fiet. Vides ideo ex principiis iuris naturae deducta bella. W. De diuisione ac definitione *iuris gentium primarii et secundarii* vide SAM. DE COCCEII *ius ciuile controu. T. I. p. 25. sq.* et IO. PAVLL.

KRESS

KRESS *de aequilibrio alioque legali iuris gentium arbitrio, in gentium controuersiis, pacis tuendae caussa proposito.* Helmst. 1748. S.

§. X.

IVS DIVINVM POSITIVVM dicitur complexus legum a Deo speciali reuelatione propositarum; quibus si vis inest obligandi omnes homines, VNIVERSALE; sin aliquos saltim, PARTICVLARE vocatur (*). *Ius diuinum positiuum; vniuersale; particulare.*

(*) S. itaque codex, quoad ea, quae omnium hominum salutem respiciunt, ad prius, quoad ea vero, quae ad cerimonias populo Iudaico obseruandas pertinent, ad posterius refertur. Quae iuris positiui vniuersalis nomine circumferuntur, leges antediluuianae, locum hic non, nisi declarato modo, inueniunt. W. *Ius diuinum positiuum vniuersale*, de quo dubitare, olim piaculi loco habebatur, maxima sui parte, inuictis argumentis proscripsit Io. ANDR. HANNESEN *de non existentia legum diuinarum positiuarum vniuersalium.* Goett. 1744. 8. S.

§. XI.

Complexus legum τὸ suum hominum in societate ciuili (a) existentium, respicientium, IVS PRIVATVM dicitur, s. CIVILE (b); nexum vero imperantis et subditorum respicientium, PVBLICVM (c). *Ius priuatum s. ciuile, publicum.*

(a) Societas, ex pluribus familiis sub communi regimine composita ad promouendam communem salutem, CIVILIS dicitur.

(b) Idem Imperator §. 2. *I. de iust. ac iur.* verbis: *Quod quisque populus* (populi enim ac ciuitatis nomen promiscue vsurpare Imperatorem, obseruat HVBERVS *Digress. Lib. I. cap. 13.*) *sibi proprium constituit*, et CICERO *in Topicis: Aequitatem constitutam iis, qui eiusdem ciuitatis sunt, ad res suas obtinendas*, ius ciuile vocat. VLPIANVS *L. 6. D. de iust. ac iur.* idem, *id, quod neque in totum a naturali vel gentium iure recedit, nec per omnia ei seruit*, dicens, pessimam calluit Logicam. Pro diuersitate ciuitatum varium

est

est ius ciuile, romanum puta, germanicum, anglicanum, saxonicum etc.

(c) Rectius dixeris: *complexum legum, formam ac regimen resp. eiusque relationem erga exteros definientium.* Conf. CHR. LVD. SCHEIDII Diss. *de iuris publici et priuati conuenientiis ac differentiis*, Hafn. 1744. Lips. 1748. De diuersa *iuris publici* apud Romanos significatione adeundae HVBERI *Digress. P. 2. Lib. I. c. 21.* S.

§. XII.

Promulgatio legis. Actus, quo voluntas superioris subditis declaratur, PROMVLGATIO LEGIS dicitur (*).

(*) Ita v. g. si lex in posterum valitura valuis portae, vel templi aut curiae affigitur, aut voce praeconis, per celebriora vrbis loca, aut ecclesiae ministri, in suggestu recitatur, promulgari eadem dicitur. Immo et naturales leges, quando anima nostra e nexu rerum vniuersi eas cognoscit, nobis promulgari haud incongrue dici, ex definitione hac patet. Anima enim veritatem aliquam eruendo agit, veritas autem ante incognita iam cognita ipsi fit. En vtilitatem huius de promulgatione definitionis.

§. XIII.

Ius scriptum; non scriptum. Ius promulgatum, SCRIPTVM, non promulgatum, NON SCRIPTVM dicitur (*).

(*) Ita notiones a communi loquendi vsu paululum recedentes constituunt ICti, secuti graecos scriptores, quibus γράφειν νόμους est promulgare leges. Sic LIBANIVS *Tom. I. p. 476.* refert Lycurgum leges scripsisse, quas tamen in scripturam redactas esse nunquam testis est PLVTARCHVS *in Lycurg. p. 47.* Lacedaemonii enim nullis omnino scriptis vtebantur legibus. vid. PLVTARCHVS *l. c.* CICERO *pro Flacco c. 26.* XENOPHON *de republ. Athen.* COCQVEVS *in not. ad Augustini ciuit. Dei Lib. II. Tit. 16. p. 208.* Athieniensibus contra scriptis pleraque mandantibus. vid. GELLIVS *Noct. Attic. Lib. XI. c. 12.* neque enim omnino mores exulasse ex eorum republica putandum erit. Docet contrarium FERRANDVS ADVENSIS *Explic. Lib. 1. in Thes. iur.* Cel. OTTONIS *Tom. II. col. 511.*

col. 511. et THVCYDIDES *in bello Peloponnes. Lib. II.* Natiuum vocum significatum sequitur IMPERATOR §. 9. *I. de iust. ac iur.* W. *Ius scriptum* in significatu grammatico est ius in litteras redactum; in sensu iuris autem dicitur ius publice promulgatum. IO. GOD. RICHTER *de moribus maiorum, tamquam antiquissimo iuris Rom. fonte.* Lips. 1744. CHR. LVD. CRELL *de origine et virtute iuris non scripti.* Vit. 1739. S.

§. XIIII.

Scientia practica; Iurisprudentia; ICtus.

SCIENTIA PRACTICA est habitus demonstrandi demonstrataque applicandi (a); Scientia practica iuris, IVRISPRVDENTIA (b) dicitur; & IVRISCONSVLTVS (c), qui habitu tali gaudet.

Scientia, Prudentia.

(a) *Scientia* est habitus asserta demonstrandi; *Prudentia* vero habitus sapienter decreta applicandi. Habes hic etymologiam vocis Iurisprudentiae, nodumque simul perplexum solutum. Nesciunt enim plurimi, vnde fiat, quod definitum iuris *prudentiae* per *scientiam* definiat IMPERATOR §. 1. *I. de iust. ac iur.*

(b) Ita non nuda, eaque historica legum cognitio sufficit ad iurisprudentiam, sed eiusmodi, quae nititur ratione, id quod declarat CELSVS *in L. 17. D. de LL. SCt. ac long. consuet.* scribens: *Scire leges, non est verba legum tenere, sed vim et potestatem.* Frequens alias solet esse definitio VLPIANI *in L. 1. regul.* quam ex eo affert IMPERATOR §. 1. *I. de iust. ac iur.* esse sc. IVRISPRVDENTIAM *rerum diuinarum humanarumque notitiam, iusti atque iniusti scientiam*, quae non multum a nostra, si debite explicetur, abhorret. KOESELISIVS saltim *in praec. iurispr. de iustit. ac iur.* rem acu non tetigit. Verba. *Diuinarum humanarumque rerum notitia* obscuritatis aliquid habere semper visae sunt. Alii enim I.) hic per diuinas res intelligi putant Titulos Codicis de SS. Trinitate, de SS. ecclesiis, rel. quorsum collineat CONRINGIVS *prud. ciu. cap. 5. §. 7.* refutatus a GVNDLINGIO ad *Tit. D. de iust. ac iur.* Alii II.) ducti argumento *L. pen. §. 1. Cod. de adopt. et §. f. I. de I. N. G. et C.* res naturales, s. de quibus ius naturae praecipit, indigitare VLPIANVM volunt, PERRENNON. *Animadu.*

iur. ciu. Lib. I. cap. 14. GVNDLING. *l. c.* §. 25. Rursus alii: III.) res sacras, sanctas ac religiosas diuinas hic dici contendunt. vid. a COSTA *ad* §. 1. *I. de iust. ac iur.* BALDVINVS *Catech. iur. ciu cap.* 1. §. 5. BRISSONIVS *Antiq. rom. Lib. IIII. c* 16. BYNKERSHOEK *de cultu relig peregr. Diss. I.* MVRETVS, VINNIVS, ZOESIVS, HOTOMANNVS, *in Commentariis ad* §. 1. *I. de iust. ac iur.* Adhuc alii IIII.) Imperatorem encyclopaediam, i. e. complexum omnium scientiarum, iurisprudentiam esse voluisse, sibi imaginantur. ANT. AVGVSTINVS *praef. ad L. IIII. Emend. et Opin. circ. f.* WESEMBECIVS *ad Tit. D. de iust. ac iur. n* 14. *V. C.* EVER. OTTO *Comment. ad* §. 1. *I. de iust. ac iur.* Denique V.) LYCLAMA *Membran. Lib. VII. eclog.* 18. regulas honesti ac decori diuinas res innuere putat, suaeque hypotheseos fautorem excitat CHRYSIPPVM allegatum a MARCIANO *in L.* 2. *D. de LL* quem tamen conuellit COLVMBVS *cit. Diss. de iust. ac iure Sect. II.* § 18. Sed non immorabor diutius his opinionibus, dicam potius rationem huius rei adaequatam. Indigitat hanc TVRNEBVS *Aduers. Lib. VIII. cap.* 20. aliquo modo, prosequitur eamdem B. HEINECCIVS Patronus ac Praeceptor desideratissimus *Elem. Inst.* §. 25. sc. Aeternam ICtis cum philosophis antiquis de praerogatiua suae artis litem fuisse constat, comprobantque id ipsum exempla in *L.* 1. §. 1. *D. de iust. ac iur. L.* 8. §. 4. *D. de Vacat. et excus. L.* 1. §. 5 *D. de extraord. cogn.* obuia. Hi vero, quum omnia meditationi subiicerent, philosophiam vocarunt: *Rerum diuinarum humanarumque scientiam.* CICERO *de Orat. Lib.* 1 *c.* 49. Id. *de finib. Lib. II. cap.* 12. et *Tuscul. quaest. Lib. IIII. c.* 26. it. *Lib. V. c. III.* ac denique *de Officiis c.* 2. SENECA *Lib. XXXVIII.* 4. *et* 110. PLVTARCHVS *de Placitis Philos L. I. pr.* Hoc arripientes ICti et suam artem diuinarum humanarumque rerum notitiam, seque philosophos dixere. Ita VLPIANVS *L.* 1. §. 1 *D. de iust ac iur.* ICtos veram non simulatam philosophiam affectare scribit. Accedit, quod iurisprudentia olim habita fuerit sapientiae pars, id quod egregie declarat PLINIVS *Lib I. ep* 10 QVINCTILIANVS *Inst Orat Lib II. cap.* 33. licet hoc displiceat TVRNEBO c. l. Ipse VLPIANVS *in L.* 1 §. 5. *D. de extraord cogn.* denuo huic sententiae subscribit, his: *Est quidem sanctissima res ciuilis sapientia*; ICti vero passim sapientes salutantur. vid. GELLIVS *Noct. Attic. Lib. IIII. c.* 1. et *Lib. XI. c.* 17. *L.* 1. §. 37. et 38.

D. de

D. de O. I. Igitur Iurisprudentia et ad mentem VLPIANI fuit *philosophia iuris*.

Diuersitas iuris diuersam facit iurisprudentiam; Inde iurisprudentia criminalis, ciuilis, feudalis, ecclesiastica.

(c) Differre *Iurisperitum* a *Iurisprudente* contra TABOREM defendit CONRINGIVS *de finib. Imp. praef.* illum dicens, qui leges in Republica latas omnes tenet, hunc, qui, an expediant eidem, cognitum habet. Priorem *empiricum* vocabo §. sq. Posterior *Iurisconsultus* est.

§. XV.

Qui historica legum cognitione (a) gaudet, EMPIRICVS dicitur (b). *Empiricus.*

(a) *Cognitio historica* dicitur cognitio factorum. *Cognitio historica.*

(b) Ἐμπειρία graecis vocatur experientia; cognitio vero experientia fundata, historica est (not. a). Primum quidem solis Medicis, artem suam in experientia fundantibus, ratione vero destitutis, Empiricorum elogium tributum fuit, idque in Sicula terra factum PLINIVS *Lib. XXVIII. cap. 1.* nobis persuadet, Successu vero temporis aliis, artem non nisi ore profitentibus accommodatum idem. vid. ACKER *de politicis Empiricis, in Opusc. et. eloqu. fasc. II. p. 20. sqq.*

§. XVI.

Habitus, leges in salutem reipublicae ferendi, et subditis praescribendi facienda vel omittenda ad eorumdem perfectionem, IVRISPRVDENTIA LEGISLATORIA (a); Habitus, inueniendi subditis praescribenda, IVRISPRVDENTIA CONSVLTATORIA; Habitus, leges latas ad facta hominum cum effectu applicandi, IVRISPRVDENTIA IVDICIARIA (b) vocatur. *Iurisprudentia legislatoria; consultatoria; iudiciaria.*

(a) Si habitus voci, scientiae practicae vocabulum substitueris, perinde erit; theoria enim hic non sufficit.

(b) In hoc iudex a doctore academico differt, qui etiam applicat, h. e. nexum possibilem legum cum actionibus hominum, sed absque vllo effectu, ostendit.

§. XVII.

Interpretatio: authentica; doctrinalis; vsualis.

Distincta, mentis obscurioris legislatoris, repraesentatio, INTERPRETATIO LEGVM (a) audit; Quodsi superior eam repraesentet, AVTHENTICA (b); Si ICtus, DOCTRINALIS (c), si consuetudine determinatur, VSVALIS (d) appellatur.

(a) Addita saltim legislatoris notio generali interpretationis notioni; Quae alias circumferuntur huius definitiones a nostra non nisi verbis differre intelliges, si conferre placuerit *Conf.* *Dn.* HALLWACHSII ICti, antea iudicii criminalis Hasso-Darmstad. Assessoris, iam vero Seren. Marchionis Badens. a Consil. Aul. Fautoris maxime colendi, *Comment. de Interpret. per omn. discipl. fund. grass. §. 14. in f.*

(b) Dubitatum fuit: vtrum haec, interpretationis species iure dici possit? quae noua lex nonnullis videtur. Mihi, quo minus dici possit, nullum remanet dubium, optimus dum quilibet verborum suorum interpres, nec absonum obscurius a me dicta antea, distincte nunc proponere. Ipse IVSTINIANVS *L. fin. §. 1. C. de LL.* expressis verbis id docet, quae lex omnibus iis, qui negent, authenticam interpretationem Imperatori fuisse cognitam, opponenda. Sed illa dubitatio: vtrum interpretatio authentica ab auctore legis necessario, anne etiam a successore, petenda? altioris indaginis videtur. Prius qui defendunt, authenticam hanc interpretationem ab authentico s. originali deriuant, quo sensu haec vox occurrit in *L. 2. D. de fid. instr. L. f. D. test. quemadm. aper.* Sed perplacet posterius. Αὐθέντα principem et αὐθεντικὸν id, quod ab auctoritate valentibus profectum, notat; Hinc colligo interpretationem authenticam esse, quae fit ab eo, penes quem est summa potestas, siue is tulerit legem, siue antecessor eiusdem. Neque putandum erit successorem, interpretando legem ab antecessore latam, nouam ferre legem. Declarat saltim atque exponit illius voluntatem, quod quum sit interpretari, successor ita antecessoris mentem interpretatur. Sin noua addiderit momenta a prioribus diuersa, diuersaeque obligationis rationem continentia, non interpretatus fuit successor. Consentit

Conſentit nobiſcum GRATIANVS *ad c. 16. C. 25. qu. 1.* ſcribens: *Ipſi namque ſoli canones valent interpretari, qui ius condendi eos habent.* Summum vero Pontificem ius habere interpretandi ſtatuta ab anteceſſoribus, docet INNOCENTIVS III. *in cap. 27. X de off. et poteſt. iud. deleg.* Eadem interpretatio authentica deſcribitur in *L. 9. et 12 §. 1 D de LL.* Iam ſuppeditabo exemplum. Edixerat Sereniſſ. Britanniae Rex VIIII. Cal. Aug. 1734. ſolutionem locarii, habitationis pretiique conuictus a Studioſis in academia Goettingenſi degentibus vltra trimeſtre ſpatium differendam non eſſe; id, quum quidam in hunc modum interpretarentur, hoſpitibus ante trimeſtre ſpatium ius exigendi locarium pretiumque conuictus eſſe nullum, iisdem ſcrupulum exemit idem Sereniſſ. Rex declaratione edicti prioris authentica VII. Non. Iun. 1737.

(c) Differt haec interpretationis ſpecies a priori ſubiecto, quod ibi princeps, hic ICtus eſt. Hic enim, quum is ſit, qui gaudet ſcientia legum et iuris, (§. XIIII.) ea vero in cognitione rationis ac nexus earumdem conſiſtat, patet, a nemine, ſi a principe legis auctore diſceſſeris, tutius legis interpretationem peti, quam ab ICtis. Quum vero doctrinalis interpretatio, inde, quod ICtus ſenſum verborum alios doceat, dicta, circa mentem alienam verſetur, liquet non niſi probabilem propoſitionem ex ea oriri.

(d) Conferenda hic conſuetudinis vſusue notio §. XXX. determinata. Fundamen haec interpretatio habet in *L. 25. 37. et 38. D. de LL.* Exemplum eſt in *2. F. 26. c. naturales,* quo naturalibus, etiamſi legitimati ſint, denegatur ſucceſſio in feudis, quod vſus ad legitimatos a principe reſtrinxit. Aliud in Praxi Aug. Cameralis Iudicii obtinet: Contumax decreto Proclamate elapſisque 6. iuridicis florenum Rhenenſem, ſc. qui aequiualet 60. crucig. poenae loco ſoluere miniſtro Camerae iubetur, R. D Spirenſ. 1600. §. 91. quod vſus interpretatus eſt de 80. cruciger.

§. XVIII.

Declaratio mentis legislatoris per verba, verbis eiusdem aequipollentia, ſed clariora, IN- *Interpretatio declaratiua*

 TER-

extensiua; restrictiua. TERPRETATIO DECLARATIVA (a); Declaratio vero mentis legislatoris, rationi mouenti, latiori verbis, respondens, EXTENSIVA (b); Declaratio mentis legislatoris, rationi mouenti, strictiori verbis, respondens, RESTRICTIVA (c) dicitur (d).

(a) Declaratiue interpretaturus legem in sola verborum eiusdem obscuriorum expositione subsistit, nec vltra ea diuagatur, nec ea arctioribus cancellis constringit. Eiusmodi interpretationum exempla innumera occurrunt, omniaque ICtorum scripta talibus sunt referta. Ita, quae reliquas obscuritate vincunt, XII. Tabularum leges interpretati sunt SEXTVS AELIVS, L. ACILIVS, ANTISTIVS LABEO, CAIVS, SERVIVS SVLPICIVS, alii. Edictum perpetuum interpretes habuit CAIVM, PAVLVM ac VLPIANVM. E recentioribus interpretandis legibus obscurioribus operam impenderunt, et quidem *Aquiliae*, BALDVINVS ac NOODTIVS; *Cinciae*, BRVMMERVS; *Iuliae maiestatis*, GVNDLINGIVS; *Scantiniae*, CHRISTIVS, *Voconiae*, BALDVINVS ac PERIZONIVS; *Papiae Poppeae*, B. HEINECCIVS; *L. 9. D. ad L. Rhod. de iact.*, IAC. GODOFREDVS; *L. 38. D. de Cond. indeb.*, CVIACIVS, HOTOMANNVS *aliique, quorum opera collecta a* FREHERO. *L. 2. C. de Resc. Vend.*, ARIAS PINELLVS, *cet.*

(b) Ratio legis ipsam sustinet legem, hinc ad eam interpretaturus attendit, & prout eam vel latiorem vel angustiorem verbis deprehendit, ea huic attemperat; Non enim fatente IVLIANO *in L. 10. D. de LL.* leges ita scribi possunt, vt omnes comprehendant casus, ideoque opus est, vt eos, quos eodem principio niti vides, eiusdem iuris esse dixeris. Clarius idipsum proponit VLPIANVS *in L. 13. D. de LL.* PAEDII *verbis vsus: Quoties lege aliquid vnum vel alterum introductum est, bona occasio est, cetera, quae tendunt ad eandem vtilitatem, vel interpretatione, vel certe iurisdictione suppleri.* Exemplis conficienda res erit: Serui, si furtum fecerant olim, dominus eorum noxali actione conueniebatur. *L. 2. D. de noxal. act.* Antiquum hoc ius correcturus Praetor aequitate motus statuebat id obtinere, si familia, h. e. seruorum grex, furtum fecisset. *L. 1. pr. §. 1. et 2. D. si famil. furt. fec. dic.* Quaesitum fuit: anne idem in L. Aquilia pronunciari debeat? et

et reſponſum: debere, idque vel ob identitatem rationis, ne ſc. ob vnius delictum tota familia ſeruorum careret Dominus. Ita CAIVS *in L. 32. D. ad L. Aquil.* Item: Temporibus M. ANTONINI et COMMODI Imperatorum Senatusconſultum conditum fuit de nuptiis Senatorum, quod dein ad ſponſalia (de quibus nihil cautum) extenſum fuit. *L. 14. D. de Sponſal.* Plura exempla proſtant in *L. 7. §. 2. D. de Iurisd. L. 4. D. de fund. dotal.* Haec interpretationis ſpecies ANALOGIAE IVRIS principium eſt, quam itaque *ratiocinationem ex ratione legis* dixeris.

(c) Et ita legis reſtringendae verba adeo late patent, vt eiusdem ratio omnes ſub iis comprehenſos caſus non admittat. Exemplo eſto *L. 6. §. 2. D. de iur. patron.* Sancitum erat: Patronum, qui iuramento manumiſſum obſtrinxerat, ne nuberet, puniendum eſſe; Manumiſit Caius ſeruum exſectum (neſcius forſan), exegit ab eo iuramentum ſeruandi coelibatus, an poenam incurret: Negat hoc PAVLVS in *c. l.* caſumque hunc huc pertinere; deficit namque ratio, conſummandi ſc. matrimonii procreandaeque ſobolis. Add. *L. 40. pr. D. de Hered. pet. L. 10. D. de in ius voc. rel.*

(d) Omnem de interpretatione legum diſputationem facili negotio hac tabella repraeſentatam dabimus.

Interpretatio eſt declaratio ſenſus legum, eaque fit

- vel voluntate Principis
  - vel expreſſa voluntate Principis — *Authentica*
  - vel tacita — *Vſualis.*
- vel a ICtis. — *Doctrinalis.* Haec reſpicit
  - vel verba legum — *Grammatica*
  - vel ſenſum legis ex rationibus eius declarandum — *Logica.*
    - vel verba legis latiora ad rationem legis anguſtiorem reſtringuntur — *Reſtrictiua*
    - vel verba legis anguſtiora ad rationem legis latiorem extenduntur — *Extenſiua.*

§. XVIIII.

Leguleius. Qui leges perverse interpretatur, LEGVLEIVS dicitur (*).

(*) Interpretationem consistere in distincta repraesentatione mentis legislatoris §. XVII. docui; hanc vero ex ratione legis hauriendam esse indicatum §. praeced. not. b. et c.; inde vero patet Leguleium rationem adaequatam legis ignorare, atque in interpretando fallere, Inde est, quod Leguleius circa corticem verborum haereat, grammaticumque solum eorum significatum captet. CICERO talem ita describit *de Orat. L. I. c. 55.* LEGVLEIVS *quidam cautus et acutus, praeco actionum, cantor formularum, auceps syllabarum* etc. Egregie satis. Conf. QVINCTILIANVS *Inst. orat. Lib. XII. c. 3. sq.* Eiusmodi peruersae interpretationis meminit, et ad Leguleios digitum intendit PAVLVS *L. 29. D. de LL.* scribens: *Contra legem facit, qui id facit, quod lex prohibet: In fraudem vero, qui saluis verbis LL. sententiam eius circumuenit.* Empiricus itaque interpretaturus in Leguleium degenerat.

§. XX.

Applicatio. APPLICATIO est collatio facti singularis cum lege (*).

(*) Duo applicationem rite faciendam supponere, 1.) vt facti cum lege conferendi notitiam exactam habeat, 2.) vt ipsam debite interpretetur applicaturus, clarissime ex ante dictis elucet; vtrumque vero, quum sit ICti, (§. XIIII. not.) ICtus legem optime applicabit. Applicaturus vero factum ad legem ratiocinatur, hanc maiorem, illud minorem constituendo. v. g. Lex est: Depositum miserabile, quod dicitur, si inficiatus dolo fuerit depositarius, duplum eius reddere debet. *L. 1. §. 1. D. depos.* Accidit casus, flammis dum correpta domus sua, Titius capsulam auro argentoque onustam custodiae Caii committit. Eamdem post aliquod tempus repetens exceptione non competentis actionis repellitur. Probat suam intentionem Titius, Caiumque dolosae abnegationis conuincit. Applicatio huius facti ad allegatam legem ita procedit: Omne depositum miserabile dolose

dolose inficiatum crescit in duplum. *L. 1. §. 1. D. Depos.* Caius depositum a Titio apud se dolose inficiatus est. E. duplum eius praestabit; Et haec conclusio sententiae condemnatoriae argumentum est. Multis vero modis se exserere applicationem constat, respondendo nimirum de iure in casu oblato; defendendo caussas alterutrius litigantis; lites sententia dirimendo; cauendo a factis futuris legibus non conuenientibus, cet. vid. BVCKY *Prolegom. iurisprud. ciu. priu. §. 478. sqq.*

§. XXI.

Qui leges peruerse applicat, RABVLA (*) est. *Rabula.*

(*) Rabula igitur mania applicandi leges, quas non intelligit, laborat, praeposterequc omnino agit; Ponit hypothesin aliquam, quam veram esse iubet, vel fingit potius; dein omnia, quaecunque sint, sibique conducere putat, obtorto licet collo in suas partes trahit. Turpissimum hoc vitium iam suo aeuo atro carbone notauit QVINCTILIANVS *Inst. Orat. Lib. XII. c. 9.* rabulas cum latronibus conferens. In explicanda etymologia *Rabulae* desudarunt multi. NONIVS *de verb. signif. I. 106.* a rabie canina deriuat eamdem, cui subscribit FESTVS *de Verb. signif. voce Raua,* et SENECA in *Hercul. furent.* ℣. 172.

Iurgia rabiosa fori clamosi;

dicit.

§. XXII.

LEX est voluntatis imperantis, circa facienda vel omittenda a subditis, declaratio (*). Lib. I. T. 3. *Lex.*

(*) Legem in genere hic definio, non solam Romanam, cui, si antiquum Reipublicae statum spectes, alius tribuendus erit conceptus. Ita enim in §. 4. *I. de Iur. nat. et gent.* LEX dicitur, *quod populus Romanus senatorio magistratu interrogante constituit;* quae not.o breuissimis explicanda erit. Primus legalis huius definitionis character est *populus Romanus,* i. e. patricii et plebs iunctim, vid. §. 4. *I. de Iur. nat. gent. et ciu.* GELLIVS *Noct. Attic. Lib. X. c. 20.* ex qua ratione eadem *communis reipublicae sponsio* in *L. 1. D. de LL.* dicitur. Alter character latet in

in verbis *senatorio magistratu*, i. e. qui, quum magistratum gerit, eo ipso Senator est, quales erant Consules, Dictatores, Censores, Aediles curules, Praetores, Tribuni militum, quibus Interregem addit HOTOMANNVS confutatus a VINNIO *ad § 2. I. de iur. nat. gent. et civ.* Tertius character est *interrogationis*, vel potius *rogationis*. vid. *L. 2. D. de Adopt.* Compellabant enim magistratus senatorii legem rogaturi, praeuia commendatione, populum his verbis: VELITIS, IVBEATIS QVIRITES, HOC ITA, VTI DIXI, VOS QVIRITES ROGO. Ad quam rogationem populus per tabellas ac suffragia respondebat, vnde lex *rogari*, et is, qui legem recitabat, *legislator*. qui vero oratione eam populo commendabat, *legis auctor* dicebatur. Hinc patet *rogante* potius in textu, quam interrogante legendum esse, idemque confirmat responsio populi approbantis legem hac formula: VTI ROGAS, tabulis insculpta. Quartum characterem constituit *voluntas populi* constituentis legem. Omnem Romanorum ferendi legem ritum descripsit B. HEINECCIVS *Ant. Rom. Lib. I. Tit. 2. §. 1 -- 13.* W. *Lex* generatim Romanis denotat *formulam*; quod v. c. ex formulis: *Lex mancipii*, *Lex commissoria* cet. adparet. Adeundus omnino est IO. AVG. ERNESTI in *claue Ciceron. voc. lex.* Omnem autem *legum Romanarum*, strictius dictarum, familiam persequutus est ANT. AVGVSTINVS *de legibus et SCtis.* Parif. 1577. f. Si specialem *legis* apud Romanos significationem spectaueris, rectius dixeris: *ius expressa totius populi voluntate constitutum.* S.

Sed, vti [illegible]ic legis conceptus Romanis proprius fuit, ita generalior eiusdem idea omnino eos latuit. Docebit te hoc *L. 1. D. de LL.* qua lex vocatur *commune praeceptum.* Reperies et DEMOSTHENIS et CHRYSIPPI, quas dicunt, definitiones in *L. 2. D. de LL.* ab HVBERO *Prael. ad Digesta Tit. de Legibus §. 1—11* illustratas. Porro, quum post Legem Horatiam, Publiliam et Hortensiam Plebiscita vim legis accepissent, inde natam definitionem exhibet ATEIVS CAPITO apud GELLIVM *Noct. Attic. Lib. X. c. 20.*, esse sc. *generale iussum populi ac plebis, rogante magistratu.* Addita nimirum fuit idea plebis, detracta notione magistratus senatorii.

Negandum non est legis vocabulum varium habere in iure Romano significatum, et quidem 1) venire pro quo-

quocunque iure, tam ſcripto, quam non ſcripto, vid. *L. 2. D. de LL.* conf. CICERO *de Legibus L. 1. c. 4.* 2) ſolum ius ſcriptum denotare, vid. CICERO l. c. qui eidem mores opponit, 3) indigitare Leges XII. Tabul. κατ' ἐξοχὴν, *L. 40. D. ad L. Iul. de Adult.* 4) nonnunquam notare ius non ſcriptum, ſ. conſuetudines, vid. *L. 1. D. quod cuiusu. vniu. nom.* etc. 5) pro pacti conditione occurrit in *L. 1. §. 23. D. de aqu. et aqu. pluu. arc.* 6) ſignificare priuilegium, vid. *L. 11. §. 1. D. ad L. municip. de Incolis.*

Aliorum de Legibus definitiones, quorum nec numerum inire valeo, ſub examen vocare nec opus erit, nec tempus ad hoc ſufficiet. Tres allegabo ſaltim. ARISTOTELES *Rhet. ad Alex init.* legem vocat *ſermonem conſtitutum ex communi ciuitatis conſenſu, indicantem, quomodo quidque fieri debeat,* quae Romanae legis ideae lucem aliquam affundit. SENECA *de benef. Lib. IIII. cap. 12.* *iuſti iniuſtique regulam* eamdem dixit, quem ſequutus GROTIVS *de iur. bell. ac pac. L. I c. 1. §. 9.* eam *regulam actuum moralium obligantem ad id, quod rectum eſt,* aſſerens.

§. XXIII.

LEX, dum fertur, ROGARI (a); quum obligatio eius in totum remittitur, ABROGARI, eadem ex parte ſi tollitur, EI DEROGARI, ſi eidem additur noua obligatio, SVBROGARI (b); ſi quid in ea mutatur, OBROGARI (c) dicitur (d). *Legem rogare; abrogare; Legi derogare; ſubrogare; obrogare.*

(a) Ad ſtatum popularem Romanum oculos aduertas et conf. §. praec. not. cum *L. 10[illegible]. de V. S.*

(b) Equidem B. KOEHLERVS *iur. ſoc. §. 911.* abrogationem vocat mutationem legum totalem, in quo me habet conſentientem. *Mutatur* enim, quod non manet idem, et ſi in totum quid mutatur, nihil in eo ſibi remanet aequale. Aſt, quando partialem legis mutationem DEROGATIONEM dicit, eidem ſubſcribere nequeo. Mutari rem, ſi non manet eadem, modo dixi, eadem non manet, ſi ea, quae nunc exſiſtit, ſubſtituta pro ea, quae extiterat antea. Iam vero, quoties additur legi noua obligatio, ſubrogatur eidem, cui tamen

ſec.

fec. KOEHLERI conceptu:: derogatum erat. Separandae E. fuere hae duae ideae.

(c) CICERO *Lib. 3. de Republ. huic legi nec obrogari fas est neque derogari, ex hac aliquid licet, neque tota abrogari.* Vid. VLPIANVS *Fragm. I. 3.* et QVINCTILIANVS *Declam.* 264.

(d) Conf. si placet; *Elementa* mea *antiquit. iur. Rom.* §. 160. *sqq.*

§. XXIIII.

Plebiscitum.

PLEBISCITVM (a) Romanis dicebatur id, quod plebs (b) ad plebeii magistratus (c) rogationem constituebat. §. 4. *I. de iur. nat. gent. et ciu.*

(a) Quid opus est alia plebiscīti, quod diu exoluit, descriptione? Vt enim populus leges, ita plebs plebiscita condebat. *Scitum* autem nihil aliud est, quam decretum, quod notat SENECA *Ep. LXXXXV. quod Graeci δόγματα vocant, nobis decreta licet appellare, vel* SCITA, *vel placita;* et PLAVTVS *Curcul. Act. IIII. Scen. II. v. 23.*

Rogitationes plurimas propter vos populus SCIVIT.

Plebiscita itaque sunt decreta plebis, et populiscita, populi decreta. Vid. NEPOS *in vita Epaminondae cap. 7. n. 4.*

(b) *Plebis* appellatione ii ciues Romani designabantur, qui Patriciis vel Senatorio ordini adscripti non erant, id quod patet ex §. 4. *I. de iur. nat gent. ac ciuil.* Atque ita inter plebem numerabantur omnes magistratuum ministri, artificum collegia etc. CICERO *de petit. consulat. 8.* dicit: *Manumissi, qui ius ciuitatis consequebantur.* IDEM *Or. Catilin. 4. c. 7.* qui ius colebant, nam et hi ciues Romani erant. VALERIVS MAXIM. *Lib. VII. c. 5. n. 2.*

(c) Qui erat *tribunus plebis,* vid. GELLIVS *Noct. Attic. Lib. XV. c. 27. Is, qui non vniuersum populum, sed partem aliquam adesse iubet, non comitia, sed concilium edicere debet. Tribuni autem neque aduocant patricios neque ad eos referre vlla de re possunt: ita ne leges quidem proprie, sed* PLEBISCITA *appellantur, quae tribunis ferentibus accepta sunt.* Inde legis et plebisciti differentia patet. 1) Lex suffragante vniuerso populo, plebiscitum, plebe tantum, condebatur. 2) Lex a senatorio magistratu, plebiscitum a plebeio rogabatur. 3) Lex in comitiis centuriatis

tis et tributis, plebiscitum tantum in tributis, conficiebatur. Ast! dicuntur tamen plebiscita leges? *§. 15. I. ad L. Aquil.* instabis, exemplaque allegabis L. Aquiliae, L. Voconiae, L. Cinciae, quas omnes plebiscita esse constat; istud namque L. AQVILIO GALLO tribuno plebis Anno V. C. DLXXII. illud Q. VOCONIO SAXA tribuno itidem plebis, Anno V. C. DLXXXIII. hoc vero M. CINCIO ALIMENTO non minus tribuno plebis Anno V. C. DXXXXVIIII. rogantibus conditum. Sed Re. Hoc nomen plebiscitis inditum esse, postquam iisdem legum natura adplicata fuit, quod lege Horatia Anno V. C. CCCVI. primum intentatum, postea vero lege Publilia Anno V. C. CCCCXVI. et demum lege Hortensia, Anno CCCCLXV. absolutum fuit, ex quo tempore et *populiscita* ea dici coeperunt. TACITVS *Ann. III. c. 58.* W. Dissentit IO. AVG. BACH in *hist. iurisprud. Rom. p. 87.* qui plebiscita iam ante leges, Horatiam, Publiliam et Hortensiam, legum nomine insignita, statuit, deceptus loco LIVII III, 32. qui tamen, ex vsu sui temporis, non ex primaeua ratione, plebiscito Scilio legis nomen tribuit. S.

§. XXV.

SENATVSCONSVLTVM (a) dicebatur ius a Senatu (b) ad orationem vel epistolam principis (c) constitutum (d). *Senatusconsultum.*

(a) *Consultum* idem est ac decretum; Comprobat hoc HORATIVS *Lib. I. Epist. XVI. ℣. 41.*

Vir bonus quis?

Qui CONSVLTA *patrum, qui leges iuraque seruat.*

Consulere dicebatur, qui loco principis senatum rogabat: an ius valiturum sit quodpiam? Declarat hoc LIVIVS *Lib. XXII. c. 60.: Senatus, summotis arbitris,* CONSVLI *coeptus;* hinc *Senatusconsultum* dictum fuit, quod Senatus ad rogationem principis vel alterius, eius nomine, decreuit. Exemplum habes *L. 20. §. 6. D. de Hered. pet.*

(b) TIBERIVS Imperator, vt populo omne ius eriperet, sibique vindicaret potestatem leges condendi, comitia in curiam transferebat, vid. TACITVS *Annal. L. I. c. 15.* senatuique, quem totum ad nutum ipsi fuisse tradit

tradit IDEM, *L. XIII. Annal. c. 26.* imaginariam hanc auctoritatem relinquebat. Haec quum vera huius ratio fuit, patet POMPONIVM *in L. 2. §. 9. D. de O. I.* et TRIBONIANVM *in §. 5. I. de I. N. G. et C.* in determinanda huius caussa fallere. Quae libera Republica ferebantur SCta, vim legis non habebant, longeque ab his distabant. vid. B. Dn. HEINECCIVS, *Ant. Rom. Lib. I. Tit. 2. §. 46.* W. Recte auctor; quae enim in contrariam partem disputauit BACHIVS *Lib. II. c. 2. s. 2. §. 2 — 15.* iam sub examen vocauit *in Elem. antiquit. iur. Rom. §. 91.* S.

(c) Princeps enim vel praesens erat Senatui, vel absens quaestorem suo loco mittebat, qui Candidatus dicebatur, aut epistola mentem suam significabat. Isto casu senatum compellabat, sententiasque illius exquirebat ante noui iuris constitutionem, Inde est, quod SCta principum orationes passim vocentur *L. 9. D. ad SCt. Tertull. L. 8. D. de Trans. L. 52. §. 10. D. pro soc. L. 60. pr. D. de R. N.* Illo, missus Candidatus principis orationem recitabat; Hoc, epistola loco erat orationis. Conf. B. Dn. HEINECCIVS *l. c.* et BRVNQVEL *Hist. iur. §. 19. sq.* W. Adde in primis: CHR. A. RVPERTI *animaduers. ad Pomponium l. 10. p. m. 85. sqq.* et BYNKERSHOEKII *praetermissa ad L. 2. de O. I. T. II. Opusc. p. m. 23.* S.

(d) Meminit *Senatusconsulti taciti* IVLIVS CAPITOLINVS *in Vita Gordiani, c. 13.* quod maxime tempore seditionis condebatur, et ab eo scribae (qui alias SCta in tabulas redigere solebant) segregabantur, ne quid consiliorum palam fieret. Tale contra Catilinam conditum exstat, vid. CHLADENIVS *de SCto tacito.* A SCto differebat *Senatus auctoritas*: hanc nempe senatus non legitimus, i. e. alio loco, die, hora, quam quo oportebat, congregatus, aut legitimus quidem senatus, sed interdicente tribuno plebis, decreuerat. CICERO *Epist. 2. Lib. I. et Epist. 8. Lib. VIII. ad fam.* W. Rectius *senatus auctoritas* dicitur SC. cui intercessione tribunicia vis ademta. IO. FRID. GRONOVIVS in *obseru. I. 16.* et ERNESTI in *claue Cic. voc. auctoritas.* S.

§. XXVI.

Magistratuum Edicta.

MAGISTRATVVM (a) EDICTA vocantur declarationes ordinis, quem in iure dicendo

do sequi vellent ius dicturi, ab ipsis publice propositae (b).

(a) Huc pertinebant Praetores vrbani ac peregrini, quibus de posterioribus dubitauit ROSINVS *Antiqu. Rom. Lib VII. c 11.* sed absque omni ratione, quod docent B. Dn. HEINECCIVS *Antiqu. Rom. L I. Tit. 1. §. 21.* et OTTO *ad §. 7. I. de iur nat. gent. et ciu.*, idque ob *L. 9. §. 4. D. de Dol. mal.*, proconsules, aediles curules, al. W. Generatim omnibus, qui in officio publico constituti essent, edicendi potestas competebat. Secus sentientium opinionem iam profligauit IO. GOTTL. HEINECCIVS in *historia edict. c. 4. §. 1. in opusc. postumis p. 39 sqq.* S.

(b) Non enim iudices solum erant, quales erant dati a praetore, sed ius simul ipsis competebat determinandi ordinem iudicandi: Hinc fiebat, vt initio singulis annis, & quidem sub initium muneris sui edicta proponerent, quo ordine ius dicturi essent, quae deposito magistratu plerumque mutabantur, vsque dum lege Cornelia Anno V. C. DCCCXXVI. praetores iuberentur ex edictis suis perpetuis ius dicere, DIO *Lib. XXXVI.* et denique sub HADRIANO Imperatore edictum conderetur perpetuum.

§. XXVII.

Qui consulentibus dubia iuris capita interpretantur, DE IVRE RESPONDERE (a); Sententiae eorum, quibus permissum erat de iure respondere (b), PRVDENTVM (c) RESPONSA dicebantur. *Respondere de iure; Responsa prudentum.*

(a) Si cui dubium erat aliquod iuris, vel legem non perspiciebat, adibat ICtos, penes quos erat intelligentia legum; Hi vel in foro ambulantes sui copiam faciebant, vel domi in solio sedentes quaerentibus respondebant. Concise, sed eleganter id exponit CICERO *de Orat. III. c. 33. Nos etiam vidimus transuerso ambulantem foro: quod erat insigne, eum, qui id faceret, facere ciuibus omnibus consilii sui copiam: ad quos olim et ita ambulanteis in foro et sedenteis domi sic adibatur, non solum, vt de iure ciuili ad eos, verum etiam de filia elocanda, de fundo emendo, de agro colendo, et de*

de omni denique aut officio, aut negotio referretur. Conf. insuper B. Dn. HEINECCIVS *Ant. Rom. Lib. I. Tit. 2. §. 29.* Vtrum RESPONSITARE idem denotet, quod respondere, occasione *L. 1. §. 3. D. de postul.* exorta lis inter iuris interpretes est. Negatiuam tuiti sunt DION. GOTHOFREDVS ad *c. l.* MARANVS *in Diss. de Aequitate seu iustitia*, MORNACIVS et CHOARTIVS, contra quos adfirmatiuam defendit MENAGIVS *Amoenit. iur. ciu. Cap. II. p. m. 4.* GELLII *Noct. Att. Lib. XIII. c. 10.* et CICERONIS *de Legib. Lib. 1. c. 4.* auctoritate nisus.

(b) Quod quidem initio omnibus suis viribus confidentibus licuit, antequam Imperator AVGVSTVS certum eorum numerum definiret, qui iura interpretarentur, facultatemque hanc beneficii loco ipsis concederet, insuperque enunciatis eorum iuris vim tribueret, collapsam vero eorum auctoritatem ipsis restitueret HADRIANVS, vid. *L. 2. §. 47. D. de O. I.* et fusius omnia explicantem B. Dn. HEINECCIVM *Ant. Rom. Lib. I. Tit. 2. §. 33. sqq.* W. Turius adeundus GE. CHR. GEBAVER in *excursu I. ad ordinem Instit. p. 186. sqq.* Videndi quoque IAC. RAEVERDVS *de auctoritate prudentum.* Antw. 1566. 8. et IO. CHR. BALSER *de responsis Prudentium ad §. 8. I. de I. N. G. et ciuil.* Giess. 1742. S.

(c) Sc. iurisprudentum f. ICtorum.

§. XXVIII.

Ius honorarium.

Complexus edictorum magistratuum (a) IVRIS HONORARII (b) nomine venit.

(a) Qualia haec sint, vid. §. XXVI.

(b) Haec nos docet *L. 52. §. 6. D. de O. et A.*: IVRE HONORARIO *obligamur ex his, quae edicto perpetuo vel magistratu fieri praecipiuntur, vel fieri prohibentur;* et in *§. 7. I. de I. N. G. et C. Magistratus*, f. quod idem, qui honores gerunt, honorario iuri auctoritatem dedisse dicitur. Magistratus enim ii, qui nullo gaudebant imperio, vi honoris, qui sequebatur eos, edicta proponebant; inde *honoris* vocabulum haud raro pro magistratu occurrit. Ita LIVIVS *Lib. XXV. c. 5.*: *Is senes honoratosque iuuenis denicit.* Et SVETONIVS *in Vita Augusti c. 26.* HONO-

HONORE *abire* pro magiſtratu abire dixit. Idem confirmat GRVTERVS *Inſcript.* edit. vet. *p.CCLXVIIII. n. 3.*

IMP. CAES. P. VALERIO.
DIOCLETIANO. PIO.
FELICI. INVICTO. AVGVSTO.
PONT. MAX. BRITANNIC.
MAX. GERM. MAX. TRIB.
POTEST. II. COS. II. PP.
PROCOS.
HONORATI. ET. DECVRIONES.
ET. NVMERVS. MILITVM.
CALIGATORVM.

Quod vti dubio caret, ita mirari non deſino, CVIACIVM *ad Tit. I. de I. N. G. et C.* Praetores horum numero ſimpliciter eximere, interque *praetorium* ac *honorarium ius* diſtinguere, cui tamen opinioni vel maxime reclamat *L. 7. §. 1. D. de iuſt. ac iur.* Accedit, quod praetorium ius excellentiori ſignificatu honorarium vocetur, id quod exponit RVPERTVS *ad Pomponii Enchirid. p. 53.* Saltim, ſi antiquiſſima forſan reſpexit tempora, diſtinguere debuiſſet inter praetorem vrbanum et peregrinum, quem *honoratum* dictum fuiſſe conſtat, vid. OVIDIVS *Faſt. I. ℣. 52.*

§. XXVIIII.

TRADITVM IVS eſt, quod olim nulla interueniente ſcriptura promulgatum ſicque ad poſteros propagatum eſt (*). *Traditum ius.*

(*) In Lacedaemoniorum republica hoc maxime ſe praebet conſpiciendum. Hi enim, vt ſupra not. ad §. XIII. obſeruauimus, ſcriptis non vtebantur legibus, hinc moribus et traditionibus regerentur opus fuit. LYCVRGVS ſatis celebris leges quidem dabat, quorum tamen nullae in ſcripturam redactae, vt animis potius ciuium, quam tabulis inſcriberentur; prout loquitur EVER. OTTO *ad §. 10. I. de I. N. G. et C.*, niſi quod TERPANDER atque TYRTAEVS eas poſtea verſibus ad muſicos modulos recitari poſſibilibus complecterentur, referente CLEMENTE ALEXANDRINO *Stromat. Lib. I.* Tale ius traditum apud Germanos antiquiores obtinuiſſe

 colli-

colligunt ex TACITO *de situ, moribus et popul. Germ. c. XVIIII.*, sed neque hoc, neque illud: omnino legibus illos fuisse destitutos consuetosque moribus regi, ex hoc loco probari posse mihi videtur, qui potius persuasum habeo indolem Germanorum bene animatam flagitiosissimis suis Romanis opponere TACITVM. Conf. interim B. Dn. HEINECCIVS *ad Legem Iul. et Pap. Popp. L. I. c. 2. §. 6.* Ius canonicum tradito iuri multum tribuit auctoritatis. *c. 5. D. 11.* et Perill. Dn. Cancellarius Ducatus Magdeburgici I. H. BOEHMERVS, *Patronus, Praeceptor ac hospes olim gratiosissimus, deque me meritissimus*, in *Iur. eccl. protest. Tom. IIII. Lib. V. Tit. VIII. §. 9.*, plurima eius exempla profert. Eiusdem apud Germanos existentiam inter alia confirmat AVREA BVLLA *Tit. XXVIII. §. 5.* vbi dicitur, electionem Imperatoris Romani Francofurti ad Moenum celebrandam *traditionibus*, h. e. iuri olim constituto, sed omnium memoriam eius promulgatione effugiente, deberi. Si ius Romanum respexeris, saepius traditum ius pro consuetudine venire deprehendes. vid. *L. 10. D. de iur. Codic.* et CICERO *de Off. L. III. c. XVI.*

§. XXX.

Consuetudo: Desuetudo.

CONSVETVDO est ius, tacito eius, qui leges ferendi potestatem habet (a), consensu introductum (b). Quodsi ius constitutum hoc modo abrogatur, in DESVETVDINEM (c) venisse dicitur.

(a) Generali hac notione opus erat, nec specialis superioris sufficere videbatur; Equidem in statu monarchico imperans is est, cuius tacitus consensus requiritur, sed in statu populari potestas condendi leges, sicque annuendi tacite introducendis consuetudinibus, apud populum est, id quod vlterius euincit IVLIANVS *in L. 32. §. 1. D. de LL.* etc. Inde est, quod passim *voluntas populi* dicatur consuetudo, vid. *L. 32. §. 1. D. de LL.* et *tacita ciuium* conuentio. *L. 35. D. eod.* Haud difficulter ex hoc colligitur et magistratus, imperantis personam repraesentantis, consensum tacitum sufficere introducendis consuetudinibus in locis eius iurisdictioni subiectis, vt docet Perill. Dn. BOEHMER. *Tom. I. Consult. ac Decis. P. II. Resp. 17. n. 22.*

(b) In-

(b) Introductio iuris noui supponit mutationem prioris, inde colligere licet, requiri ad hoc actionem seu actum, ideoque non placuit superflua addere, quod alii faciunt, dum actuum subditorum mentionem iniiciunt. Sed, quot ad introducendam consuetudinem sufficiant actus, dissentiunt ICti. Alii seriem actuum infinitati proximorum requirunt, decepti interpretatione peruersa *L. 1. et 3. C. quae sit longa consuetudo*, alii, quos inter TITIVS *iur. priu. L. 1. c. VII. §. 9.* vnicum tantum requirunt. Vtrique non satis accurate rem perspexisse mihi videntur, qui persuasissimus sum, pro varietate circumstantiarum plures vel pauciores actus consuetudinem efficere. Ceterum actus illi 1) homogenei sint, 2) non interrupta serie continuati, 3) ex opinione necessitatis suscepti ac 4) rationabiles etc. quae omnia latius explicat B. Dn. REINHART, *ICtus Goettingensis, Fautor ac Praeceptor maxime colendus*, in Diss. *de iure consuetudinario*.

(c) Hanc desuetudinis notionem, eiusdemque a consuetudine differentiam determinat BARTOLVS in *gloss. ad cit. L. 32. D. de Legib.* cuius tamen verba: *Quando non vtimur aliqua lege in iure posita*, in sensu plenissimo accipienda sunt, si iis subscribendum erit.

§. XXXI.

OBSERVANTIA est modus conseruandi ius constitutum (*). *Obseruantia.*

(*) Mirifice ICti in definienda obseruantia dissident; Plurimi, quos inter ARETINVS, FABER, KLOCKIVS *de Contrib. c. 19. n. 91.* CARPZOVIVS *Resp. 49. n. 19. sq.* RHETIVS *Inst. iur. publ. L. 1. Tit. . §. 24.* THOMASIVS *Diss. de iure consuet. et obseru. §. 16.* deprehenduntur, eam cum consuetudine confundunt, ducti *L. 1. §. 10. C. de vet. iur. enucl.*, in qua Imperator IVSTINIANVS iubet omnes ciuitates consuetudinem vrbis Romae seruare debere, eadem vero *§. vlt. I. de satisdat.* statuens, *obseruantiae* vocabulo vtitur. Sed licet hae voces promiscue interdum, imo saepissime adhibeantur, curatius tamen omnino agere mihi videor, si has, quarum vtrique determinata notio respondet, separauerim. *Obseruare legem* est eidem suas actiones conformes praebere, et *obseruare legem*; *Obseruare legem;*

 consue-

consuetudinem. *consuetudinem* nihil aliud erit, quam actus eam inducentes, quoties opus est, exercere, sicque obseruantiae notio ius, quae lege scripta proposita sunt, non repugnat. Non igitur ius ipsum obseruantia est, sed testimonium de iure quocunque modo constituto, vt loquitur CONRINGIVS *Orig. iur. Germ. p. 65.* vid. Perill. Dn. BOEHMERVS *Iur. eccl. prot. Tom. I. Lib.* 1. *Tit.* 4. §. 13. W. *Auctor*, cum plerisque ICtis, miscet significationem grammaticam, de qua vnice intelligendus est, et iuridicam *obseruantiae*. In sensu iuris enim *consuetudo* est ius tacito legislatoris consensu introductum; *obseruantia* autem ius tacito consensu collegii constitutum. Cf. GE. LVD. BOEHMERI *principia iur. canon.* §. 172. *sqq.* HENR. CHR. DE SENKENBERG de *iure obseruantiae et consuetudinis in caussis publicis priuatisque.* Giess. 1743. GERH. VON DEM BVSCH *Diss. de consuetudine, vnde et quando vim legis obtineat?* Goett. 1752.

§. XXXII.

Mores. MORES dicuntur actus similes, constante vsu in collegio aliquo seruati (*).

(*) Vid. Perill. Dn. BOEHMERVS in *Inst. iur. can. Lib.* 1. *Tit.* 4. §. 1. Frequens est, maxime ICtis Romanis, vt mores ac consuetudinem synonyma habeant; Sic substitutio pupillaris moribus inducta dicitur *L.* 2. *D. de vulg. et pup. subst.* et IVLIANVS in *saep. cit. L.* 32. §. 1. *D. de Legib.* consuetudinem ius moribus introductum dicit, BVDAEVS *ad Pand. p.* 45. VLPIANVS *Fragm. Tit. de Legib.* obseruationem non legibus, sed opinione et iudicio confirmatam, OVIDIVS *Metamorphos. L. II.* ℣. 345. vsu morem nasci dicit, GELLIVS *Noct. Attic. Lib. II. c.* 24. *pr.* obseruationem et disciplinam domesticam vocat, et FESTVS *de Verb. sign.* voc. *mos* ad religionem et cerimonias ecclesiasticas restringit. Definitio nostra vsui loquendi conueniens est. Sic v. g. in Senatu ecclesiastico Pomeraniae Suecicae moribus receptum est, vt illis, qui Centurionibus pares aut superiores habentur, citatis ac comparentibus sella offeratur. Ita et moribus receptum est in collegiis opificum, vt non nisi legitime natum eius societatis participem faciant. Distinguunt mores a consuetudine CICERO *de Officiis L. I. c.* 41. ARNOBIVS

BIVS *L. II.* MACROBIVS *Sat. Lib. III, c. 8.* aliique. W. Adde CHR. GOD. HOFFMANN *de iure consuetudinis c. 4. p. 50. sqq.* et D. H. KEMMERICH *accesf. ad Instit. p. 101. sqq.* S.

§. XXXIII.

Mores circa formalia iudicii alicuius STILVS (a) CVRIAE dicuntur (b). *Stilus curiae.*

(a) *Stilus* quidem proprie denotat instrumentum, quo veteres scribebant, metonymice tamen pro modo scribendi acceptus fuit, vnde stilus sublimis, tersus, tenuis etc., vltimum denique omnibus, quae in scriptione occurrunt, sicque actibus iudicialibus, quae plerumque scriptis expediuntur, accommodatus.

(b) Sic v. g. Stilus Curiae supremae appellationum Cellensis seruat, vt in quocunque scripto ipsi exhibito prior pagina rubrum, altera vero titulum et compellationem Regis impleat. Item Stilus iudicii ecclesiastici Pomeraniae Suecicae est, vt Centuriones iisque vel pares, vel superiores, in citationibus, decretis, sententiis, axiomate dominorum honorentur. Errat POSTHIVS *de subhast. in. p. 48. n. 8.* PANORMITANVM sequutus, statuens stilum circa decisionem causarum versari, qua hypothesi supposita, illum in *ordinarium* et *decisorium* distinguit. Neque minus errat ARETINVS extraiudicialibus negotiis eum tribuens. Differentiam stili a consuetudine docet NATTA *Consil. 175. n. 11.* W. De *triturae forensis* denominatione adeundus I. H. BOEHMERVS *de tritura forensi*, in EIVSDEM *exercit. ad Pand. T. I. p. 390. sqq.* S.

§. XXXIIII.

Voluntas Imperatoris legis vigorem habens, CONSTITVTIO (a) PRINCIPIS (b); si obligatio eius vniuersalis, GENERALIS; sin particularis, SPECIALIS dicitur. *Lib. I. T. 4. Constitutio principis; generalis; specialis.*

(a) Populus Romanus legem condebat (§. XXII. not.) ideoque, quae Imperatores constituebant, antequam absoluta omnino potestas in eos transiret, leges non erant, qua ex ratione et AVGVSTVS legem Iuliam, Aeliam Sen-

tiam, Papiam Poppeam, et TIBERIVS Iuniam Norbanam antiquo more rogauit, vt vero ſenſim poteſtatem leges ferendi populo eriperent, primo Senatusconſultis vtebantur (§. XXIIII. not. b.); dein vero ipſi incipiebant actiones populi determinare, non quidem ſub nomine legis, ſed conſtitutionis, quo glaucomate populo obducto ſuaui aliqua imagine, quaſi apud eos nihilominus maneret poteſtas ferendi leges, ludebant, faciliqne ita via ad obſequium ducebant. Inde non dubitauit VLPIANVS *L. 1. §. 1. D. de Conſt. princ.* eas leges dicere.

(b) *§. 6. I. de I. N. et G.* dicitur: *Sed et quod principi placuit, legis habet vigorem*, et hoc vocatur principum Conſtitutio *L. 1. §. 1. D. de Conſt. princ.* additur plerumque vox: *placuit*: quod ſi hi voluerint; Conſtat enim non omnia principum placita legis vigorem fuiſſe ſortita, exemplo TRAIANI, cuius epiſtolae ad PLINIVM *Lib. X.* ſatis de voluntate eius teſtantur, omni licet vigore legis deſtitutae.

§. XXXV.

Priuilegium; reale; perſonale: mixtum.

Si imperans perſonis, aut rebus aliquid attemperat, quod ex obligatione legum non competebat iisdem, PRIVILEGIVM (a); et quidem priori caſu PERSONALE (b); poſteriori REALE (c); priuilegium perſonale ad heredes extenſum, MIXTVM (d) dicitur.

(a) Priuilegia igitur ad ſingularia iura pertinent ſpecialesque conſtitutiones, et quum propterea obligatio eorum particularis eſt, nec extendenda, nec in exemplum trahenda §. 6. *I. de I. N. G. et C.* Derogant autem vt leges ſingulae generalioribus, et ex hac ratione *priuae leges* GELLIO *Noct. Attic. L. X. c. 20.* et ISIDORO ORIGIN. *V. 18.* vocantur, *priuum* enim antiqui dicebant, quod nos ſingulum vocamus, vid. FESTVS in voc. *priuus*, NONIVS *I. 151.* et HORATIVS *L. 1. ep. 1. ỹ. 93.*

Quem ducit PRIVA *triremis.*

Exemplo rem declarabo: Regale venationis ad imperantes pertinet, priuatique manus a capiendis feris omnino abſtinere debent; quodſi vero Caio permittitur

tur venatio, priuilegium ei indulgetur. Illustre exemplum vid. apud LIVIVM *Hist. Rom. Lib. XXXVIIII. c. 14.* W. Materiam de priuilegiis omnem eleganter complexus et GE. AVG. ENENKEL in libris III. *de priuilegiis iuris ciuilis*, edit. 2. Ratisb. 1720. 4. et GE. CHR. GEBAVERVS in Diss. *singularia de priuilegiis*. Goett. 1749. S.

(b) Repeti poterit exemplum not. antecedente allegatum, Caius enim priuilegio vtitur, non alius.

(c) Quodsi praedio Caii conceditur ius venandi, omnes illud possidentes eo fruuntur, et sic non personale, sed reale dicitur. Existentiam priuilegiorum realium negat, eaque inter figmenta numerat Heidelbergensis ICtus FR. ALEF Diss. cui titulus: *Figmentum priuilegiorum realium examinans*; (inserta EIVSDEM *Opusculis acad.* (Heidelb. 1753.) *p.* 240 *sqq.* S.) Quaeris rationem huius hypotheseos? En! illam ficulneam: quod res, vt inanimatum quid, non recipiat sui dirigibilitatem, quo vocabulo vti placuit ipsi.

(d) Talia sunt in *L. 6. C. de Prof. et Med.* et *L. 2. §. f. C. de Episc. et Cler.*, quae personis quidem data, speciali tamen in eos fauore ab Imperatore ad vxores et liberos extensa sunt, quum alias cum persona exspirassent. vid. *L. 41. D. de adm. et peric. tut.*

§. XXXVI.

PRIVILEGIA, quae propter bene meritum conceduntur, FAVORABILIA; quae vero poenam extra ordinem augent, ODIOSA dicuntur (*). *Priuilegia fauorabilia; odiosa.*

(*) Reiiciunt hanc distinctionem nonnulli, vid. OBSERVATIONES HALENSES *Tom. III. obs. 11.* Verum non est, quod iis subscribamus, nostra distinctio dum ipso iure ciuili fundata deprehendatur. Non enim solum *§. 6. I. de I. N. G. et C.* et *L. 1. §. 2. D. de Const. Princip.* expressis verbis ita distinguit, sed et vtrorumque priuilegiorum exempla saepissime in iuris Romani volumine occurrunt, vid. *L. 2. §. f. D. de his, qui sui vel al. iur. sunt*, *L. fin. D. si quis a parent. manum. L. 28. §. 3. D. de poen. L. 20. C. eod.* Imo frequentiora odiosa priuilegia olim fuisse fauorabilibus Lex XII. Tabb. docet, quae vetat priuilegia irrogari.

gari. *Irrogare* autem proprium esse poenis docet HORATIVS *L. 1. Sat. III. ℣. 118,*

IRROGARE *poenam peccatis.*

et vlterius euincit NOODTIVS *ad Dig. tit. de Legib. p. m. 19.* Add. B. Dn. HEINECCIVS *Ant. Rom. L. 1. Tit. 2. §. 60.* Nec recentius aeuum exemplis priuilegiorum odiosorum destituitur; e. g. refert B. HERTIVS *Resp. CCCCXXXII.* assassini aedes fuisse [dir]utas palo infamante solo imposita, quum tamen O[rdi]natio criminalis in eo acquiescat, quod delinquens rota contundatur. Aliud exemplum capite plexi ob silentium criminis laesae maiestatis adfert B. Dn. de LEIBNITZ *rer. Brunsuic. Tom. III. p. 697.* W. G. B. BECMANNI Diss. *de aequitate priuilegii odiosi, et potestate Imperantis circa illud.* Goett. 1756.

§. XXXVII.

Beneficia legis.

Iura singularia certo hominum generi, vel societati cuidam concessa BENEFICIORVM LEGIS nomine veniunt (*).

(*) Quamuis et haec plerumque priuilegia, et priuilegia beneficia vocentur, vid. *L. 3. D. de Const. princip.* BRISSONIVS *de V. S. voc. beneficium;* meliori tamen via incedere mihi videntur, qui cum CVIACIO *Lib. XV. obs. 8.* ac B. Dn. HEINECCIO *Elem. Iur. ciu. sec. ord. Inst. §. 60. in not.* haec ab illis separant. Priuilegium principaliter supponit indiuiduum, beneficium legis plura, praeter ea priuilegium vel respicit meritum personae, vel statum rei cuiusdam, in beneficio iuris neutrum in censum venit. Ad beneficia legis referas SCtum Velleianum, Macedonianum, aliaque minoribus, fideiussoribus, heredibus etc. tributa.

§. XXXVIII.

Dispensatio.

Exemtio facti indiuidui ab obligatione legis DISPENSATIO dicitur (*).

(*) Et hanc a priuilegio differre, notio hoc modo determinata docet: Dispensatio supponit factum indiuiduum, priuilegium perpetuum vsum in casibus similibus. Hoc iis notandum est, qui priuilegium per exem-

exemtionem ab obligatione legis, nec satis curate, definiunt. Esse autem, quam dixi, dispensationis naturam, quotidiana experientia conuincimur. Ponas casum: Titius nuptias cum Seia patrui filia parans, imperantem adit, eum implorans, vt liceat sibi, non obstante prohibitione ordinationis ecclesiasticae, ducere eam vxorem; Annuit princeps, Titiusque nuptialia sacra celebrat. Non ita multo post consummatum matrimonium moritur Seia, finitoque tempore luctui destinato Meuiam Seiae sororem deperire incipit Titius; An et eam vxorem ducere poterit? Quodsi priuilegium nactus est Titius, de eo nullum superest dubium, quin et hoc casu, et tertium aut quartum viduus factus, reliquas, si adsint, patrui filias ducere possit, si vero dispensatum saltim cum eo, neutiquam id facere ipsi licebit, quum dispensatio indiuiduum factum, adeoque priores nuptias saltim respiciat. Conf. *c. 19. X. de sent. et re iud.* Non minus indeterminata idea dispensationis est, quam sibi repraesentant DVRANDVS *Spec. iur. P. I. p. 14* et BANDATVS *de dispens. p. 168.* Scilicet dicunt esse *relaxationem iuris factam cum causae determinatione ab eo, qui ius dispensandi habet*, quum 1) non ius, sed obligatio soluatur, nec 2) hoc fiat nisi in indiuiduo casu, nec 3) mentio iuris dispensantis definitionem ingredi debeat. Vitium, quod notaui, male me habuit, semperque indignatus fui eis, qui omnia consectaria suis definitionibus immiscent, quaestionesque interdum iuris et facti in eis decidunt atque problemata soluunt. Miratus sum virum, qui alioquin acutissimus sibi videbatur, in Diss. *de molendinorum pneumaticorum iure* palmarium molendini pneumatici aliquem characterem in eo posuisse, quod debeat esse exstructum ab eo, qui iure id exstruendi gaudet, Quodsi quis, cui id ius non competit, molendinum exstruat, qualis euadet creatura? Vt hoc inexcusabile factum est, ita DVRANDVS aliquo modo poterit excusari, cum eius, qui non gaudet dispensandi iure, dispensatio vires nullas sortiatur, sed hoc aliunde demonstrandum fuisset. PVFENDORFIVS *Elem. iurispr. Lib. I. Def. 13. §. 21* solutionem, et REVGER *Thes. iur. voc. dispensatio*, remissionem genus constituunt, quae non adeo absona sunt. soluitur enim obligatio et remittitur, si quis ab ea eximitur. Vltimo loco notandum est, dari, qui dispensationem cum iure aggra-

aggratiandi confundunt, in quorum classem referas RIDIGERVM in *Institut. erud. p m. 403.* Sed diuersissima sunt. Distinguas saltim tempus, factum antecedens et consequens, aut distinguas inter exemtionem ab obligatione legis, et eam, a sustinenda poena.

§. XXXVIIII.

Rescripta; Ad-et Subnotationes; Epistolae; Sanctiones pragmaticae.

Responsiones scriptae imperantis ad petita subditorum RESCRIPTORVM (a) nomine veniunt; quodsi respondeat imperans ad supplices libellos priuatorum, AD-vel SVBNOTATIONES (b); si ad magistratus, EPISTOLAE (c); si denique ad vniuersitatem, SANCTIONES PRAGMATICAE (d) vocabantur.

(a) *Rescribere* idem est ac rursus scribere, vel respondere. Indicat hoc OVIDIVS *Heroid. L. 1. 2.*

Nil mihi RESCRIBAS, *ipse veni.*

vid. CICERO *L. 1. ep. 9. ad fam. et ad Atticum L. XIII. ep. 3.* Idemque vel ex eo maxime apparet, quod prudentum responsa passim vocentur rescripta, vid. *L. 44. D. de re iud.* vbi SCAEVOLA *L. V. Respons.* rescripsisse dicitur. Atque ita natiuus huius vocis significatus prohibet, quo minus cum MERILLIO *Lib. II. obs. 24.* rescripta pro quacunque constitutione principis accipere possimus; exempla innumera Codicis, quibus Imperatores rescripsisse dicuntur, rem conficient.

(b) Priuatorum enim libellis supplicibus responsa ad-vel subscribere solebant principes ipsi, vel magistri libellorum, idque breuissimis verbis, prius initio, posterius in fine paginae fiebat; de illo testatur *L. 3. C. de diuers. rescr.* de hoc *L. 6. C. eod.* et *L. 1. C. de prec. imp. off.* Non inconcinne hoc illustrari potest ex stilo Celsissimi Iudicii Cameralis, qui ad Imperatoris nomine supplicibus libellis extraiudicialiter exhibitis deferendo, vel non, iubet subnotari: Erkannt, vel: Abgeschlagen. Libelli principi a priuato oblati specimen habes *in L. 9. D. de L. Rhod. de iactu.*

(c) Libelli magistratuum plerumque dubia continebant capita a principe soluenda, ideoque fusiori stilo opus erat,

erat, si ad illa respondendum esset, inde in epistolas responsorias degenerabant rescripta istiusmodi. Talia reperiuntur in *L. 6. §. 3. D. de Off. Proc.* de xeniis magistratibus offerendis, *L. 14. D. de Off. Prae.* D. MARCVS et COMMODVS TERTVLLIO epistola rescripserunt ad casum homicidii a furioso facti, *L. 7. pr. D. de rest. in integr.* DIVI ANTONINI epistola ad MARC. AVIDIVM Praetorem de absente non contumace in integrum restituendo reperitur. Vid. *L. 3. §. 3. D. de Test. L. 31. D. de re iud.* etc.

(d) Vid. *L. f. §. 1. C. de diuers. rescript.* vbi Imperator ZENO: *Pragmaticas praeterea sanctiones non ad singulorum preces, sed si quando corpus, aut schola, vel officium, vel curia, vel ciuitas, vel prouincia, vel quaedam vniuersitas hominum, ob caussam publicam fuderit preces, mandare decernimus.* Conf. *L. f. C. de proxim. sacror. scrin.* Dictas fuisse a pragmaticariis, qui ius suggerere et rescripta expedire solebant, non improbabile videtur. Exemplum pragmaticae sanctionis reperies in *L. 4. §. 5. D. de Off. Proc.*

§. XXXX.

Si preces, quibus obtinetur rescriptum, mendacium continent, OBREPTVM; sin defectum, qui obstabat, tacent, SVBREPTVM RESCRIPTVM dicitur (*). *Rescriptum sub- et obreptum.*

(*) *Subripere* et *obripere*, licet alias non differant, distinguit tamen ius canonicum *c. 20. X. de Rescript.* et quae id sequitur praxis. Sic v. g. Titius adiens principem precibus, immunitatem ab oneribus petens, simulque rationem subnectens, incendio, quo ciuitatis pars periit, multa se amisisse bona, quum tamen nulla amisit, impetrato priuilegio, obreptitie adeptus id dicitur. Caius obaeratus ex luxu et lusu moratorium impetrat, precibus miseriam suam querentibus, nequicquam vero de caussa eius monentibus, rescriptum subreptitium est; nunquam enim princeps hoc ipsi indulsisset, si sciuisset, eum bona sua dilapidasse; hoc enim beneficium infortunio lapsis tantum concedi solet. W. De effectu rescripti sub- et obreptitie impetrati videndi: SAM. STRYK de *falsitate precum Principi oblatarum*; in *Diss. Halens. T. I. n. 23.* et CHR. FRID. DE FRIESLEBEN Diss.

Mandato

Mandato S. C. ob exceptionem sub- et obreptionis impune non pareri. Goett. 1754. S.

§. XXXXI.

Decreta.

Rescripta decisionem causae controuersae continentia DECRETA audiunt (*).

(*) Vid. *L. 1. §. 1. D. de Const. princip.* vbi dicitur, ea, quae cognoscens Imperator decreuit, legem esse. Solebant enim principes in palatus suis consilium aliquod doctorum virorum s. ICtorum sustentare, qui caussas ipsis propositas audirent, principique quid pronunciandum esset suggererent, ceu id docet SPARTIANVS *in vita Hadriani c. 18.* id vero, quod hac ratione et ex mente ICtorum iste constituebat in casu controuerso, decretum vocabatur. Exempla habes in *L. 3. D. de his, quae in test. del.* et *L. f. D. de Hered. Inst.*

§. XXXXII.

Edictum; Mandatum.

Quicquid imperans proprio motu constituit animo obligandi omnes subditos (a), EDICTVM (b); si vero constitutio talis aliquos, aut indiuiduum concernit, MANDATVM (c) dicitur.

(a) Sc. in quantum in eos obligatio cadere potest. Ita, si princeps edixit: neminem intra quartum gradum nuptias contrahere debere, vltra eum id licere omnibus, ad eos, qui plane inhabiles sunt ad matrimonium, non pertinet. Repetantur, quae diximus de interpretatione restrictiua supra (§. XVIII. not. c.).

(b) Itane leges haec sunt? regeres; Si rem philosophice considerabis effectumque, omnino erant. Imo *L. 1. §. 1. D. de Const.* leges esse dicuntur. Sed cur nihilominus alio nomine salutatae sint hae leges et quid opus fuerit hoc fuco, videas §. XXIIII. not. a. Primus Imperatorum, qui ausus tale fuit, est VESPASIANVS, cuius edictum legimus in *L. 4. §. 6. D. de Legat.*, aperto marte magis sequutus est HADRIANVS cum successoribus.

(c) Ita praecipue magistratibus Imperatores mandabant de praesidibus datis, vid. *L. 3. D. de Off. praes. L. 19. eod.*

eod. L. 7. §. 1. D. de iur. patr., de iis ad decuriones directis vid. *L. 27. D. de poen.* Mandata erant vel secreta, vel non secreta, *L. 1. 2. C. de Mand.* Ad priora referri possunt Epistalmata, de quibus Perill. Dn. BOEHMERVS *pec. Diss.* W. *Mandatis principum*, quae Magistratibus dari solebant, id plerumque agebatur, vt potestas magistratuum, quae nimis libera, nec praesenti tempori conuenire videbatur, arctioribus limitibus circumscriberetur. IAC. GVTHERIVS *de officiis domus Augustae, L. I. c. 33. p. m. 154. sqq.* S.

§. XXXIII.

Actus a ciuibus Romanis certis iisque legibus praescriptis solemnitatibus expediundi ACTVS LEGITIMI (a); qui, si in iure (b) essent peragendi, ACTIONES LEGIS (c) dicebantur. *Actus legitimi; Actio legis.*

(a) Formulariae iurisprudentiae, qualis hic conspicitur, auctores erant ICti ac maxime Pontifices; vt apud ipsos totius iuris existeret monopolium. Egregie haec exponit omnia B. Dn. HEINECCIVS in *Or. de iurisprudentia formularia.* Erant autem solemnitatibus formulariis expedienda mancipatio, emancipatio, acceptilatio, serui optio, datio tutoris, manumissio, rel. Solemnitates, quibus hi actus expediebantur, vid. ap. BRISSONIVM *de formul. his vocibus.*

(b) Quid in iure, et quid in iudicio fieri dicatur, vid. §. CCXC.

(c) Actiones igitur legis actuum legitimorum species erant, inque eo solum differentia sita erat, quod in iure fierent, adeoque huc pertinent formulae actionum, nonnullaque not. a. recensita, datio tutoris, cessio in iure etc. Inde est, quod POMPONIVS *L. 2. §. 6. D. de Orig. iur.* ex his formulis actiones natas esse scribat. Veram actuum legitimorum legisque actionum naturam ac differentiam ignorauit GRAVINA *de LL. XII. Tabular.* Tab. LXXX. sibi persuadens, omnes actus legitimos et actiones legis in iure debuisse peragi, quem propterea notauit B. Dn. HEINECCIVS *Ant. Rom. prooem. §. 6. not. l.* W. Non satis accurate AVCTOR hunc

locum tractauit. *Legis actiones* in sensu iuris sunt lites s. vt hodie loquimur, *processus*, secundum sollemnitates, lege vel obseruantia introductas, expediendi; *actus legitimi* vero sunt omnia negotia ciuilia, secundum certas sollemnitates, lege vel obseruantia inuectas, peragenda, siue in iure id fieret v. c. cessio in iure, sive extra iudicium. Conferri ad hunc locum merentur: ERNESTI in *claue Cicer. voc. actio.* RITTER *ad* HEINECCII *inst. iur. lib.* 1. §. 46. WOLDER SCHELE *de auctoritate iudicis in variis actibus priuatorum adhibenda.* Trai. 1727. F W. PESTEL *de actibus legitimis et* HADR. STEGER *de legis actionibus et iure formulario.* S.

§. XXXXIIII.

Statutum. Quicquid ciuitas municipalis (a) constituit inter ciues legis instar valiturum (b), STATVTVM (c) f. Willkühr, Weichbild (d) dicitur.

(a) Quaenam nomine municipalium ciuitatum Romanis venerint, infra (§. DCCLXV.) videbimus; Sufficiat hic eas opponi in S. R. Imperio liberis et immediatis ciuitatibus, prouincialiumque nomine vulgari. Ciuitates enim liberae Imperii legislatoria gaudent potestate. *Art.* 8. *Instr. Pac. Westph.*

(b) Equidem obligationem vniuersalem non sortiuntur statuta ciuitatum municipalium, sed valent tantum inter ciues, atque conduntur de rebus ad se pertinentibus, v. g. administratione rerum ciuitatis, iurisdictione, *t. t. D. de administ. rer. ad ciu. pert.* quod pacto magis quam auctoritate legislatoria fit, quam alias statutorum vocabulum haud raro indigitare solet. *L. vn. C. Nemin. lic. signum Salu. c.* 1. *de renunc. in* 6*to.* vid. HORN *de confirm. statut. municipal.*

(c) Statutorum vocabulum alias generale est, constitutionesque prouinciales, vniuersitatum, familiarum etc. complectitur; hic vero specialis significatio est, ad ciuitates solum pertinens.

(d) Ingens eruditos inter agitatur controuersia de significatu etymologiaque huius vocis. Omnium, quae proferuntur, proxima veritati ea est, quam docet B. Dn. Io. ZACH. HARTMANNVS, *S. R. M. Brit. a Consil. Aul.*

Fautor

Fautor dum viueret optimus, in Progr. Kilonii 1735. euulgato, de Etymologia vocis Weichbild, scilicet compositum esse hoc nomen ex aliis duobus Wick et Weld, gewickt Beld, tractumque terrae iurisdictione munitum notare, intra quem homines certis adstringantur legibus, qualem Glossator ad *l. P. S. L. I. a. 51.* dicit: heilig Mahl. W. Varias statutorum denominationes et scripta huc pertinentia recensui in *Elem. iuris germ. priuati §. 51. sqq. p. 56. sqq.* edit. III. S.

§. XXXXV.

IVS est id, quod pro rei conuenientia tribuere licet, vel negare oportet (*). Lib. I. Tit. 5. *Ius.*

(*) Diuersimode vocabulum iuris ab ICtis accipi iam supra not. a. ad §. V. dictum. Tertius eorum, qui ibidem allegati sunt, significatus hic venit explicandus, quum ad facultates hominum morales iam deueniamus. Definitur idipsum ius communi fere consensu per *facultatem moralem lege determinatam*, in qua definitione non est, quod reprehendam; quum vero facultas illa moralis non nisi ex circumstantiis colligatur, harum mentionem omnino faciendam esse censui. Ita enim germanice dicitur: Er hat ein Recht dazu, Er hat kein Recht dazu, i. e. tribui ei hoc debet ob circumstantias apud ipsum et in re existentes. V. g. Titius habet ius eundi per fundum Caii ad praedium suum rusticum; tribuitur Titio iter, et quidem ob hanc conuenientiam: 1) Titius aliter ad praedium suum commode peruenire nequit, 2) Caius concessit ipsi soluto X. florenorum pretio. It. Meuius gaudet iure immunitatis ab inhospitatione. Quare? Est Professor. Conuenit igitur ipsi tribui, quod tribuitur aliis Professoribus, et negari, quod negatur ipsis. Auctor huius definitionis est HANSCHIVS in *princ. phil. Leibnit. p. m. 46. schol. 1.*

§. XXXXVI.

Declaratio de non vtendo iure, quod competebat, RENVNCIATIO IVRIS dicitur (*). *Renunciatio iuris.*

(*) V. g. Minori competit ius petendi restitutionem in integrum contra contractum, ex quo laesus fuerat. Quidsi

Quidsi hic maior factus declarauerit se eo iure vti nolle, h. e. se nihilominus contractum seruaturum? Renunciauit restitutioni. Sempronius, Medicinae Doctor ac Practicus, immunis est a suscipienda tutela, §. 15. *I. de Excus.* quidsi hic declarauerit, vel testatori promiserit se nolle iure excusandi vti, renunciauit eidem. W. Concinnius forte, et vt effectus renunciationis quoque exprimatur, dixeris: *Renunciationem* esse dimissionem iuris quaesiti in fauorem alterius. S.

§. XXXVII.

Fictio; legis; positiua; negatiua; translatiua.

FICTIO est repraesentatio rei sub qualitatibus, quae ipsi non competunt; si lex rem ita repraesentare permittit, FICTIO dicitur LEGIS (a); si repraesentatur res sub circumstantiis, quae non insunt ei, FICTIO POSITIVA (b); si dissimulantur circumstantiae, quae reuera adsunt, FICTIO NEGATIVA (c); quum aliud existens pro altero repraesentatur, FICTIO TRANSLATIVA (d) dicitur.

(a) Exempla in singulis speciebus videbimus. W. Adeundus omnino est T. I. REINHART *de vsu et non vsu doctrinae de fictionibus iuris.* Goett. 1735. Disertius definiri poterat, *fictionem iuris esse* legis dispositionem, qua factum aliquod, non factum esse, vel quod actu non euenit, euenisse sumitur. S.

(b) Huc referas famosam fictionem Legis Corneliae, qua in captiuitate moriens, ante quam in eam peruenisset, obiisse concipitur. *L. 22. D. de Capt.* Simili fictione in bello occisus viuere cogitatur, *pr. I. de Excus.* Conf. *L. 6. D. de magistr. conu. L. 7. D. de Statu hom. L. 26. eod. §. 4. I. de Act.*

(c) Huc pertinet fictio iuris postliminii, qua, ex seruitute, in quam bello captus ciuis Romanus inciderat, rediens, in ea nunquam fuisse repraesentabatur. *L. 25. D. de Capt.* Idem hoc exemplum et ad positiuam fictionem referri potest, si nempe fingatur talis ciuis semper in ciuitate fuisse, quod fecit TRIBONIANVS in *§. 5. I. quib. mod. ius patr. pot. solu.* Conf. *§. 1. I. eod. et §. 5. I. de Act.*

(d) Varia

(d) Varia hoc ipsum fieri potest ratione: I.) vt persona pro altera substituatur, quale exemplum est in *L. 1. §. 12. D. de Vi et vi arm.* Vbi Caio mandato Titii Sempronium de possessione deiiciente Titius ipse hoc fecisse dicitur, secundum vulgatum axioma: Quod quis facit per alios, id ipse fecisse putandus; II.) Res pro re alia repraesentetur, quorsum pertinet symbolica traditio, traditis enim clauibus, eis, quibus referandis inseruiunt, aut ea eo contenta, tradita censentur. §. 47. *I. de R. D. §. 44. eod.* Conf. *L. 1. D. de eru.* III.) Locus alius pro alio sumitur. Ita praesens habetur pro absente. *L. 124. D. de D. R. I. L. 1. §. 5. de tut. et rat.* *L. 17. §. 11. D. de iniur.* IIII.) Tempus aliud pro alio tempore; ita qui ante plures annos dolo desiit possidere, adhuc possidere creditur. *L. 131. D. de R. I. L. 1. D. de Reb. dub. L. 37. D. de R. V.*

§. XXXXVIII.

Limitationes (a) in homine, quae illum iuris cuiusdam participem reddunt, STATVS (b); Limitationes hae, si rationem habent in natura eius, NATVRALIS (c); si in facto aliquo externo, ADVENTITIVS (d) s. CIVILIS dicitur. *Status; naturalis; adventitius.*

(a) Si huic generi aliud, *qualitatis* nempe, cum Perill. Dn. BOEHMERO *Intr. Dig. Lib. I. Tit. V. §. 1.* et B. Dn. HEINECCIO *Elem. Inst. §. 19* substituere velis, perinde erit, quum limitatio qualitatem rei efficiat. Qui vero cum PVFENDORFIO *Iur. nat. et gent. L. I. c. 1. §. ..* et GVNDLINGIO in Discursu über das Natur- und Völcker-Recht spatium aliquod morale concipiunt, difficile me habebunt consentientem. Non absoluendi mihi hi videntur iniuriae Logicis illatae, qui omnes metaphoricos imaginarioque sensu laborantes terminos cane peius ac angue vitant rem aliquam definituri. W. Clarius dixeris: *Statum* esse conditionem hominis, a quo certa iura et obligationes dependent. S.

(b) Status hominum hic non limitationes eorum quascunque, quae philosophica status notio est, sed eas tantum, quae aliquod tribuunt, continet. Diuersitas

 iurium

iurium status diuersitatem facit; hinc est, quod homo, qua liber, alium statum habeat, qua ciuis, alium, et alium, qua paterfamilias. Quibus vero nulla competunt iura, ii nec statum habent. Statui synonymon est *caput*, vid. *§. 4. I. de cap. deminut.*, vnde is, qui statum non habebat, capite dicebatur minutus, *pr. I. eod.*

(c) Ita, vt quis masculus sit, hanc determinationem a natura habet; fruitur autem vt masculus iure aliquo, quod feminis non competit, v.g. quod honorum capax sit.

(d) Hanc distinctionem habet PVFENDORF. *Iur. nat. et gent. L. 1. c. 1. et de Offic. Hom. et Ciu. L. 2. c. 2.* Conf. B. Dn. TREVER. *Goettingensium olim decus, ac Fautor meus maxime venerandus,* in *annot. ad h. l.* et PVFENDORF. *Erid. Scand. p. 183. 301.* Alii aliter distinguunt, quorum omnium opiniones allegare nec vacat, nec instituti ratio permittit. Adeas WALCHIVM im philosophischen Lexico, voc. Stand.

§. XXXXVIIII.

Persona. Homo cum statu consideratus vocatur PERSONA (*).

(*) Persona natiuo suo significatu notat fictitiam faciem, s. laruam, qua vtebantur Comici, vt varium fingerent vultum pro vario, quod imitabantur, subiecto. Vid. GELLIVS *Noct. Attic. L. V. c. 7.* Indigitat hoc ipsum PHAEDRVS *Lib. 1. Fab. 7.*

Personam tragicam forte vulpes viderat,
O! quanta species, inquit, cerebrum non habet.

Hinc desumta metaphora aliis personis et rebus applicari cepit. Ita iam SENECA *c. 24.* ad hoc digitum intendit: *Non hominibus tantum, sed et rebus demenda persona est, et reddenda facies sua.* Nec inconcinnam hanc translationem fuisse, facile apparet; quem enim modo conspexisti iura ciuitatis suae defendentem Caium, eum mox videbis vt maritum potestatem maritalem defendentem, mox vt parentem bona filii aduentitia sibi addicentem. Et ita non nisi mutata persona contemplari licet Caium pro diuersitate status. Eleganter haec exponit B. HERTIVS in Diss. *de vno homine plures personas repraesentante.*

§. L.

§. L.

Status, qui aliquem participem facit iuris, quo vtuntur ii, qui ab imperio priuati non dependent, LIBERTATIS; qui vero alicui attribuit ius, quo vtuntur ciues inter se, CIVITATIS; et is, qui largitur alicui iura, quo fruuntur socii coniugalis, dominicae ac paternae societatis, FAMILIAE dicitur (*). *Status libertatis; ciuitatis; et familiae.*

(*) Hi tres status iunctim requirebantur in ciue Romano, vnus horum nempe si deficiebat, capite minutus is dicebatur. Ita enim CHREMES ap. TERENTIVM *Eun. Act. IIII. Sc. VII. v. 55. sq.* Thrasoni persuadere volens, Pamphilam capite non esse minutam, inquit:

- - *Principio eam esse dico* 1) *liberam,*
- - - 2) *Ciuem Atticam* - -
3) *Meam sororem.*

§. LI.

NASCI quis dicitur, quando incipit extra matrem existere. De quo spes est eum extra matrem aliquando exstiturum, NASCITVRVS (*) dicitur. *Nasci; Nasciturum.*

(*) Hic, quum visceribus maternis iunctus sit, continebatur enim ventre, Romani eum partem viscerum habebant.

§. LII.

Quicquid nascitur specie a solita sui generis deflectens (a) MONSTRVM (b); quicquid vero in aliqua parte integrante excedit, vel deficit, OSTENTVM (c) vocamus. *Monstrum; Ostentum.*

(a) Sic, qui vitulino aut equino capite in lucem editur homo, formamque in eo humanam deserit, monstrum erit. *L. 135. D. de V. S.* PAVLVS in *L. 14. D. de Stat. hom.* haec indicans scribit: *Qui contra formam humani generis conuerso more procreantur*, quo ipse nihil aliud, quam quod indicaui in §., voluit; In eo vero disse- re- vide-

videbitur, quod a monſtro atque oſtento prodigioſum partum diſtinguat, dum in hunc modum diſſerere pergit: *veluti ſi mulier monſtroſum aliquid*, AVT *prodigioſum enixa ſit.* Sed ſalua res eſt; Particulam *aut* copulatiuum interdum habere ſignificatum, incognitum non eſt, et cui fuerit, is adeat PRISCIANVM *Lib. XVIII. p.* 1170. Eſſe autem PAVLI hunc ſignificatum docet *L.* 38. *D. de V. S.* not. (c) alleganda.

(b) *Monſtrum* a monſtrando dictum eſſe, quaſi per id Deus aliquid ſingularis futurum, monſtrare velit, tradit SERVIVS ad VIRGILII *Aeneid. L. IIII.* ℣. 680. Eadem dicit CICERO *de Nat. Deor. L. II. c.* 3.

(c) Diſplicuit nonnullis haec dictio, cui *portenti* vocabulum ſubſtituere maluerunt, vt VLPIANVS *L.* 135. *D. de V. S.* Sed non opus erat hac mutatione, vtraque vox dum ſatis probata ſit ex CICERONE *de Nat. Deor. Lib. II. c.* 3. LABEO in *L.* 38. *D. de V. S. oſtentum* in genere omne contra naturam cuiuscunque rei genitum, huius autem duo genera voluit eſſe, vnum, *quoties contra naturam naſcitur, tribus manibus forte, aut pedibus, aut qua alia corporis parte, quae naturae contraria eſt:* alterum *cum quid prodigioſum videtur.* Sunt verba eius. PEROTTVS in *Cornu copiae Epigr. II. col.* 296. *l.* 28. *ſqq.* oſtentum, portentum, prodigioſum et monſtrum ab inuicem diſtinguit; prius futurum aliquid indicare; alterum naturale eſſe quidem, ſed futurum aliquid denunciare cum interuallo; tertium eſſe, quod ſaepius fit, malum tamen praeſagit; quartum denique, quod contra naturam fieri ſolet. Sed neque ex VLPIANO, neque ex LABEONE ac PEROTTO horum verborum ſignificatus, quatenus ICtis inſeruit, hauriri poteſt, nec ratio adeſt ſufficiens, cur ſedigitis, aliisque membrorum vitio laborantibus peculiarem aſſignemus locum, quum iisdem, quibus alii homines, fruantur iuribus, *L.* 10. §. 2. *D. de Edict. Aedil. L.* 14. *D. de Stat. hom.* quibus monſtra carent. *L.* 14. *cit.* Neque oſtenti definitio alia ex ratione allegata a me fuit, quam quo monſtri notio diſtincta euaderet magis, ac determinata.

§. LIII.

Pubertas; pubes; im- Aetas procreandi ſui ſimilem ſufficiens PVBERTAS (a); et qui eam impleuit, PVBES; qui

qui eam nondum attigit, IMPVBES; qui eam ſuperauit, PVBERTATE MAIOR; qui incipit ſufficere ad id, MINVS PLENE PVBES; qui omnino ſufficit, PLENE PVBES (b); Aetas inſufficiens ad id, vt quis explere poſſit officia ſocietatis domeſticae, INFANTIA (c); et qui eius eſt aetatis, INFANS; qui ſufficit officiis ſocietatis domeſticae explendis, INFANTIA MAIOR dicitur (d).

pubes; pubertate maior; minus plene pubes; plene pubes; Infantia; Infans; Infantia maior.

(a) In hac et ſequentibus notionibus iuridice determinandis magis ad numerum annorum, quam ad ipſam ſufficientiam reſpicitur. Etenim PROCVLEIANI olim exiſtimabant pubertatem ex habitu corporis aeſtimandum eſſe; His ſe opponebant SABINIANI annorum numerum potius amantes, quibus calculum adiecit IMPERATOR in *L. f. C. quand. tut. eſſe deſ.* ſtatuens maſculos XIIII. feminas XII. annorum puberes eſſe dicendos. Vid. *pr. I. quib. mod. tut. fin.* et TERTVLLIANVS *de Virginibus* terminum hunc vbique obſeruari ſcribit. Feminas puberes *viri potentes* dixit Imperator *pr. I. de Nupt.* item *maturas. tempeſtiuas.* Add. GELLIVS *Noct. Attic. Lib. VI. c. 3.* et *L. XII. c. 8.*

(b) Huic terminus praefixus eſt XVIII. annorum, ſi maſculi, *§. 4. I. de Adopt. §. f. I. quib. ex cauſ. manum. lic.* ſi feminae, XIIII. *L. 4. §. 1. D. de alim. et cib. leg.*

(c) Infans quidem ab eo dicitur, quod fari non poſſit, ſed eo immorari nolui; infantem dixi, cuius aetas non ſufficit explendis officiis, quae ipſi vt ſocio ſocietatis domeſticae, i. e. quae eſt inter patrem et filium, incumbunt. Nam aliis officiis exſoluendis pubes factus vix ſufficiet. Terminus finiendae infantiae temporibus, quae HADRIANI aetatem excedunt, varius fuit atque ambiguus, donec laudatus IMPERATOR in *L. 8. C. Theod. de bon. matern.* ad ſeptimum aetatis annum in vtroque ſexu eum reuocaret. Eumdem probauit THEODOSIVS IVNIOR *L. 18. pr. §. 4. C. de iur. delib.* Equidem obſtare videtur huic *L. 14. de ſponſal.* et *L. 1. 2. D. de adm. et peric. tut.*, ſed interpolatos hoc textus eſſe docte oſtendit IAC. GOTHOFREDVS *ad c. L. 8. C. Theod. de bon. matern.* Conf. PAGENSTECHERI *Ius Pegaſianum p. 36. ſqq.*

(d) Haec

(d) Haec omnia prolixiori calamo profequutus eft Io. Fr. Fara *Tract. de effentia infantis, proximi infantiae et proximi pubertati*, qui exftat in *Tractatu Tractatuum VIII.* W. Quae AVCTOR de infantibus, infantia maioribus cet. profert, tolerari poterant in compendio aliquo philofophico; a iure autem maxime aliena funt. Certe numquam ad facultatem explendi officia focietatis domefticae, in definienda infantia, eiusque gradibus, refpexerunt Romani; id tantum in oculis habentes, vtrum quis negotiis ciuilibus gerendis par effe inciperet, contrahere poffet cet. Rectiora dabit Chr. Lvd. Crell *de iure aetatis.* Vit. 1724. et *de iure infantium.* 1744. nec non H. Moller *de eo, quod iuftum eft circa varias hominum aetates.* Trai. 1732. S.

§ LIIII.

Sui et alieni iuris effe.

Qui nullius poteftati (a) fubiectus eft, SVI IVRIS (b); qui fubiectus eft poteftati alicuius coëxiftentis fubditi in focietate ciuili, ALIENI IVRIS dicitur.

(a) Poteftatis notionem vid. §. LXV.

(b) Aliam definitionem exhibet Cel. Dn. Schierschmidivs, ICtus Erlangenfis, Fautor meus fingularis, in *Elem. iur. ciu. method. fcientif. propof. p. 149. 99.*, eumque, qui iure aliquid ex actionibus vel rebus fibi propriis acquirendi gaudet, *hominem fui iuris* appellat, quam meam pariter pace eius feciffem, nifi obftitiffet exemplum filiifamilias peculium extraordinarium aduentitium pleno iure acquirentis.

§. LV.

Libertas; Liber.

Independentia actionum noftrarum ab imperio coëxiftentium in focietate ciuili LIBERTAS (*); et qui gaudet ea, LIBER eft.

(*) Non abfolutam hic intelligo libertatem, quam refpexere Persivs *Sat. V.*

> *An quis quam eft alius* LIBER, *nifi ducere vitam*
> *Cui libet, vt voluit?*

et cum Aristotele Cicero *Parad. c. 5.* quibus libertas eft poteftas viuendi, vt velis, qualis in focietate ciuili

non

non datur. Hanc potiſſimum in definitione cogitaui, proindeque definitioni, quam habent Perill. WOLFIVS *Iur. Nat. P. I. §. 153.* et Cel. KOEHLERVS *Exerc. Iur. Nat. §. 912.* addenda cenſui verba: In ſocietate ciuili coëxiſtentium. Inde eſt, quod ICtus FLORENTINVS in *L. 4. D. de Stat. hom.* et IMPERATOR *§. 1. I. de iur. perſ.* LIBERTATEM dicat *naturalem facultatem eius, quod facere libet, niſi ſi quid vi aut iure prohibetur*, et PERSIVS *℣. 89. ſq.* ſimilem limitationem addat:

Cur mihi non liceat, iuſſit quodcunque voluntas:
Excepto, ſi quid Maſuri rubrica notauit.

Quae tamen addita limitatio non ſatis apta videtur, quum hac ratione et Romanorum ſerui liberi eſſent dicendi, vti ab aliis dudum obſeruatum eſt, nec ea, quae ad remouendum hoc dubium attulit HVBERVS *Prael. ad Inſt. p. 25.* eius momenti erunt, vt propter ea mentem mutare fas ſit.

§. LVI.

Qui liber naſcitur (a), INGENVVS (b) dicitur (c). *Ingenuus.*

(a) IMPERATOR in *L. 14. C. de fideic. lib.* qui cum libertate ſolem aſpexit, inquit.

(b) *Ingenuus* idem ſignificat ac naturalis, natiuus; Sic *ingenuos fontes* eos, qui aquam ex ſuo ſcaturigine emittunt, dicit LVCRETIVS *I. 130.*, et INGENVI CRINES opponuntur capillamentis. Non igitur niſi contorta poteſt eſſe etymologia ISIDORI *Lib. VIIII. c. 4.* qui hanc ex eo repetere mauult, quod quaſi in genere, non in facto, libertatem habeant ingenui. Quamuis quidem verum ſit, quod libertas eorum non debeatur facto, ſed ipſis ea ingenita ſit, difficile tamen ex genere flectere licebit ingenuus.

(c) Vid. *pr. I. de ingen.* Hic proprius ingenuorum ſignificatus eſt. Dicebantur praeter eos ingenui, qui, licet tales non eſſent, ingenuorum fruerentur iuribus, quales erant *natalibus reſtituti*, *L. 3. D. de Natal. reſtit.* aut qui ius aureorum annulorum acceperant ab Imperatore, *L. 4 §. 6. D. de iure aureor. annul.* aut qui ingenui ſententia iudicis erant iudicati, quamuis tales non eſſent.

essent. *L. 25. D de statu hom.* W. Germanis, vsu praesertim medii aeui, *ingenuus* dictus, qui quatuor maioribus liberis editus esset. LIBELLVS MEVS *de iuribus ex statu ingenuor. in Germ. pendent c. 1. §. 2. sqq.* et GE. LVD BOEHMERI Progr. *de natalium ingenuorum probatione.* Goett, 1760. S.

§. LVII.

Seruitus; Dominus; Seruus.

Dependentia (a) actionum ab imperio in societate ciuili coëxistentis subditi (b) SERVITVS (c); Cuius ab imperio actiones alterius coëxistentis subditi in societate ciuili dependent, DOMINVS; actiones alterius imperio ita attemperans, SERVVS (d) dicitur.

(a) Seruitus est oppositum libertatis. E. per contrariam notionem erat definienda.

(b) Haec addita limitatio non omnino superflua erit; efficit enim, vt seruum a subdito distinguamus. Subditi namque actiones dependent ab imperio imperantis, hanc potestatem ciues primum per pactum in eum contulerunt, atque sic societas imperantem inter ac subditum pacto originem debet, adeoque imperans socius eius, quamuis illi aliquo modo dissimilis est, inque societate coëxistens. Domini igitur actiones aeque dependent ab imperante ac seruorum, vterque enim subditus est, Sed et seruus praeterea domino suo parebat, directionemque actionum ab eo admittebat, adeoque aeque subditi imperio suberat. W. Obscura admodum, quin falsa AVCTORIS de *seruitute* definitio. Nam si omnis dependentia ab imperio alterius membri reip. seruitus dicenda, filiosfamilias etiam seruos dici oportet, cum ipse AVCTOR §. 66. eos imperio patris obnoxios esse fateatur. Rectius ergo *seruitus* dicitur dependentia ab imperio herili, neque adeo metus est, ne quis, hac idea deceptus, subiectionem territorialem, quam omnes subditi, intuitu Principis, profitentur, cum imperio herili ac potestate dominica misceat. Conf. CHR. THOMASII Diss. *de hominibus propriis et liberis Germ.* Hal. 1701. S.

(c) Quam

(c) Quam IMPERATOR § 2. *I. de iur. perf.* exhibet ferrutis definitionem, Stoica eft, vt videre licet apud ARNOBIVM *Diff. Epict. L. II. c.* 1, *et L. III. c.* 1. PERSIVM *Sat. V.* SIMPLICIVM *Comment ad Epict. Enchirid. c.* 2. Dicitur autem *all. loc. Conftitutio* h. e. metonymice, fcilicet id, quod conftitutum eft, *iuris gentium*, nimirum fecundarii, *qua quis dominio alieno contra naturam*, i. e. naturalem libertatem, *fubiicitur*. Homines enim omnes liberos nafci, feruosque nullos, et ii intellexere, v. *L.* 4. *D. de Iuft. ac iur.* proindeque contra naturam ipfam effe eam defenderunt, v. d. MERILLIVS *Obf. L. I. c.* 15. En quanto commentario opus fit, fi notionem hanc reddere velimus diftinctam et determinatam.

(d) *Seruum* dici a feruando, in eo FLORENTINVS in *L.* 4. §. 2. *D. de Stat. hom.* POMPONIVS in *L.* 239. §. 2. *D. de V. S.* et IMPERATOR §. 3. *I. de iure perf.* conueniunt, nec minus AVGVSTINVS *de Ciuit. Dei XIX.* 15. DONATVS in *Terent. Adelph. Act. II. Sc.* 1. ISIDORVS *Etymol. VIIII.* 4. et GELLIVS *Noct. Attic. L. IIII. c.* 5 eidem accent. Scilicet. In hoftem omnia licere, quae ad finem, fecuritatem nempe noftram, faciunt, ius naturae docet, hinc ius occidendi hoftem liquet, aut capto, fi vitam ipfi feruare velimus, duriffimas licet conditiones ipfi offerentur. Hoc faciebant Romani hoftibus captis nec occafis eiusmodi feruitia imponentes; feruauerant autem hos nec tradiderant eos letho, et ab eo feruatos contracteque feruos dicebant. Ita Magus captus Aeneae genua amplexus apud VIRGILIVM *Aeneid. Lib. X.* ℣. 37. *fq.* fupplex orat:

> *Per patrios manes, per fpes furgentis Iuli*
> *Te precor, hanc animam* SERVES *natoque patrique*.

§. LVIII.

Seruus in dominio alicuius exiftens MANCIPIVM (*) dicitur. *Mancipium.*

(*) *Mancipia* dici a *manu* et *capere*, FLORENTINVS *L.* 4. *D. de ftat. hom.* et IMPERATOR §. 3. *I. de iur. perf.* fcribunt, inque hoc cum iis conueniunt DONATVS *ad Terent. Adelph. Act. II. Sc.* 1. et ISIDORVS *Etym L. VIIII. c.* 4. Conf. MENAGII *Amoen. iur ciu. p. m.* 103. Hoftes namque

que

que deuictos, quos seruare volebant, manu apprehendebant in signum dominii, *c. L. 4. D. de stat. hom.*

§. LVIIII.

Verna; Vicarius.

Seruus, ex ancilla nostra natus, VERNA (a); in peculio vero serui alterius existens, VICARIVS (b) dicitur.

(a) Quamuis Verna nonnunquam libertum denotet, vt videre est in *L. 17. D. de aur. et arg. leg.* id tamen singulare atque praeter antiquam inscriptionem illam: FORTVNATVS AVGVSTI LIBERTVS VERNA ap. BRISSONIVM difficile occurret. Alias Verna semper seruum ex ancilla nostra natum denotat; *§. 4. I. de iur. pers.* PLAVTVS *Amphitr. Act. I. Sc. 1. ℣. 13. sq.*

Qui fuerim liber, eum nunc potiuit pater
Seruitutis; hic, qui VERNA *natus est, queritur.*

(b) Serui quidem nihil proprii habebant, nisi volentibus dominis, et hoc dicebatur peculium; quodsi alii serui in peculio serui erant, dicebantur *Vicarii.* Egregie hoc declarat MARTIALIS aliquo loco,

Esse sat est seruum, iam nolo VICARIVS *esse.*

et PLAVTVS *Asinar. Act. II. Sc. 4. ℣. 27. sqq.* Leonidae serui vicarii meminit:

- - - LE. *Cui datum est?* LI. *Sticho* VICARIO *ipsi*
Tuo. LE. *i ah! delenire apparas. Scio mihi vicarium esse,*
Neque eo esse seruum in aedibus heri, qui sit pluris, quam
ille sit.

vid. *L. 17. D. de pecul. §. 17. I. de Legat.*

Errant igitur ii, qui vicarium seruum vocant eum, qui vice ordinarii serui fungitur, qua in opinione fuit HEDERICH *Antiquitat. Lexico. voc. Vicarius.*

§. LX.

Homo proprius; Rusticus.

Qui, praedio rustico in perpetuum addictus (a), domino praedii operas praestat, HOMO PROPRIVS (b) est. Qui rus colit, in genere RVSTICVS dicitur.

(a) Inde

(a) Inde dicitur glebae adscriptus eiusmodi homo proprius. W. Plerosque homines proprios glebae adscriptos esse, cum res ipsa, tum denominatio quoque: Hofhörig, Eigenbehörig cet. manifestum reddunt, de quo videndi GE. LVD. BOEHMERI Praef. ad STRODTMANNI *ius curiae litonicum*. Falsum tamen est, qualitatem hanc adscriptitiam a seruitute Germanica esse inseparabilem, cum in media adeo Germania sint homines proprii, qui glebae non adscripti et Sonderleute, Hausgenossen cet adpellantur: Rectiora dedisse mihi videor in *Elem. iur. germ.* §. 171. *sqq.* S.

(b) Vid. Perill. Dn. BOEHMERI *Diss. de imperf. libertate hom. propr.*

§. LXI.

IVS, in territorio suo vltra annum absque necessitate commorantes, potestati suae subiiciendi, WILDFANGIATVS (a) dicitur (b). *Ius Wildfangiatus.*

(a) Etymologia huius vocis dubia est; verosimile tamen videtur eam inde petitam, quod eiusmodi sine domino homo quasi fera capiatur, vnde et pecunia, quae ei, qui istiusmodi Wildfangium apprehendit ac domino territorii subiicit, soluitur, dicitur der Fahegülden.

(b) Tale ius Electori Palatino competit, quod de nouo ipsi assertum fuit contra Electorem Moguntinum, Treuirensem et socios per laudum Heilbronnense 7. Febr. 1667. Idem et hoc ius olim Rugiae principibus competiisse docet B. Dn. HARTMANNVS in spec. progr. *de iure Wildfangiatus principibus Rugiae competente*, *Kilon.* 1730. simulque de coenobio Casaurensi probat MABILLON *de re Dipl. P. I. p.* 88. W. Addere debebat AVCTOR, eos demum *Wildfangios* dici, qui vagabundi sunt, nec subsequentem corporis sui dominum habent. Churpfälz. L. O. tit. 5. p. 57. sqq. *Elem.* mea *iur. germ.* §. 218. S.

§. LXII.

Societas composita (a) sub imperio alicuius, certisque legibus vtens, CIVITAS (b); Socius huius societatis CIVIS (c); qui socius non est, PEREGRINVS (d), dicitur. Lib. I. T. 6. *Ciuitas; Ciuis; Peregrinus.*

(a) *Societas*

Societas composita. (a) *Societas composita* dicitur, quae ex pluribus simul sumtis constat, v. g. herili, paterna, coniugali.

(b) Societates dignoscuntur ex fine; Ciuitatis finis est, vt certis legibus, idque sub regimine aliquo, viuant. Pluribus hanc notionem excussam videbis in philosophicis scriptis.

(c) Vti ciuitatis notio vel latior vel angustior est, ita et ciuis aliquo respectu dicitur, quum alio possit esse peregrinus. Sic v. g. ciuis Romani Imperii quis esse potest, qui non est Saxo, et Saxo, qui non est Lipsiensis. Abusiue ciuis in *L. 1. §. 1. D. ad L. municip.* dicitur municeps, quae notio infra §. DCCLXV. veniet explicanda. Haec de ciue generatim spectato. Ciuis in specie Romanus dicebatur, qui tribu et suffragio in populo Romano, indeque oriundis iuribus gaudebat, v. g. testamenti factionis etc. VLPIANVS *Epit. Tit. 1.* CIVES ROMANOS dicit: *Libertos, qui vindicta, censu, aut testamento, nullo iure impediente, manumissi sunt.* Sed ciuium Romanorum speciem saltim definit, eorum sc., qui ex seruis ciues Romani facti sunt.

(d) *Peregrinus* dictus fuit ab agris, quos Romani ab vrbibus separabant. Hinc *peregre venire*, vom Land kommen. Vid. SOSIPATER CHARISIVS *L. 1. p. 86.* Agrum autem inter alia Romani dicebant terram bello occupatam, inde fiebat, vt peregrinum *hostem*, et eos, quibus ius ciuitatis esset ademtum, *hostes iudicatos* dicerent. FESTVS voc. *hostis.* SVETONIVS *Caesar. 80. et Claud. XVI. 25.*

§. LXIII.

Aduena. **Ciuis voluntarius ac temporarius ADVENA (*) vocatur.**

(*) Qui aduenit et abit, vnde venerat; inde et ciuis temporarius dicitur, quoniam, quamdiu in ciuitate est, legibus eiusdem viuit. Graeci eum dicunt ἄποικον, quam vocem POMPONIVS in *L. 239. §. 4. de V. S.* male vertit per *domo profugum*, quo ipso advenam vagabundum dicit, qui non est. Ἄποικος compositum est vocabulum ab ἀπὸ, procul, et οἶκος, domus, i. e. qui domicilium procul habet. Galli distinctius eum notant per verbum *aduolé*. W. Voluntarius fit aduena, vel minus, parum

parum intereſt, eum, qui v. c. Wetzlariam, inuitus licet, litem finiturus, proficiſcatur, aduena omnino habendus ſit. Rectius dixeris: *aduenam* eſſe, qui ſine animo domicilium ibi conſtituendi in vrbem ſ. pagum conceſſit. S.

§. LXIIII.

ACTIONES ALTERIVS DIRIGERE dicitur, qui ita ad eas concurrit (*), vt legibus conformentur; Qui vero actiones alterius ſibi ſubiecti ita dirigit, vt commodum ex eis in ſe redundet, IMPERARE dicitur. *Actiones alterius dirigere; imperare.*

(*) *Concurrere ad actiones* alterius dicimur, quando noſtra voluntate ad actualitatem eius aliquid conferimus. *Concurrere ad actiones alterius.*

§. LXV.

POTESTAS (a) eſt ius, quod quis in ſe, vel in perſonam aliam habet (b). *Poteſtas.*

(a) Differt a poteſtate potentia, quacum eam interdum confundi animaduerti. Haec eſt ſufficientia virium ad aliquid efficiendum, adeoque in ea minus eſt, quam in poteſtate; Non enim ei, cui ſufficiunt vires ad aliquid faciendum, ſtatim competit poteſtas, licet in latiori ſignificatu ſumta, vt etiam rebus accommodetur. Sic v. g. peregrinus opulentiſſimus apud Romanos poteſtatem teſtandi non habuit, licet habuerit potentiam. *Potentia.*

(b) Poteſtas ſtrictiori ſenſu accepta ſupponit perſonas; ſic domino competit poteſtas in ſeruum, patri in filium, marito in vxorem, magiſtratui in ſubditos, atque adeo poteſtas cum perſona connexa eſt, vnde Praetor in *L. 21. D. de noxal. act.* ſeruum, qui in fuga eſt, in poteſtate domini non eſſe dicit.

§. LXVI.

PATRIA POTESTAS eſt imperium patris in liberos (*). *Patria poteſtas.*

(*) Poteſtas eſt ius, quod quis in alterum habet (§. LXV.), E. patria poteſtas eſt ius, quod pater in alterum

rum habet. Patris vero relatum liberi sunt; et intuitu horum pater dicitur (§. LXVII.). Patria igitur potestas est ius, quod patri competit in liberos. Hoc vero in eo consistit, vt actiones liberorum dirigat, *pr. I. de Nupt.* et commoda ex illis percipiat, hoc est, per eos acquirat: *pr. I. per quos pers. cuique a quir.* Qui hoc facit, imperat (§. LXIIII.); E. patria potestas est imperium patris in liberos. Hinc est, quod THEOPHILO ea dicatur *ἄκρα ἐξουσία*, *summa potestas*, et HOMERVS *Odyss. I. ℣. 397.* patrem appellet *regem domus*. VLPIANVS vero *Fragm. IIII. 1.* eundem, *familiae principem.*

§. LXVII.

Parentes; pater; mater; liberi; filii; filiae.

PARENTES dicuntur personae, ex quibus alia existit, s. in quibus continetur ratio existentiae aliorum (*); illorum masculus PATER, femina MATER; qui existentiam suam illis debent, LIBERI, masculi FILII, femellae FILIAE vocantur.

(*) Prout ratio vel proxima, vel remota est, et strictiori et latiori significatu parentum nomen accipitur. Posteriori fauet ius Romanum, parentes inter, patrem, matrem, auum, auiam, proauum, proauiam cum omnibus maioribus numerans, *L. 51. D. de V. S.* IVSTINIANVS his addidit socrum et nouercam, *§. 6. I. de Nupt.* quod tamen vltra substratam materiam producendum non erit. Eodem significatu liberi dicuntur omnes in linea recta descendentes *L. 56. §. 1.* et *L. 220. D. de V. S.*

§. LXVIII.

Societas paterna; coniugalis; dominica; familia; perfecta; imperfecta.

SOCIETAS simplex inter patrem et liberos, PATERNA; inter maritum et vxorem, CONIVGALIS; inter dominum et seruum, DOMINICA, et ex his tribus composita, FAMILIA (*) et quidem PERFECTA; si vna earum deficit, IMPERFECTA dicitur.

(*) Multiplex et huius vocis *familiae* in iuris Romani vasto volumine significatus est. Interdum enim sub

hac

hac voce *res* intelliguntur, vti quidem v. g. hereditariae; *L. 195. §. 1. D. de V. S. L. 5. C. eod. t. t. D. et C. fam. erc.* Alio sensu venit pro serie personarum a communi stipite descendentium. c. *L. 195. §. 4. D. de V. S. L. 1. §. 19. D. de insp. ventr.* Porro absolute posito familiae vocabulo indigitantur personae liberae, exclusis seruis, *L. 11. §. 15. D. de aedil. Ed.* aut soli serui, *rubr. et t. t. D. si famil. furt. fec. dic. c. L. 195. §. 3. D. de V. S. L. 5. §. 2. D. de aedil. Edict.* quasi *famulia*, vt coniicit CLAVD. SALMASIVS *Exerc. Plin. p. 1163.* et opposita ceteri familiae, quae *domus* dicebatur, vid. APVLEIVS *p. 336. Ipse domi suae rector, ipse* FAMILIAE *dominus.* Denique vero supra in §. tradita notio familiae nomen recipit. Vid. c. *L. 195. §. 2. D. de V. S.* vbi VLPIANVS inquit: *Iure proprio familiam dicimus plures personas, quae sub vnius potestate, aut natura, aut iure subiectae, vtputa patremfamilias, matremfamilias, filiumfamilias, filiamfamilias* etc.

§ LXVIIII.

Qui imperat familiae, PATERFAMILIAS (a); vxor, quae in manum eius conuenerat (b) olim, MATERFAMILIAS (c); filius potestati patriae subiectus, FILIVSFAMILIAS, et filia, FILIAFAMILIAS appellantur. *Paterfamilias; materfamilias; filiusfamilias; filiafamilias.*

(a) Ad familiam vero pertinent serui, ancillae, vxor, liberi (§. LXVIII.), adeoque fieri potest, vt quis paterfamilias sit, qui vxorem non habet ac liberos, habet tamen in sua potestate seruos, indeque simul perspicitur, cur quilibet homo sui iuris, adeoque pupillus, paterfamilias dicatur *L. 4. D. de his, qui sui vel al. iur.*, et eamdem ob rationem paterfamilias in *L. 195. D. de V. S.* vocetur, qui in domo dominium habet.

(b) Sc. per coëmtionem ac confarreationem, vnde solemnis erat formula a marito adhibita: *Vis mihi materfamilias esse?* BOETHIVS *ad Cic. Top. III.* Manus autem potestatem notat. LIVIVS *Hist. L. 1. c. 1. Initio omnia manu a regibus gubernabantur.*

(c) CICERO *Topic. 3.* scribit: *Genus est vxor: eius duae formae, vna matrumfamilias earum, quae in manum conuenerunt, altera earum, quae tantummodo vxores habentur,* sc. per

per vſum. Eadem docent GELLIVS *Noct. Attic. Lib. XVIII. c. 6.* et VLPIANVS *Fragm. VIIII. 13.* FESTVS h. v. SERVIVS *ad Virgilii Aeneid. L. XI. L. 191. §. 2. D. de V. S.* Ab his differebant MATRONAE, quae licet quandoque cum matribusfamilias ſynonyma deprehendantur, *L. 1. §. 2. et L. 15. §. 15. D. de iniur. L. 1. §. 6. D. de ventr. inſpic. L. 41. D de R. N.* et CICERO *pro Caelio c. 13.* inquit: *Petulanter facimus, ſi* MATREMFAMILIAS *ſecus, quam* MATRONARVM *dignitas poſtulat, nominemus*; attamen, ſi a generali matronarum notione, qua quamlibet honeſtam feminam denotat, diſcedamus, ea ſpeciatim matrona dicta vxor, quae in manum mariti non conuenit. GELLIVS l. c. Hanc matrisfamilias et matronae poſitam differentiam non agnoſcit CVIACIVS *Lib. IIII. obſ. 18. ad L. 15. §. 15. D. de iniur. et L. 1. §. 2. ſq. eod.* verum minus ſufficienti ratione. Quae enim c. l. de habitu ac comite earum adferuntur, ad accidentalia referimus, quae differentiam ſubſtantialem iurium non faciunt. Nec audiendus FESTVS c. l. qui matremfamilias non prius dici vult, quam liberos patrifamilias pepererit. Hanc enim differentiam nec tradit *L. 14. C. ad L. Iul. de Adult.*

Matrona.

§. LXX.

Legitimatio.

Factum, quo liberis illegitimis ex ſuperioris diſpoſitione applicantur iura legitimorum (a), LEGITIMATIO (b) dicitur.

(a) Quinam legitimi, quinam illegitimi vocentur, expoſitum eſt §. CCCCLXXIIII., quem conferas. Princeps, vt legum auctor, eas ſolus ſoluere poteſt, iuraque eis, quibus alias non competunt, indulgere. Ita rationes ſubducit IVSTINIANVS *Nou. LXXXVIIII. pr.* Triplici autem modo hoc fieri voluere principes, et quidem 1) ſi quis concubinam, ex qua liberos ſuſceperit, in matrimonium duxerit, legitimatos eo ipſo eos eſſe conſtituit CONSTANTINVS M. *L. 5. C. de natural lib.* 2) ſi qua mulier filios illegitimos curiae addixerit, eodem iure eos frui voluit THEODOSIVS IVNIOR in *L. 3. et 4. C. de nat. lib.* (de qua legitimandi ratione eleganter expoſuit IO. WVNDERLICH *de legitimatione per oblationem curiae.* Ien. 1759.) 3) Imperans ipſe ſibi hanc facultatem

tatem seruauit, hoc priuilegio petentes ornaturus. cit. *Nou. LXXXVIIII.*

(b) Nominis ratio facillima est; illegitimus enim quoad effectum mutatur in legitime natum.

§. LXXI.

Si quis aliquem in locum filii suscipit, qui talis natus non est, ADOPTARE (a) eum; quodsi susceptus homo sui iuris est, ARROGARE (b) eumdem dicitur; atque ideo factum (c), quo quis alium in filium assumit, qui talis natus non est (d), ADOPTIO et quidem in genere; et factum, quo quis hominem sui iuris in filium assumit, ARROGATIO (e); factum, quo quis liberos in potestate patria existentes in liberos assumit (f), ADOPTIO IN SPECIE dicitur.

Lib. I. T. 7. *Adoptare; arrogare; Adoptio in genere; in specie; Arrogatio.*

(a) *Optare* idem est ac legere. VIRGILIVS *Aeneid. I. ℣. 419. et III. ℣. 109.*

OPTAVITQVE *locum regno* etc.

adeoque adoptare nil aliud est, quam ad legere, i. e. sibi eligere, quod probat illud AVSONII in *Nerua XIII.*

Nulla viro soboles, imitatur adoptio prolem,
Quam LEGISSE *iuuat, quam genuisse velit.*

idemque VOPISCVS in *Aurel. c. XIIII.* proindeque SALLVSTIVS *Bell. Iugurth. c. X. in liberos sumere* dicit.

(b) *Arrogationis* vocabulum ex duabus vocibus AD et ROGATIO compositum esse, quilibet facillimo negotio perspicit, idemque id, quod simplex innuit, denotare, videre est apud PLAVTVM. *Rudent. Act. V. Sc. 2. ℣. 45.*

- - - *Venus haec volo* ARROGET *se.*

Dicta autem fuit adrogatio a rogatione, in curiatis comitiis, in quibus peragenda ea erat, vid. GELLIVS *Noct. Att. Lib. V. c. 19.* et TACITVS *Hist. Lib. I. c. 15.* facta. Id saltim aliquo dubio premitur, vtrum a rogatione patrem filiumque adoptandum intercedente, an vero ab ea, quae ad populum directa fuit, arrogatio nomen sit sortita suum? Prius nobis persuadere vult CAIVS

Inst. L. 1. T. 7. §. 1. Ed. Oisel. et in *L. 2. D. de Adopt.* his verbis: *Quae species adoptionis dicitur arrogatio: quia et is, qui adoptat,* ROGATVR, i. e. INTERROGATVR: *an velit eum, quem adoptaturus sit, iustum sibi filium esse? et is, qui adoptatur,* ROGATVR: *an id fieri patiatur?* Cui subscribit CVIACIVS *Lib. VIIII. obs. 37.* Posterius vult GELLIVS *Noct. Attic. Lib. V. c. 19.* formulam eiusmodi rogationis exhibens: VELITIS. IVBEATIS. QVIRITES. VTI. LVCIVS. VALERIVS. LVCIO. TITIO. TAM. IVRE. LEGE. Q. FILIVS. SIBI. SIET. QVAM. SI. EX. EO. PATRE MATRE. Q. FAMILIAS. EIVS. NATVS. ESSET. VTI. Q. EI. VITAE. NECIS. Q. IN. EO. POTESTAS. SIET. VTI. PATRI. ENDO. FILIO. EST. HAEC. ITA. VTI. DIXI. ITA. QVIRITES. ROGO. Sed, vtut et pater arrogans filium arrogandum interrogauerit, necesse enim erat, vt hic auctor fieret, h. e. pateretur in alienam familiam se duci, *L. 5. D. de Adopt. L. 11. D. de his, qui sunt sui vel al. iur.* probabile tamen non est, praeliminares has quaestiones, sed potius solemniorem populi rogationem, in comitiis factam, huic nomen dedisse, exemplo *legis rogatae*, videtur, vid. FORNERIVS *rer. quot. L. 6. c. 2.* et B. Dn. HEINECCIVS *Ant. Rom. Lib. I. Tit. XI. §. 5. sq.*

(c) Si ius Romanum antiquius spectes, substituas vocabulum: *actio legis.* Talis enim adoptio erat, *L. 4. D. de Adopt.* fiebatque per aes et libram. Nouioribus vero temporibus ea esse desiit, quibus principis rescriptum suffecit. *L. f. C. de Adopt.*

(d) THEOPHILVS in *Instit. Tit. de Adopt.* eam definit: Πρᾶξιν μιμουμένην τὴν φύσιν πρὸς παίδων παραμυθίαν ἐπινενοημένην, i. e. actum legitimum imitantem naturam, ad liberorum solatium inductum: quae definitio, si eam ita dicere fas est, admodum incompleta, magisque historica descriptio est. Exempla adoptionum historiae Romanae scriptores larga manu suppeditant; Ita CAESAR AVGVSTVM Imperatorem adoptauit, et IVSTINVS IVSTINIANVM.

(e) *§. 3. I. de Adopt.* Negandum non est adoptionem et arrogationem promiscue adhiberi. Ita enim CICERO *pro domo c. 13. Quod est Pontificis ius* ADOPTIONIS, *nempe*

nempe vt is ADOPTET, *qui neque procreare iam liberos possit, et cum potuerit, sit expertus!* qui totus de arrogatione dicit. Sed tunc adoptio ponitur vt genus.

(f) Vid. *§. 1. I. de Adopt.* et *L. 1. §. 2. L. 2. pr. D. eod.*

§. LXXII.

Adoptio, quae patriam potestatem in adoptantem transfert, PLENA; quae non, MINVS PLENA dicitur (*). *Adoptio plena; minus plena.*

(*) Transfert autem ea patriam potestatem, quae fit ab adoptandi ascendente, *§. 2. I. de Adopt. et L. f. C. eod.* Inde plerumque definiri solet adoptio plena, quod sit, quae fiat ab ascendente. Verum hic sola causa efficiens determinatur, non natura eius exponitur. Desiderarunt iam olim aliquid in hac definitione MERILLIVS *Obs. p.* 198. et GVNDLINGIVS *ad Dig. Tit. de Adopt. §.* 18. in eo tamen me non habent consentientem, quod totam hanc distinctionem reiiciant, cui omnis realitas negari nequit.

§. LXXIII.

VNIO PROLIVM est pactum parentum binuborum, de liberis ipsorum diuersi matrimonii ratione successionis exaequandis (*). *Vnio prolium.*

(*) Hanc quamuis adoptionis Romanorum, vtpote in Germania infrequentioris, loco substituant plerique, ad illam tamen comparanda non est. Vnio prolium pactum est successorium, nec patriam potestatem transfert, atque vel maxime in Germania obtinuit ante iuris Romani introductionem, adeoque adoptioni substituta esse plane nequit. Conf. B. Dn. HERTII *D. de praeleg. §.* 9. W. Indolem eius, et leges, quae ipsam aut probant aut reiiciunt, deduxi in *Elem. iur. germ. §.* 487. 488. S.

§. LXXIIII.

Factum (a), quo filiusfamilias e potestate patria dimittitur (b), EMANCIPATIO (c) audit. *Emancipatio.*

(a) Romanis actio legis erat, *L. 4. D. de Adopt.* fiebat enim solemni modo, de quo consulas B. Dn. HEINECCIVM *Ant. Rom. L. I. Tit.* 12. *§. 7. sq.*

 (b) Ex-

(b) FESTVS h. v. emancipatos dicit, qui ex patris iure exierunt, quod idem est; quando vero emancipatio imaginaria quaedam liberorum venditio dicitur, eius ratio ex sequenti nota (c) petenda erit.

(c) Emancipatio nomen accepit a mancipatione, mediante qua ea olim, antiquissimo nimirum seculo, fiebat. Pater namque familias filium suum familias in dominio Quiritario habebat; hinc opus erat mancipatione ad transferendum id in alium, eiusque, qui id acquisiuerat, manumissione, si filius liberandus esset e potestate patris. Atque haec erat philosophia Romuli, quum constitueret, filium emancipandum ter venumdari et ab emtore, qui ea propter fiduciarius dicebatur, manumitti debere. Vid. *Tab. III. Leg. ant. Rom.* DIONYS. HALICARNASS. *Lib. II.* et qui instar omnium est CAIVS *Inst. L. I. Tit. VIII. §. 3. Edit. Oisel.* W. Quae auctor *de dominio Quiritario patris in filium* profert, nugae illae sunt Heineccianae, quas sibilo explosit GE. CHR. GEBAVERVS Diss. I. *de patria potestate c. 2. §. 2. sqq. p. 18. sqq.* Adde, si placet, *Elem.* mea *antiquit. iuris Rom. §. 496. sqq.* Falsum autem est, omne factum, quo quis a potestate paterna liberatur, *emancipationem* dici, cum v. c. dignitas filii, hanc potestatem soluens, emancipatio dici nequeat. Rectius dicas: *emancipationem* esse actum legitimum, quo pater expressa voluntate filiumfamilias ex potestate sua dimittit. S.

§. LXXV.

Abdicatio. Exclusio liberorum indignorum a familia a patrefamilias facta ABDICATIO (a) audiebat (b).

(a) Abdicare se aliquo notissima phrasis est, idemque significat, quod nolle id amplius suum esse. Inde abdicare hic est familia abiicere quem, vt NONIVS h. vel alienare familia, vt QVINCTILIANVS *Inst. L. III. c. 8.* scribit.

(b) Graeca consuetudo erat liberos immorigeros factoque infames e familia eiicere, id quod ἀποκηρύσσειν vel ἀπειπεῖν vocabant. Quae an et Romanis fuerit probata, insignis inter ICtos exiitit controuersia. Poste-

Posterius ex *L. 6. C. de patr. pot.* euinci posse videtur, qua IMPERATORES DIOCLETIANVS atque MAXIMIANVS *Hermogeni* rescripserunt: *Abdicationem Romanis legibus non comprobari.* Ad prius vero firmandum insigne luculentissimumque exemplum exstat in T. MANLIO TORQVATO, qui filium suum D. SILANVM aere corruptum his e familia sua exire iussit: *Cum SILANVM, filium meum, pecuniam a sociis accepisse mihi probatum sit, et republica eum et domo mea indignum iudico, protinusque e conspectu meo abire iubeo.* Refert hoc ipsum VALERIVS MAXIMVS *Lib V c.8.* Aliud exemplum habet SVETONIVS *in Vita* AVGVSTI. Componi omnis lis posse videtur, si dicamus, abdicationem non quidem legibus probatam, sed moribus inductam fuisse. Vid. B. Dn. HEINECCIVS *Ant. Rom. L. II. T. 13. §. 25. sq.* Sed alia in mentem venit controversia, anne scil. abdicatio modus soluendi patriam potestatem fuerit, adeoque hic locum inueniat aliquem? Negauit hoc ipsum HOTOMANNVS *Partit. iur. Lib. X. c.* 10. et B. Dn. HEINECCIVS *l. c.* Mihi vero, fuisse talem, licet moribus inductam, nec adeo frequentem, persuasum est, idque vt statuam, vel maxime suadent MANLII verba: *Et republica eum et domo mea indignum iudico.* Si enim conferas ea, quae de notione domus supra §. LXVIII. not. (*) disserui, atque ad id attendas, eam fuisse societatem parentes inter ac liberos, maritumque inter ac vxorem, liquido apparebit, domo exclusum patria potestate, quippe quae ex societate ista competebat, exire. Latius abdicationis vox pro quolibet modo soluendi patriam potestatem sumitur. Vid. B. Dn. CARMONII, *ICti Rostochien., Fautoris mei singularis, Dissertatio de Abdicatione liberorum.*

§. LXXVI.

RES est, cui determinata notio respondet (*). Lib. I. T. 8.

Res.

(*) Generalis haec definitio est, omnibusque, quae rebus accensentur, accommodanda. Atque ita haec sufficere posset. Quum vero quaedam earum in iure nostro personarum, aliae actionum nomine veniant, diuersisque fruantur iuribus, alia strictiori, magisque iuridico significatui quaerenda definitio erit. Est autem hoc sensu res *omne id, quod sua natura habile est, vt possit in bonis alicuius esse.* Quid dicatur in bonis esse, infra

Res in sensu iuridico.

 §. DCXXIIII.

§. DCXXIIII. expositum est. Praeiuit vero nobis CAIVS *Inst. L. II. T. 1. §. 1.* scribens: *Id, quod humani iuris est, plerumque in alicuius bonis est.* Licet enim actu non semper in bonis sint, natura tamen earum non officit, quo minus esse possint. Ita enim ara non est in bonis hominum, quum sit res sacra, verum natura eius, modus sc. compositionis, non impedit hoc ipsum, sed factum aliquod accedens, sc. consecratio, proprietati hominum eam eximit. Vulgatur alias antiquiorum definitio, quod res id sit, quod non est persona, nec actio, quae negatiua est, adeoque reiicienda. Occasionem huic dedit triplex iuris obiectum, personarum, rerum et actionum. *§. f. I. de I. N. G. et C.*

§. LXXVII.

Res nullius; pro nullius habita.

RES, quae actu in nullius bonis est, (vel quae ad τὸ suum alicuius non pertinet) dicitur nullius (a); quam in nullius bonis esse putamus, PRO NVLLIVS HABITA (b).

(a) Quinque modis hoc fieri obseruarunt antiquiores, quos vel ex ea ratione, ne cui incogniti maneant, adducere putaui. Comprehendit eos vulgatus versus:

Censura, facto, natura, tempore, casu
RES *in* NVLLIVS *dicitur esse bonis.*

1) *Censura* dicitur res nullius, quae nullius esse censetur lege, v. g. vt sunt res sacrae, sanctae et religiosae. 2) *Facto*, quam quis dereliquit, abiecit, vt in numero suorum eas esse noluerit. 3) *Natura*, h. e. statu eorum primo; Sic feras Romani dicebant res nullius, antequam caperentur; *§. 12. I. de R. D.* 4) *Tempore*, qualis est thesaurus, olim, non quidem animo abiiciendi, sed potius occultandi, depositus, iam vero domini memoriam effugiens, *§. 39. I. eod.* 5) *Casu*, qualis esse dicitur hereditas iacens, quae in patrimonio nullius est, CAIVS *Inst. L. II. T. 1. §. 1.*

(b) Titius perdidit casu horologium argenteum, Caius idipsum inuenit, nesciens, cuius idipsum sit, horologium res pro nullius habita est.

§. LXXVIII.

§. LXXVIII.

RES aut hominum dispositioni subiacent, aut non. Hae DIVINI, illae HVMANI IVRIS dicuntur (*). *Res diuini; res humani iuris.*

(*) Ita distinguunt Romani, alias res bonis hominum, alias Deorum vindicantes, CAIVS *Inst. L. II. T. 1. §. 1.* et *L. 1. D. de R. D.* ad has referentes sacras, sanctas et religiosas, de quibus §§. sqq., ad illas ceteras omnes. Conf. limata Dn. KEMMERICHII Diss. *de rebus diuini humanique iuris.*

§. LXXVIIII.

RES, publice (a) a Pontifice, vel Principe (b), consecratas (c), SACRAS; quod sacrum non est, PROFANVM (d) dixere Romani. *Res sacrae; profanae.*

(a) Non priuatim; quod enim priuatim fiebat, id profanum dicebatur. *L. 6. §. 3. D. de R. D.* GVTHERIVS *de iure Pontif. III. 12.* *Publice* autem fieri dicebatur, quod auctoritate populi, et post, Imperatorum aut Senatus, expediebatur. Vid. FABER. *Semestr. L. III. c. 1.* W. Simulac igitur *dedicatio* facta esset, res consecrata in potestatem Deorum transibat, nulliusque erat, nec alicuius fieri poterat. *L. 1. D. de interd.* Sacrae tamen esse desinebant *exauguratione* et *euocatione Deorum* s. sacrorum. *L. 9. D. de rer. diuis.* MACROBIVS III, 8. IAC. RAEVARDI *coniect. II, 17.* nec non HENR. COCCEII et IO. WILH. BERGER *de euocatione sacrorum.* S.

(b) Primum a Pontifice, penes quem omnis in sacris ordinandis potestas. *§. 8. I. de R. D.* Sequioribus temporibus a principe, vt Pontifice maximo. *L. 9. §. 1. D. de R. D.*

(c) *Consecrare* idem est, ac humano vsui exemtum Deo tribuere, vel mancipare. *L. 3. C. de bon. vac.* Consecrabantur res autem Diis superis non tantum, sed etiam inferis, semideis ac manibus, quod docent inscriptiones apud GRVTERVM *fol. DCCXXVI. et MXXXV.* et BERTHALDVS *de Ara* passim. Inde et sacrum id dicitur, quod deorum est. Vid. MACROBIVS *Saturn. L. III. c. 3.* *Consecrare.*

c. 3. Huc pertinent Templa, OVIDIVS *Fast. I, v. 609.* Fana, Delubra, de quorum discrimine optime egit GVTHERIVS *de iure Pontif. L. II. c. 3.*, Syluae Diis sacrae, arae, altaria, statuae Deorum, vasa cultui Deorum destinata, de quibus omnibus cit. GVTHERIVS. Ab his *Res sacro commendatae.* rebus sacris differebant res *sacro commendatae*, quae in templis securitatis gratia deponebantur, de quibus vid. CICERO *de Legibus L. II. c. 16.*

(d) Vid. *L. 83. D. de V. O. L. 9. C. de relig.* Dictum ab eo, quod extra fanum, vel a fano remotum esset.

§. LXXX.

Res ecclesiasticae. RES, quae in patrimonio ecclesiae est, dicitur ECCLESIASTICA (*).

(*) Vt sunt fundi, agri, domusque ecclesiis propriae, de quibus SCHOOCKIVS *de bonis ecclesiast.*

§. LXXXI.

Amortizatio; Secularisatio. Factum, quo res profana mutatur in sacram vel ecclesiasticam, AMORTIZATIO (a); quo vero res sacra vel ecclesiastica mutatur in profanam, SECVLARISATIO (b) audit.

(a) Dicitur etiam in manus mortuas collata res; manus enim possessionem notat, et manus mortua possessionem immortalem. Ecclesia namque non moritur. 4. *Feud. XIII.* Alias mortificare barbarum vocabulum notat delere, tollere; exemplo esse potest ein Mortifications-Schein, vt adeo amortizatio sit deletio ex catastro ciuitatis. BRAVN Anmerck. über die Pandecten, *Tit. de R. D.*

(b) Seculare enim opponitur sacro vel ecclesiastico; redit enim res ad seculum.

§. LXXXII.

Loca religiosa. LOCA, quae Diis manibus (a) specialim dicabantur (b), vt sepulturae hominum inseruirent, RELIGIOSA dixerunt.

(a) Vt

(a) Vt et maniabus; ita late hoc vocabulum accipiendum, notante DAVSQVEIO in *Orthograph.*

(b) Hoc docent formulae passim obuiae: DIIS. MANIBVS. SACRVM. Id vero quilibet inconsulto pontifice faciebat, dum mortuum inferret in locum suum, *§. 9. I. de R. D. L. 6. §. 4. D. eod.* quamuis, vt tolleret positum ibi cadauer, principis venia opus esset. *L. 8. D. de Relig.* Consecrata fuisse sepulcra interdum, docet GRVTERVS *Inscr. p. DCCCLXII. 5. et DCCCVII 12.* vnde non mirum, ea quandoque *sancta* dici apud EVNDEM *p. DCCC. 9. et DCCCCLVI. 8.* W. Diserte hoc probat GELLIVS IV, 9. Conf. de cetero LILIVS GREG. GYRALDVS *de sepultura ac vario sepeliendi ritu c. 5. p. m. 260. sqq.* S. H. VAN IDSINGA in *variis iur. ciu. c. 20. p. 180. sqq.* S.

§. LXXXIII.

Monimentum (a) in memoriam defuncti, loco, quo sepultus non est (b), exstructum, CENOTAPHIVM (c) dictum fuit. *Cenotaphium.*

(a) *Monimentum* omne id dicitur, quod memoriae cuius rei seruandae caussa existit. *L. 2. §. 6. D. de Relig.* *Monimentum.*

(b) Hac quidem ex ratione VIRGILIVS id tumulum inanem vocat *Aeneid. III. ℣. 301. sqq.*

Solemnes tum forte dapes, et tristia dona,
Ante vrbem in luco falsi Simoëntis ad vndam
Libabat cineri Andromache, manesque vocabat
Hectoreum ad TVMVLVM; *viridi quem caespite* INANEM;
Et geminas, causam lacrymis sacrauerat aras,

cui et ipsa Graeca nominis deriuatio τοῦ κενοταφίου fauet, petita quippe ex vocibus κενος et τάφος, inanis tumulus. Atque inde est, quod idem hoc Cenotaphium *tumulum honorarium* vocet SVETONIVS in *Vita Claudii c. 1.* Comprobat haec omnia suo calculo FLORENTINVS in *L. 42. D. de Relig.* scribens: CENOTAPHIVM *est monumentum memoriae causa factum, in quod neque corpus neque reliquiae illatae sunt.*

(c) Duo horum genera fuisse, alia, quae praeter monimentum, defuncti memoriam recolentem, nil ostenderint; alia, quibus arae simul fuerint impositae, euin-

cit IAC. GOTHOFREDVS *de Cenotaphio* §. 2. ſimulque litem inter MARCIANVM *L. 6. §. 5. D. de R. D.* auctoritate VIRGILII Cenotaphium religioſum aſſerentis c. l. not. praec. a. et VLPIANVM *L. 6. §. 1. D. de Relig.* DD. Fratr. MARCI et VERI reſcripto niſum, negantem idem, compoſuit, id quod tamen alia ratione, diſtinguendo ſcilicet tempora, tentauit B. Dn. HEINECCIVS *Ant. Rom. L. II. Tit. 1. §. 3.* (cf. BYNKERSHOECK *Obſ. L. 5.*)

§. LXXXIIII.

Res ſanctae.

SANCTAE RES dicuntur, quas violare ſpecialis lex prohibet (*).

(*) MARCIANVS *L. 8. D. de R. D. L. 9. §. 3. cit.* quales ſunt *muri*, i. e. vrbium moenia, *L. f. D. de R. D. portae, L. 3. §. 17. D. de Re mil. L. 2. D. ne quid in loc. ſac.* etc. Sanctum dictum fuiſſe a ſagminibus, vult citatus ICtus in *L. 8. §. 1. D. de R. D* Sagmen autem erat herba, verbenae noſtrae non abſimilis, in muris efflorescens. PLINIVS *Hiſt. nat. Lib. XXII. 2. et XXV. 9.* Hoc legati in capite circumgeſtabant in ſignum inuiolabilitatis. Ego potius iis accedo, qui et res ſanctas et ſagmina a ſanciendo dicta exiſtimant, atque ita quaſi ſancimina fuere. VOSSIVS *Etym. voc. Sagmina.* Sancire autem eſt docente SERVIO *Grammatico* h. v. ſanguine fuſo firmare. Ideoque ſanctum generatim inuiolabile dicitur. CICERO *Verrin. I. 2. Nihil tam* SANCTVM, *quod non violari poſſit.* Talium ſanctarum rerum exempla frequentia ſunt, tabulaque ſuſpenſa inuiolabilitas innuitur, quale fit in banno ferino et auium phaſianarum. Sed et alio ſignificatu res ſanctae dicebantur, quae Diis medioxumis eſſent conſecratae, de quibus vid. CVPER. *Obſeru. Lib. III. obſ. 16. p. 332.* et Dei Sanci mentionem facit PROPERTIVS *IIII. 10.* Conf. MENAGIVS *Amoen. iur. ciu. c. 39. p. m. 345.* W. Diſertius dici poteſt: *res ſanctas*, ſaltem ex vſu iuris hodierni, eſſe, quae vel ob ſingularem, quae domino debetur, reuerentiam, vel ob magnam, quam reipublicae praeſtant, vtilitatem, in ſingularem reip. protectionem recipiuntur, vt, qui easdem violat, feuerius puniatur; quales Germani befriedete Sachen nuncupare ſolent. *Elem.* mea *iur. germ. §. 325. p. 614 ſq.*

§. LXXXV.

RES, quae ad nos eodem modo quo ad alios pertinet, COMMVNIS eſt (*). *Res communis.*

(*) Nemo itaque eſt, qui eas ſibi ſoli vindicare, atque ab earum vſu arcere alios poſſit, quum aliis idem, quod nobis in eas, ius competit. Inde factum, vt rebus nullius eas aliquo modo accenſuerint ICti, atque eas dixerint, quae in proprietate nullius, quoad vſum vero omnium ſunt. *§. 1. I. de R. D. et L. 2. §. 1. D. eod.* Dicitur ea communio negatiua, atque in illa ſunt aer, quoniam omnium reſpirationi inſeruit, aqua profluens, olim et littora maris fuere. *c. §. 1. I. de R. D.* Huius et ſequentium definitionum ſenſus vt melius pateat, attendendum erit ad triplicem Stoicorum communionem, *maximam* ſcilicet, in qua Deos cum hominibus, *minorem*, in qua omnes homines, et *minimam*, in qua certae vniuerſitates eſſent. Inde res communes, publicae, et vniuerſitates. *Communio negatiua.*

§. LXXXVI.

RES, quae ad ſtatum vniuerſae ſocietatis ciuilis pertinent, PVBLICAS dixere (*); quae in proprietate ſingulorum ſunt, PRIVATAE vocantur. *Res publicae; priuatae.*

(*) Publicas ac communes res eadem fuiſſe, ſi veteres reſpiciamus, liquet. Ita enim non ſolum MARCIANVS in *L. 2. D. de R. D.* rerum claſſes recenſens publicas omittit, ſed et PRVDENTIVS *ad Symmachum II. 802. ſq.* hoc innuit:

> *Et* RES *ſit* PVBLICA *promtaque cunctis,*
> *Dum ſeruant elementa ſuum famulantia curſum.*

Addas NOODTIVM *Probabil. Lib. I. c. 8.* Sed ſequi oportet TRIBONIANVM in *pr. I. de R. D.* et CICERONEM *de Inuent. L. I. c. 27.* qui PVBLICVM dicit, *quod ciuitas vniuerſa aliqua de cauſa frequentat, vt ſunt ludi, dies feſtus, bellum* etc. Dictae autem res publicae ſ. populicae, quia populi eſſent. Ex mente TRIBONIANI huc referenda flumina, portus, ripae, *§. 2. 4. 5. I. cit.* Hodie principis ſunt, quae olim ad populum ſpectarunt.

§. LXXXVII.

§. LXXXVII.

Res vniuersitatis; patrimonium vniuersitatis.

RES, quarum vsus singulis sociis societatis competit, VNIVERSITATIS (a); quae vero vtilitati societatis communi destinata sunt, PATRIMONIVM VNIVERSITATIS (b) vocantur.

(a) Quorsum hodie referas puteos, furnos, pascua vniuersitatum, quibus vti licet singulis, qui nomen societati dedere, iusque iis competit peregrinos ab earum vsu arcendi. MARCIANVS in *L. 6. §. 1. D. de R. D.* vniuersitatis res descripturus ait: VNIVERSITATIS *sunt, non singulorum, veluti, quae in ciuitatibus sunt, theatra et stadia et similia, et si quae alia sunt ciuitatum*. quod verbotenus Institutionum *Tit. de R. D. §. 6.* inseruit IMPERATOR. Sed longe abest, vt MARCIANI illustratio per exempla definitio dici possit, inde tamen perspici potest, supra allatam definitionem aeque ad captum Romanorum, quam nostri aeui hominum fuisse. Sunt, qui Romanos ipsos sibi non constitisse tradunt, dum publicas res vniuersitatis, et has publicas dixerint, adeoque vtrarumque naturam eos nesciuisse; Et videbitur incusatio eorum non omni fundamine destitui, si ad ea, quae MARCIANVS *c. l. 6.* proposuit, conferas effatum CAII *Inst. L. II. Tit. 1. §. 1. vel. in L. 1. pr. D. de R. D.: Quae publicae sunt, nullius in bonis esse creduntur; Ipsius enim* VNIVERSITATIS *esse creduntur.* Huic subscribere videtur IMPERATOR in *§. 2. I. de inutil. stipul. forum* et *theatrum* ad publicas res referens, quae vniuersitatis sunt. Vid. *c. l. 6.* itemque *§. 5. I. de R. V. forum* ac basilicam iterum publicis accensens. Sed promiscue haec verba adhibuere Stoici, quippe qui minimam rempublicam maiori subesse credebant. Vid. NOODT. *Probabil. l. c.* Innumera in vasto Digestorum volumine prostant loca, quibus ciuitas dicitur res publica, v. g. *L. 1. §. 4. D. ad Ed. Aedil. L. 38. §. 1. D. de reb. auct. iud. possid. L. 1. §. 1. D. de Off. Praes.* quum tamen alio loco eaedem sibi opponantur. *L. 16. §. 9. D. Ex quib. caus.* Minus vero accurate confusionis huius auctores agere arguit VLPIANVS *L. 15. D. de V. S.* scribens: *Bona ciuitatis abusiue publica dicta sunt. sola enim ea publica sunt, quae populi Romani sunt;* et CAIVS in sequenti *L. 16.: Publica appellatio*

appellatio in compluribus caussis ad populum Romanum respicit, ciuitates enim priuatorum loco habentur. W. Germani eiusmodi bona: Allmandengüter adpellare solent. WOLFG. AD. SCHOEPF *de bonis vniuersitatum, quae Germanice vocantur* Allmanden. Tüb. 1740. S.

(b) Vt sunt fundi, serui, rel. Ita patrimonium vniuersitatis Gryphiswaldensis est praefectura Eldenauiensis.

§. LXXXVIII.

RES, quae ad effectum dominii transferendi mancipationem (a) interuenientem desiderabant (b), MANCIPI (c); quae non, NEC MANCIPI (d) vocabantur. *Res mancipi; nec mancipi.*

(a) Erat autem MANCIPATIO actus legitimus, quo res certis solemnitatibus, praesentibus sc. V. testibus, libripende et antestato, formulisque interuenientibus, alienabatur, dominiumque Quiritarium transferebatur. Haec denominationis rerum mancipi et et nec mancipi rationem in se continebat. *Mancipatio.*

(b) Hac non interueniente, dominium Quiritarium non translatum censebatur, quamuis bonis accipientis annumeraretur res, VLPIANVS *Fragm. I.* 16. et periculo suo eas quisque haberet, quod innuit PLAVTVS in *Pers. Act. IIII. Sc.* 3. *v.* 61. *sq.*

- - - - - nihil mihi opus est litibus;
Nisi MANCIPIO *accipio, quid eo mihi opus est mercimonio?*

(c) Res mancipi erant I.) *Praedia Italica* quaecunque, siue vrbana essent, siue rustica, VLPIANVS *Fragm. XVIIII.* 1. CICERO *de Orat. I.* 39. *sq.* II.) *Iura praediorum rusticorum*, itemque seruitutes. III.) *Mancipia.* IIII.) *Quadrupedes.* V.) *Hereditas.* VI.) *Filiusfamilias.* Vid. B. Dn. HEINECCIVS *Ant. Rom. L. II. T.* 1. §. 18. D. ROSSMANN, *Erlangensis ICtus, Diss. de reb. manc. nec manc.* Alii eas paulo aliter definiunt, BYNCKERSHOECK in *Parat. ad Tit. C. de Vsuc. transf.* eas *res in pretiosiori patrimonio existentes*, ISIDORVS *Orig. Lib VIIII. c.* 4. eas, *quae tractari manu, subdique possint*, HOMMELIVS *Diss. de reb. manc. nec manc.* §. 10. eas *res ab hostibus captas* dicunt. W. Vario-rum

rum de notione *rerum mancipi* ſententias expoſui, meamque adieci in *Elem. antiquit. iur. Rom.* §. 617. *ſqq.* Sunt nempe mihi res mancipi: res veterum Romanorum pretioſiſſimae, bello plerumque captae, et ad agriculturam remque militarem neceſſariae, quarum alienatio, in publicam vtilitatem, ſollemnitatibus circumſcripta, et vt publice de iis conſtaret, in tabulas cenſuales referendae. *Filiosfamilias* autem, quos AVCTOR cum BYNKERSHOECKIO rebus mancipi accenſet, nec VLPIANVS, nec quisquam veterum, in earum claſſem retulit. S.

(d) Atque ita omnes reliquae res, quae non ſunt mancipi, huc referuntur.

§. LXXXVIIII.

Res mobilis; immobilis. RES, cuius locus mutari poteſt, MOBILIS; cuius non, IMMOBILIS (a); quae vero principium mouendi in ſe ipſa habet, SE MOVENS (b) dicitur.

Motus. (a) MOTVS eſt mutatio loci; E. res mobilis, cuius locus mutari poteſt, et immobilis, cuius locus mutari non poteſt. Quum vero loci mutationis mentionem inieci, ceteras mutationes omnes excludo, adeoque, quod facere ſolent ICti, non ſolum eſſentiam rei ſaluam manere requiro, ſed et inſuper figuram. Figura eſt limes extenſionis; hic ſi aliter concipiatur, vt antea fuerat, mutata ſit figura neceſſe eſt. Illud vero ſi concipere velimus, neceſſum erit praeter locum in re aliquid mutatum cogitare. E. et figura manebit eadem. Sic v. g. fornax immobilis res eſt, licet per partes de loco in locum moueri, ibique rurſus componi poſſit. Mobiles res ſunt v. g. veſtes, libri, lecticae, ex oppoſito vero fundi, agri, aedes etc. immobiles. Hactenus ex rei natura argumentatus ſum, nunc meminiſſe oportet, me ICtum hic agere, non Philoſophum. Illis enim, quod his contradictionem inuoluit, facillimum eſt; Finguntur ab ipſis, quae non ſunt, exiſtentiae dantur, quibus eſſe repugnat, eſſentiae rerum immutabiles leuiſſimo negotio inuicem communicantur. Ponas rem mobilem, eamque deſideres fieri immobilem; impoſſibile tibi idipſum videtur; conſulas ICtos, hi impe-

imperant principibus, fiet. Et factum omnino est. Rerum immobilium species sunt mobiles destinatione perpetua loco cuidam addictae, vt sunt machinae bellicae in castris, lecti in diuersoriis, puteal etc. vid. *L. 13. in f. et 14. D. de A. E. V. L. 17. D. eod. L. 242. D. de V. S.* W. Rectius, cum communi ICtorum schola dixeris: res immobiles esse, quae, salua sui substantia de loco in locum transferri nequeunt. Aliud est, rebus immobilibus, quoad certum effectum, aequiparari, aliud, rem immobilem esse. S.

(b) Liberiori, vt par est, eoque promiscuo vsu ICtis antiquioribus vocabulum *mouentium* venit. CELSVS in *L. 93. D. de V. S.* et PAVLVS in *L. 3. §. 14. D. de acq. vel am. poss.* mobilia a se mouentibus non distinguit. Hic ex sententia NERVAE hominem et pecora mobilibus accenset, quae ad se mouentia pertinent, ille mouentium appellatione idem, quod mobilium, venire censet; at vero mox in meliorem redit viam, dum scribit, accuratius loqui, qui animalia, eo, quod seipsa possint mouere, mouentium nomine indigitari velint. FLORENTINVS in *L. 1. D. de supel. leg.* contrario plane sensu, quae nos mobilia stricte dicta appellamus, mouentia dixit, eaque animalibus opponit, *id est*, inquit, *res mouentes, non animales,* notante id MODESTINO in *L. f. §. 2. D. de requ. et damn. abs.* qui fructus mouentium nomine contineri respondit. Ex quibus omnibus apparet, antiquiores praeter CAIVM differentiam harum rerum non curasse.

§. LXXXX.

RES, quibus innata vis est locum mutandi ANIMATAE; quibus non, INANIMATAE dicuntur. *Res animata; inanimata.*

§. LXXXXI.

Compositum, vi inertiae praeditum, CORPVS s. RES CORPORALIS (a); ad quod vero concipiendum abstractione opus est, RES INCORPORALIS (b) est. *Res corporalis; incorporalis.*

(a) Omne compositum constat materia, materiae vero si accedit vis inertiae, in corpus ea euadit. Corpus vero

vero ac res corporalis ſynonyma ſunt. Omne vero compoſitum ſenſibus percipi poteſt; inde alii corporales res definiunt, quae in ſenſus incurrunt, nec male. STOICI, qui omnem ſenſationem ad tactum redigebant, atque qui hos ſequebantur ICti Romani, non poterant aliter corpora definire, quam quae tangi poſſent. §. 1. et 2. I. de reb. corp. Ita enim LVCRETIVS I. ℣. 306.

TANGERE et TANGI niſi CORPVS nulla poteſt res.

cui add. CICERO Topic. III. LACTANTIVS diuin. inſt. VII. 12. QVINCTILIANVS inſt. Orat. V. 10.

(b) Inde eſt, quod ea non exiſtere dixerint Stoici, vid. CICERO Topic. III. nec tangi poſſe; ita QVINCTILIANVS c. l. *Ius, quod eſt incorporale, apprehendi manu non poteſt.* Vid. CAIVS Inſt. L. II. Tit. 1. §. 2. Ed. Oiſel. Qui corporales res ſubſtantias, incorporales accidentia vocarunt, rem non definiunt. De his vid. Ill. Dn. GVBERI, S. R. M. Brit. a Conſil. ſanct. iuſtit., Patroni maximi, Diſſert. de act. mandat. §. 9.

§. LXXXII.

Res fungibilis; non fungibilis. RES corporalis, quae vtendo mutatur (a), vel conſumitur, FVNGIBILIS (b); quae non, NON FVNGIBILIS dicitur.

(a) Hoc ita intelligas, quae, niſi mutetur, vſui eſſe nequit, alias enim omnes res eſſent fungibiles, quum nullum exiſtat corpus, mutationi non obnoxium, ſecundum illud OVIDII Ep. ex Pont. L. IIII. ep. 10. ℣. 5. ſq.

Gutta cauat lapidem, conſumitur annulus vſu;
Et teritur preſſa, vomer aduncus, humo.

(b) Sunt res fungibiles, quae vtendo conſumuntur, h. e. e ſtatu actualitatis in ſtatum poſſibilitatis rediguntur, vt ſunt omnia eſculenta et potulenta. Sunt, quae ſenſim ſenſimque mutantur, denique vero, longoque temporis vſu, conſumuntur, v. g. lana, linum, veſtimenta quotidiana; Sunt, quae non conſumuntur, ſed tantum mutantur, atque quae noſtrae erant, fiunt alienae, vt pecunia numerata. Vides igitur rationem, cur definitioni vulgari nouam determinationem addiderim. Solemus autem pleraſque earum ad numerum, vt v. g. oua, poma; ad pondus, vt butyrum, ſaccharum; aut ad men-

mensuram, vt vinum, lac, frumentum etc. emere et vendere, indeque enata est definitio fungibilium, quod sint, quae numero, pondere ac mensura constant, *pr. I. quib. mod. re contr. obl. L. 2. § 1. D. de Reb. cred.* in qua duplex caput notandum venit. Primum, quod, si aliquo modo admittenda sit definitio, ita sit mutanda: quae ad numerum, pondus vel mensuram referre solemus. Omnia enim creata numero, pondere ac mensura constare, te docebit SALOMO in libro suo Sapientiae XI. v. 22. Alterum erit, non omnes res fungibiles referri ad pondus, numerum ac mensuram, exemplo esse possunt quotidianae vestes, licet pannus, ex quo confecta vestis, ad mensuram aestimetur. Et si haec omnia vera essent, pondus, mensura ac numerus accidentia rei sunt, quae definitionem ingredi omnino non debent. Emas v. g. frumentum per auersionem, an tum erit res non fungibilis? Sed instabis, fit tamen ordinarie, vt hae res ita vendantur, atque ex eo, quod plerumque fit, non quod raro fit, iudicandum. Bene! Sed non ita definiendum, character enim rei constanter inesse debet. Dictae autem sunt res fungibiles, quod vna earum fungatur vice alterius, v. g. mutuo tibi do florenum indiuiduum, tu mihi aliud reddis. Vid. IAC. GOTHOFREDVS *Diss. de functione in mutuo*, quae in Coll. Conradina tertia est.

§. LXXXIII.

Ea, quae legibus externis (a) determinata non sunt, RES MERAE FACVLTATIS (b) dicuntur (c). *Res merae facultatis.*

(a) Internis enim, seu praeceptis moralibus, omnia determinata sunt, neque si haec respicias, dabitur actio indifferens.

(b) Proprie loquendo locum hae res hic non sortiuntur, attamen sunt sub generali rerum notione.

(c) Vid. *Consult.* SCHIERSCHMIDIVS in *Iur. nat.* §. 171. W. Inprimis consulendus IO. GE. ESTOR *de abusu rerum merae facultatis* S.

§. LXXXIIII.

Res propria; aliena. RES externa (a), quae ad τὸ nostrum pertinet cum exclusione aliorum, PROPRIA; quae vero ad τὸ suum alterius cum exclusione nostri pertinet, ALIENA dicitur (b).

Externa res. (a) *Externa res* est, quae statum nostrum externum, i.e. qui nos in relatione cum aliis extra nos positis constituit, respicit. E. anima nostra sola externa non est.

(b) Definiri alias solet *res propria*, quod sit, quae ita ad nos pertinet, vt eodem modo ad alios non pertineat, et *aliena*, quae ad alios ita pertinet, vt eodem modo ad me non pertineat. Cogites rem, in quam Caio competit vsusfructus, tibi proprietas, an tu poteris ea vti frui, remque ita determinare, vt fructus sequatur, et anne soli Caio hoc ius competit? E. res ad Caium pertinet ita, vt eodem modo ad te non pertineat, nihilominus tibi propria, non aliena res est. Sed *pertinere* vocem solent proprietati applicare. W. Merae argutiae sunt, quas AVCTOR contra vulgatam definitionem profert. Si mihi in re Titii vsusfructus competit, non res Titii, sed eius emolumenta ordinaria, mihi propria est; nec Titio hic vsusfructus proprius: Salua ergo res est, nec noua definitione opus. S.

§. LXXXXV.

Res diuidua; indiuidua. RES, quae partibus realibus constat, DIVIDVA; quae intellectualibus, INDIVIDVA dicitur (*).

(*) Caius et Meuius emunt bouem, res est diuidua; potest enim diuidi in partes reales, vt vterque dimidium accipiat. Sempronio et Tullio legata est seruitus aquae ducendae in praedium commune, indiuidua res est, diuidi enim in partes reales non potest.

§. LXXXXVI.

Ius in re; Ius ad rem. IVS, quod nobis tribuitur, quia res aliqua nobiscum connexa est, IN REM, f. REALE

LE (*); quod vero nobis competit ob accedens factum alterius, AD REM f. PERSONALE dicitur.

(*) Emi a Caio poculum argenteum, a maioribus suis acceptum, illudque iterum amisi, inuenit Titius, vendiditque Sempronio, isque donauit Tulliae; tribuitur mihi ius vindicandi poculum mecum connexum ab eo, qui illud tenet, nullo respectu habito, vtrum Titius inuenerit, emerit Sempronius, donoque acceperit Tullia, sequor rem meam; hoc dicitur *ius in re*. Mucius commodatum a me accepit gladium argenteum, illumque se postridie redditurum promisit; Lucius furatur eumdem, Marçoque aurifabro vendit. Tribuitur mihi ius repetendi gladium meum, intercessit factum Mucii, rogauit, accepit, promisit, abstulit rem. E. a Mucio, nilque mihi iam rei est neque cum fure, neque cum aurifabro; tenente rem meam, sequor Mucium, facto suo mihi obligatum. W. Ludicrae hae *definitiones* AVCTORIS. *Ius in re f. ius in rem* est ius rem a quocumque possessore repetendi; *Ius ad rem* vero est obligatio certae personae ad rem aliquam nobis praestandam. HENR. HAHN *de iure rerum*. S.

§. LXXXXVII.

Ius nomine superioris de factis hominum cognoscendi, legesque ad ea applicandi, IVRISDICTIO (a) in genere dicitur. Romani ius a magistratu delegatum cognoscendi de factis hominum NOTIONEM (b); Ius vero cognoscendi absque applicatione cum effectu, IVRISDICTIONEM in specie dicebant. Lib. II. T. 1. *Iurisdictio; Notio.*

(a) Perill. Dn. de CRAMER *Diss. de iurisd. prorog.* §. 3. Iurisdictionem *potestatem, alicui in caussis obeundi auctoritate summi imperantis competentem*, vocat, in qua, quod notare possit, nemo deprehendet; Quae vir hic summus generalius expressit, specialius determinare, atque cum RECHENBERGIO in *Iur. nat.* hanc notionem formare placuit. Definitio DVARENI in *Comment. ad L.* 7. *D. de pact.* quod IVRISDICTIO sit *iudicis dandi licentia in*

priuatis

priuatis pecuniariisque causis. maxime particularis est, nec nisi vnicam, eamque vulgarem eius tangit partem, quae in delegando s. dando iudicem consistit. Magistratus autem Romani non semper iudices dedisse, sed et ipsosmet iudices ius dixisse, inter alia t. t. *D. de Extraord. cognitionibus* docet. Notauit hanc definitionem iam MARANVS *Paratit. p. 3.* et IDEM *de Iurisdictione II. p. 8. sq.* pluribusque eam prosequutus est B. Dn. HEINECCIVS *Diss. de Locat. Iurisd. §. 3.* Idem iudicium esto de definitione CVIACII, quam *Paratit. Dig. L. II. Tit. 1.* proposuit, quod sit *notio, iure magistratus competens.* Sed quid notio? etiamsi iure magistratus competens; numne nuda cognitio absque iure statuendi? Neque ipsa ACCVRSII definitio ita absona est, vt a multis praedicatur. Dixit IVRISDICTIONEM *potestatem de publico introductam, cum necessitate iuris dicendi et aequitatis statuendae*; licet vitiis non omnino destituatur. W. Quid iure Romano antiquo et nouo Iurisdictionis nomine designatum fuerit, exposui in *Elem. Antiquit. iur. Rom. §. 250. sq.* Hodierno iure *Iurisdictio* est ius publica auctoritate lites priuatorum cognoscendi et decidendi. S.

(b) Qualis erat iudicis a Praetore dati, qui cognoscebat saltim, non vero suo nomine pronunciabat, id quod liquet ex formula, sub qua dabatur: *Si paret - - - condemna.* Vid. *L. 99. D. de V. S.*

§. LXXXVIII.

Imperium; merum; mixtum.

Ius leges factis cum effectu applicandi IMPERIVM (a); quod si leui coërcitione fit, MIXTVM (b); si grauioris poenae applicatione, MERVM (c) dixere Romani.

(a) Ita enim Romani imperium a iurisdictione distinguebant, *L. 1. §. 1. D. de Off. Praef.* licet non negandum sit, adesse textus, in quibus synonymice adhibeatur imperium ac iurisdictio, quos collegit NOODTIVS *de Iurisd. ac Imp. L. 1. c. 2.* ii tamen regulam non constituunt. Differebat autem imperium a iurisdictione in eo, quod effectu applicandi, exsequutione, poenaeque irrogatione destitueretur, id quod ex infra subiectis notis clarius patebit.

(b) Haec

(b) Haec illud ipsum imperium est, quod cum iurisdictione confundunt, quia in potestate exsequendi consistit, mulctamque indicendi. Ansam huic dissensioni dedit PAVLVS *L. 5. §. 1. D. de Off. ei, cui mand. iurisd.* scribens: *Iurisdictionem sine modica coercitione nullam esse*, atque VLPIANVS *L. 3. D. de Iurisd.* qui *mixto imperio iurisdictionem inesse* ait. Sed vti prius facile perspicitur intellecto vero verborum PAVLI sensu, qui hic est: Iurisdictionem solam, absque exsequutione atque coercitione aliqua, finem suum nunquam obtinere, ideoque necesse esse, vt mandata alicui iurisdictione, mixtum simul imperium eidem concessum censeatur: Ita enim ille ipse in pr. h. l. haec intelligi docet, scribens: *Mandata iurisdictione, merum imperium non transire*; Sed numne mixtum? Confirmat haec IAVOLENVS *L. 2. D. de Iurisd.* his: *Cui iurisdictio mandata est, ea quoque concessa videntur, sine quibus iurisdictio explicari non potest*; ita et posterius, determinato sensu verborum VLPIANI facillime expeditur. Hunc vero non esse, quem arbitratur Cel. NOODTIVS c. l. scilicet inesse idem significare ac non differre, sed hunc putauerim: *Sub eo comprehendi*; id enim inesse ac notat. Generis natura inest speciei; Genus est iurisdictio late accepta (§. h.), mixtum imperium species est, E. mixto imperio inest iurisdictio. Cetera liquere iudico.

(c) MERVM dicitur purum, nullo alterius speciei mixtum. Ita enim merum mixto opponitur in illo MARTIALIS:

Cum peterem MIXTVM, *vendidit ille* MERVM.

Sic etiam merum ius gentium *L. 31. D. Dep.* merum factum *L. 98. §. 6. D. de solut.* dicitur, et mera conditio *L. 82. D. de cond. et dem.* VLPIANVS *L. 3. D. de Iurisd.* merum imperium dicens: *Habere gladii potestatem animaduertendi in facinorosos*, coercitionem solam exclusa cognitione innuere videtur, animaduertere enim est punire. Vid. *L. 11. D. de Off. Proc. L. 1. §. 1. D. de off. ei, cui mand. est iurisd.* At, qui ante *L. 6. D. de Off. Proc.* ipse cognitionem mero imperio vindicauerat, cum iam a contradictione liberare decet VLPIANVM. Vox *animaduertere* in iure ambigua est, et licet plerumque, non tamen semper, cognitionem excludit, immo solam cognitionem interdum innuit. Exemplo esse possunt

L. 15. §. 28. D. de iniur. et *L. 1. §. 1. D. de minor.* In significatu igitur plenissimo accipienda vox animaduertere. Maiori iure haec obuertuntur GOVEANO ad *L. 3. D. de Iurisd.* qui eam in coërcitione sola ponit. Sed aliud VLPIANI definitioni obstat, nempe quod iurisdictionem per symbolum definiat; consueuerant namque Romani iis, quibus imperium committebant, gladium tradere. SENECA *de Clem. l. 2.* W. Adde IO. LVD. ALBRECHT *de imperio mero* et GOTH. LVD. MENKENII Diss. *Imperium merum non esse iurisdictionem criminalem.* S.

§. LXXXVIIII.

Iurisdictio propria; mandata; delegata.

IVRISDICTIO, quam imperantis nomine quis exercet, PROPRIA (a); quam is, qui principis nomine eam exercet, alteri concedit totam, MANDATA (b); aut in certa aliqua caussa, DELEGATA (c) dicitur.

(a) Hanc magistratus habere dicitur suo vel proprio iure in *L. 5. D. de iurisd.*, non quod in dominio vel proprietate eius ea sit, sed quod muneris sit relatum, eidemque connexa sit, neque constitui possit magistratus, cui non concedatur iurisdictio, alias enim contradictionem inuoluit.

(b) Haec opponitur propriae; mandatarius eam enim non suo iure, sed beneficio eius, cui concessa erat, exercet, adeoque mandantis personam repraesentat. *L. 1. §. 1. D. de Off. ei. cui mand. iurisd.* Scilicet, fieri poterat, vt Praetor, Proconsul, aliusue magistratus aliunde euocaretur, quo casu necesse erat, vt alium in locum suum substitueret, qui eo absente ius diceret. Tale factum a M. AEMILIO Praetore legimus apud LIVIVM *Lib. XXIIII. c. 44.*

(c) *Delegare*, de cuius vocis latinitate immerito dubitari solet, idem est ac mandare; ita enim laborem alteri delegare CAELIVS *L. VIII. ep. 1. ad Cic.* scripsit, et *L. 32. §. 16. D. de recep. arb.* idem confirmat. Et ita delegata iurisdictio eadem erit, quae mandata? instabis. Eadem est; seruauit tamen vsus, qui iuri canonico debetur, vid. *tit. X. de Off. iud. deleg.* neque omnino refra-

gatur

gatur *T. Cod. de iud.* vt delegatus dicatur, cui non omnis iurisdictio, sed tantum in aliqua caussa mandata est.

§. C.

Cui actus iurisdictionis expediendus mandatur, COMMISSARIVS (*); et ius actum iurisdictionis nomine alterius expediendi, COMMISSIO dicitur. *Commissarius; Commissio.*

(*) Et hi stilo hodierno Commissarii dicuntur, licet delegatorum nomine veniant *c. 28. X. de Off. iud. deleg.* Committitur autem examen testium, transsumtio documentorum, ocularis inspectio, inquisitio in rationes, exsequutio, liquidatio et distributio in concursu creditorum. Haec, non prout decebat, distinguit RVLANT. *Tr. de Commissariis L. I. c. 5. n. 1.*

§. CI.

CONFIRMARE hic dicitur, qui legi quid conuenire testatur. Ius confirmandi ea, quae vnus, vel plures inter se fieri volunt, IVRISDICTIO VOLVNTARIA (a); Confirmatio haec vel cum, vel sine cognitione fit, illo casu MIXTA (b), hoc MERA (c); Ius cognoscendi de factis dissentientium inter se, iisdemque leges applicandi, CONTENTIOSA IVRISDICTIO dicitur. *Confirmare; Iurisdictio voluntaria; mixta; mera; contentiosa.*

(a) Dicitur *voluntaria*, quia omnium voluntas hic concurrit, petentium scilicet, et confirmantis. Exempla habebis notis sqq.

(b) Talis verbi gratia competebat, si quis hominem sui iuris arrogare vellet, ibi, antequam populus initio, post magistratus arrogationem confirmaret, inquirebatur in facultates arrogatoris ac arrogandi, aliaque plura. Ita et transactio super alimentis in testamento relictis, *L. 8. pr. D. de Trans.* alienatio bonorum minorum, *L. 1. D. de reb. eor. qui sub tut.* etc. nonnisi praeuia inquisitione confirmantur.

 (c) Ita

(c) Ita confirmantur testamenta, contractus, transactiones, vnde et talis confirmatio semper fit saluo iure tertii.

§. CII.

Iurisdictio prorogata. Si cui iurisdictione gaudenti, sed non in personas litigantium, ab ipsis defertur facultas cognoscendi de factis suis, legesque iisdem applicandi, IVRISDICTIO PROROGATA (*) ea vocari consueuit.

(*) Inconcinne satis hoc vocabulum, in iuris Romani volumine nullibi obuium, huic notioni accommodare ICtos, elegans obseruatio est PERIZONII *Animadu. hist. c. VI. p. 219. sq.* Prorogare enim natiuo suo significatu notat populi rogatu proferre vel producere aliquid, vid. BRISSONIVS *de Verb. signif. h. v.* adhibeturque solum de tempore, *L. 2. §. 1. 3. D. de Iud. c. L. 24. pr. D. Loc. L 19. pr. D. de Legat. 1.* ideoque prolatam vel propagatam iurisdictionem eam dicere mauult PERIZONIVS l. c. cui subscribit NOODTIVS *de Iurisd. c. XII.* Est conuentionalis.

Differt iudex prorogatus ab arbitro, qui pariter conuentione constituitur, in eo, quod ille iurisdictione, et quidem ea specie, sub quam lis cadit, gaudeat, *L. 3. C. de Iurisd. L. 61. §. 1. D. de Iud.* arbiter vero priuatus esse possit. Hinc caussa matrimonialis in iudicem secularem prorogari nequit, bene vero eius arbitrio poterit committi.

§. CIII.

Prorogatio legalis; conuentionalis. PROROGATIO, quae oritur ex praesumto consensu, LEGALIS (*); quae expresso defertur, CONVENTIONALIS est.

(*) Vt reconuentio, de qua infra.

§. CIIII.

Iurisdictio ecclesiastica. Ius cognoscendi de factis hominum, applicandique eis leges ecclesiasticas, IVRISDICTIO ECCLESIASTICA dicitur (*).

(*) Atque

(*) Atque hac ratione pro varietate legum variat iurisdictio, v. g. feudalis, criminalis, cambialis, forestalis etc.

§. CV.

Ius cognoscendi de delictis, applicandique iisdem poenas legibus praescriptas, IVRISDICTIO CRIMINALIS (*); quae vero respicit facta poenis non obnoxia, CIVILIS f. INFERIOR dicitur. *Iurisdictio criminalis ciuilis.*

(*) Et ita nostra criminalis cum mero Romanorum imperio conuenit. Illius origo dubie a iuris Germanici Doctoribus determinatur, ac in diuerso fonte quaeritur. Proponam sententiam veriorem. Lites in primitiua ecclesia exortas et delicta non ad magistratus ethnicorum ordinarios delata, sed ex consilio PAVLI *1. Cor. VI. 5. sq.* per arbitros compositas eas, haec vero a tota ecclesia poena fuisse excepta, in omnibus vero ab atrocioribus et sanguinis effusione abstinuisse eam, res notissima est. Ratio huius non vnica fuit, palmaria tamen haec, quod, qui Deum colentes verum, factiones alere, de interitu reipublicae consilia conferre, perduelles denique ac laesae maiestatis criminis rei videbantur, omnibus viribus cauerent, ne externo spectaculo immanitatis speciem praeberent. Inde factum, vt ecclesia Romana, illius vestigia curate premere curans, sanguinis effusionem a iudiciis clericorum ac ecclesiasticis exulare voluerit, *c. 6. et 30. C. 23. qu. vlt. c. 5. et 9. X. ne cleric. vel monach. secul. negot. se immisc. c. 24. X. de rapt.* hoc effectu, vt existente casu tali, clerici, vt ad se non pertinentia, aliis concedere debuerint. Germanorum antiquorum iudicia maximam partem criminalia erant, horumque accessoria ciuilia; Verum, quum ius canonicum in Germania reciperetur, factum, vt ciuilis et criminalis iurisdictio distinguerentur, huicque superioris f. altae, illi inferioris f. bassae nomen haereret. Antiquissimum huius testimonium exhibet Transactio inter Archiepiscopum Coloniensem & Episcopum Paderbornensem de Anno 1256. ap. SCHATENIVM *Annal. Paderborn. LXI.* Limites huius iurisdictionis determinare difficile est, quum pro locorum consuetu-

suetudine varient. W. Rectiorem iurisdictionis criminalis definitionem exhibet Chr. Fr. Ge. Meister in der ausführl. Abhandlung des peinl. Processes T. I. p. 38. sqq. adde Io. PAVLL. KRESS *de variis iurisdictionis criminalis in Germania generibus*. Helmst. 1730. S.

§ CVI.

Iurisdictio patrimonialis.

Iurisdictio, quae possessori praedii, vtpote connexum cum illo, competit, PATRIMONIALIS (*) dicitur.

(*) Dicitur patrimonialis, quoniam patrimonio annumeratur, atque una cum praedio emitur, venditur, transfertur. Sicque in casu venditionis praedii in computum venit. Vid. SCHWEDER *D. de modo taxandi iurisdictionem.* Natales eius omnium optime detexit B. Dn. HEINECCIVS speciali oratione *de Origine iurisd. patrim.* W. Cum Iurisdictio patrimonialis multifariam fine praedio concedatur v. c. academiis, vrbibus, singulis personis: sequitur, falsam esse AVCTORIS definitionem. *Iurisdictio patrimonialis* est, quae iure perfecto et hereditario tribuitur, atque adeo *administratoriae* ac *personali* eo ipso opponitur. Meister l. c. p. 401. sqq. Origines autem huius iurisdictionis AVCTOR cum HEINECCIO in potestate dominica collocat, quae tamen fabula a viris doctis diu explosa est. Conf. ENGELBRECHT *sp. 1. obs. 45.* LEYSER *sp. 29. m. 4.* KRESS *l. c. c. 2. obs. 5. 6.* S.

§. CVII.

Politia.

POLITIA (a) est ordinatio rerum, ad vitae necessariam et commodam sustentationem pertinentium (b).

(a) Deriuatur haec vox a Graeco πολιτεία, quod regimen ciuitatis significat, non vero, vti THOMASIVS *Obs. ad Testam. D. Melch. v. Ossen c. 1. n. 105. p. 113.* suspicatur, a Politica.

(b) Quales sunt, quae in commercio veniunt, cibus, potus etc. W. De limitibus caussarum politiae ac iustitiae consulendi D. G. Strubens Unterricht von Regierungs- und Justitzsachen c. 2. §. 7. c. 4. §. 26. GE. CHR.

CHR. SCHREIBER *de caussarum politiae et iustitiae conflictu et differentia.* Goett. 1739. S.

§. CVIII.

Tabula, edicta Praetorum referens, ALBVM PRAETORIS (*) audiebat. *Album Praetoris.*

(*) *Album* dicitur, quod tabulae dealbatae inscripta essent edicta, id quod probat PLAVTVS *Pers. Act. I. Scen. II. ℣. 21. sq.*

> *Si id fiat, nae isti faxim nusquam appareant,*
> *Qui hic* ALBO *pariete, aliena oppugnant bona.*

et *L. 7. pr. D. de Iurisd.* vbi: *Si quis id, quod iurisdictionis perpetuae causa, prout res incidit, in albo, vel in charta, vel in alia materia propositum erit* etc. et HESYCHIVS σανίδας λευκὰς eas vocat. Fallit igitur THEOPHILVS *§. 12. I. de act.* putans, album dici ab eo, quod albis litteris fuisset scriptum. Alias album denotat matriculam, f. indicem Decurionum. *L. 10. D. de Decur. t. t. D. de albo scrib.* Vid. infra §. DCCLXVII.

§. CVIIII.

ACTIO DE ALBO CORRVPTO est popularis (a) aduersus violantem edictum Praetoris (b), ad poenam D. aureorum (c). *Actio de albo corrupto.*

(a) *Actio popularis* erat, quam quilibet ex populo mouere poterat. Dabatur autem cuilibet ex populo actio de albo corrupto, quod maiestas populi, ex qua Praetoris auctoritas pendebat, esset laesa. *Actio popularis.*

(b) Vel rumpendo, frangendo, lacerando, amouendo, maculando, alioue quocunque modo.

(c) Aureus apud Romanos aequabat C. Sestertios. DIO *Lib. XV.* Quilibet Sestertius vero aequalis erat VIIII. obulis. E. aurei Romani valor erit 4. flor. 54. crucig. atque sic D. aurei = 2450. flor. Aequior tamen sententia est, quam editio vulgata et Haloandrina exhibent, quum 50. aureorum, sicque 245. flor. mentionem faciant.

§. CX.

§. CX.

Lib. II. T. 2. *Retorsio. Repressaliae.*

Applicatio iuris, ei facta, qui eodem contra nos vsus est, RETORSIO est (*).

(*) Differunt a retorsione REPRESSALIAE, quae in applicatione cuiuscunque facti, quo alter in praeiudicium nostrum vsus est, consistunt. W. *Retorsio* est compensatio iudicialis, iuris iniqui erga nos, tamquam peregrinos, constituti, *Repressaliae* vero, continent viam facti, qua iniuriam, in nos vel socios nostros commissam, erga eius auctorem imitemur, vt nobis vel sociis ius suum tribuatur. Conf. WERNHER *de iure repressaliarum inter status imperii.* L. M. KAHLE *de iustis repressaliarum limitibus.* S.

§. CXI.

Ius indigenatus, Albinagii.

Ius, quo ciues vtuntur, quod ciues eius ciuitatis nati sint, INDIGENATVS (a) dicitur. Ius vero, quo peregrini eorumque bona a iure ciuitatis cuiusdam excluduntur, ALBINAGII (b) nomine venit.

Indigena.

(a) INDIGENA enim dicitur, qui intra terminos ciuitatis, parentibus ciuibus, natus est. Intelligas ciuitatem maiorem, minorem etc. omnibus his conueniet notio.

(b) Et quidem latiori significatu. Strictius ius testamentifactionis et successionis tantum comprehendit. Vid. DOMAT *Traité des Loix, dans leur ordre naturel, Tom. I. p. 19.* propiusque origini accedit. CAROLVS enim M., quum deuictorum Trans-Albinorum aliquos in Galliam duceret, testamenti faciendi ius iisdem ademit. Dictum autem hoc ius, in Gallia quippe natum, fuit a Gallica voce *Aubain*, quod peregrinum significat. Diffudit se per varias regiones, Bohemiam scilicet, de qua THOMINGIVS *D. 26. n. 76.* Lusitaniam, de qua BEYER *ad Inst. Pos. 18. Lit. e. de iure person.* Angliam, de qua SCHVLTES *pract. quaest. P. I. qu. 6. n. 1.* immo Moscouiam, Tartariam, Turciam et Africae partem, de quibus testatur HACKMANN *de iur. Albin. c. IIII. §. 3.* In Germania quidem sublatum hoc ius est per *Auth. Omnes peregrini*

peregrini C. de success. Argentoratenses tamen nihilominus eo vsi sunt in bonis Greschen, ciuis ac cupedinarii, an. 1639. Vid. BESOLD. *Thesaur. pract. voc* Nach-steuer, diuersisque aliis in locis idem obseruatum fuit. Vid. STRYCKIVS *Vs. mod. Tit. Quod quisque iur.* etc. §. 2. W. Plures scriptores de vsu iuris albinagii indicaui in *Elem. iur. germ.* §. 222. S.

§. CXII.

Si quis litigare cum aliquo volens eum sibi obuium secum ad Praetorem duceret, IN IVS VOCARE (a) eum dicebatur. CITATIO (b) vero est vocatio ad iudicem competentem, eius iussu facta. L. II. T. 4. *In ius vocare; Citatio.*

(a) Licebat quippe cuilibet, debitorem, in platea forsan ac foro obuium, ad Praetorem vocare, nolentem vero obtorto collo rapere, cuius elegans exemplum exhibet PLAVTVS *Curcul. Act. V. Sc. 2.* Atque vel maxime ex hac ratione, quod priuata auctoritate fieret, nudae *vocationis* nomine veniebat, quum ex opposito, si praeco iudiciali auctoritate stipatus aliquem ad Praetorem vocaret, *citare* is diceretur. *In ius* vocabatur autem aliquis, non in iudicium; ea enim, quae ante litis contestationem et coram Praetore expediebantur, *in iure*, quae post eam et coram dato iudice peragebantur, *in iudicio* fieri dicebantur. Vid. infr. §. CCLXXXX.

(b) *Citare* idem est ac vocare. OVIDIVS *Heroid. ep. I.* ℣. 101:

Hinc ego me sensi noto quater ore CITARI,

scribit; NEPOS *in praef.* pro proclamare per praeconem hac voce vtitur: *Magnis in laudibus tota fuit Graecia, victorem Olympiae* CITARI. Inde Romanis citatio dicebatur: vocatio per praeconem. Citationem enim expediebat praeco, iubente quidem Praetore, *L. 7. pr. D. de in integr. rest.* atque vel in hoc capite a vocatione in ius differebat; sed nec hoc vnicum, atque solum discrimen est. Adsunt plura. In ius vocatio semel, idque, antequam lis ad Praetorem deferretur, citatio saepius, quoties scilicet opus esset, vt copiam sui iudici faceret pars litigans, fiebat, *L. 7. D. de rest. in integr. L. 73. D. de*

de Iud. *L.* 10. *D. de publ. iud.* et quae ſunt reliqua. Vid. B. HEINECCIVS *Ant. Rom. L. IIII. Tit.* 17. §. 14. *ſq.* Hanc Romanorum notionem aſſumtam a ICtis noſtroque foro accommodatam, ſed ad omnem vocationis ſpeciem extenſam eſſe, quis eſt qui non videt?

§. CXIII.

Citatio verbalis; realis.

Vocatio ad iudicem per vocem nuncii aut exhibito ſcripto facta VERBALIS CITATIO (a); Vocatio vero cum apprehenſione corporali REALIS (b) dici ſolet.

(a) Sequor ICtos, licet melior pateret via. Verbalem citationem dicunt, in qua praeter verba, ſiue ore prolata, ſiue ſcripta, nihil obſeruatur. Inde verbalis citationis multiplices oriuntur ſpecies. Aut per verbum: *Veni ad iudicem*, nuncii vocatur, et tum in ſpecie dicenda *verbalis*, qualis praeſertim in academiis, iudiciis praefecturarum, aliisque inferioribus mos obtinet, aut ſcriptum vocationis exemplar vocando per nuncium traditur, et tum *ſcripta* erit, aut recuſante eo acceptationem idem teſtibus adhibitis valuis affigitur, hoc caſu *per deteſtationem* dixere eam veteres, *L.* 39. §. 1. *L.* 40. *pr.* et *L.* 283. *D. de V. S.* aut per praeconem recitatur citatio, aut publico loco ſuſpenditur, et tum *edictalis* eſt.

(b) Sed haec magis violentam abductionem, quam vocationem ſapit. Realiter autem, ſi ita dicere fas eſt, citatur ſuſpectus de fuga. *L.* 10. §. 16. *D. quae in fraud. cred.* Graeci hanc magis diſtincto ἀνδρολυψίας vocabulo notant. Vid. POLLVX *Onomaſt. L. VIII. cap. de iud. nom.*

§. CXIIII.

Citatio generalis; ſpecialis.

CITATIO, qua quis litem ſuſcipere, ſeque, quoties opus fuerit, ſiſtere iubetur, GENERALIS (a); qua vero quis ad ſingulos actus ſeparatim vocatur, SPECIALIS (b) dicitur.

(a) Sc. citatur reus, vt litem cum actore conteſtetur, atque procuratorem conſtituat, qui ſequentes terminos obſer-

obtineat. Valde vtile hoc citationum genus est, quo multiplex vocatio euitetur. Inde formula in supremo Imperii Tribunali, Camerali Iudicio, haec est: Hierum so heischen und laden wir dich N. von Röm. Kayserl. Macht, auch Gericht und Rechts wegen hiermit auf den 60ten Tag, den nächsten nach Verkündigung dieses - - zu erscheinen - - darauf der Sachen und allen ihren Gerichts-Tagen und Terminen, bis nach endlichem Beschluß und Urtheil, abzuwarten.

(b) Sic v. g. quis citatur ad videndum iurare testes, publicari attestata, irrotulari acta etc.

§. CXV.

Citatio ad eum directa, in quem iurisdictio citanti competit, IMMEDIATA (a); in eum vero, qui eidem non paret, MEDIATA (b); LITTERAE, a citante ad citandi magistratum directae, de dimittendo hoc, REQVISITORIALES (c) dicuntur. *Citatio mediata; immediata; requisitoriales litterae.*

(a) Immediata dicitur respectu habito ad mediatam, vbi factum alterius iudicis concurrere debet, vt nota seq. apparebit.

(b) Nemo alterius circulos iurisdictionis turbare debet, lex est, sapientia et prudentia conspicua. Confusio et turbatio iurisdictionum discordias parit atque litigia, in funestissima haud raro bella versa. Interim, quum finis saepe iustitiae aliter obtineri nequeat, quam alienae iurisdictioni subiectum praesentem habere, ad confrontationem v. g. vel ob nexum caussae, personae, cohaeredis, correi &c. aliter res explicari non potest, quam vt iudex vnius iurisdictionis adeat alterum alterius iurisdictionis, et ab eo petat, vt cum citando communicet citationem, eumque dimittat. Vid. *L. 7. D. de Custod. et exhib. reor. L. 1. §. 2. D. de requ. vel abs. damn.*

(c) Vide de his elegantissimas dissertationes I. II. CHR. IAC. DE ZWIERLEIN 1) *de litteris requisitorialibus ex vsu Romanorum antiquiori et recentiori.* 2) *ex vsu Germanorum antiquiori et recentiori.* Goett. 1758. S.

§. CXVI.

§. CXVI.

Citatio peremtoria; dilatoria; arctatoria; monitoria.

CITATIO, quae in casum non factae comparitionis poenam contumaciae annexam habet, PEREMTORIA (a); quae non, DILATORIA, f. SIMPLEX; quae comparendi necessitatem imponit, ARCTATORIA (b); qua quis vocatur ad prospiciendum sibi, ne praeiudicium capiat, MONITORIA dicitur (c).

(a) *Peremtoria* vnde haec citatio dicatur, id nos docet VLPIANVS *L.* 17. *D. de Iud.* sc. quod perimat disceptationem, seu vltro non patiatur aduersarium tergiuersari, inde est, quod sub clausula: *Siue adfuerit citatus, siue minus, cogniturum ac pronunciaturum se*, eam emitteret iudex. *L.* 71. *D. cit.* Reprehendit ICtos, quod ad hunc locum duplicem citationem fingant, alteram dilatoriam, peremtoriam alteram, CVIACIVS *Lib. X. obs.* 10. atque hunc textum, quem de lite iam paene finita et sententiae matura agere sibi persuadet, aliis casibus applicandum non vult; sed contrarium patet ex *L.* 13. §. 11. *C. de Iud.* et PAVLI *Libr. Sent. V. Tit.* 5. Citatur autem quis peremtorie, postquam bis simpliciter citatus non comparuit, *L.* 1. *L.* 9. *C. quomod. et quand. iud. L.* 53. *D. de re iud.* aliquando tamen, quod plerisque foris Germaniae summisque Imperii Tribunalibus familiare est, vna citatio vim trium continet, vid. *L.* 53. *et* 71. *D. de re iud.* cui obstare videtur *L.* 55. *D. de Iud.* et *L.* 70. *D. eod.* Prior ex se ipsa conuellitur, dum tertio edicto omnem numerum finitum esse docet, exemplum hoc singulare in consequentiam trahi non vult. Posteriorem ita emendandam esse, vt verba: *Quibus propositis*, praeponantur verbis: *et tertium*, censet NOODTIVS *Obs. L.* 1. *c.* 8.

(b) Sc. si quis v. g. citatus ad recognoscenda documenta non comparet, documenta in contumaciam habentur pro recognitis.

(c) Sc. si quis citatus ad videndum iurare testes, libertati eius relinquitur, vtrum comparere velit, an minus; sibi enim hoc casu, non alii praeiudicat.

§. CXVII.

Litigare; Lis.

Quando alter iure sibi competere, vel legitime a se factum quid dicit, alter negat, LITIGARE (a) dicuntur. Contradictio igitur circa iura competentia, vel factorum iustitiam LIS (b) est, s. CONTROVERSIA.

(a) Ill. Dn. ab ICKSTADT *Elem. iur. nat. Lib. III. c. 1. §. 13. sq.*

(b) Litis vocabulum, licet qualemcunque actionem interdum notet; *L. 36. D. de V. S. L. 4. D. de Iud. L. f. C. ut intra cert.* frequentius tamen pro ipsa contradictione duorum vel plurium venit. VARRO *de Lingu. lat. L. 6.* rem in controuersiam deductam litem vocat, litemque ac rem synonyma saepe inuenies. Exemplum erit in *L. 6. D. de suis et leg. hered.* Conf. NOODTIVM *de pact. c. 3.*

§. CXVIII.

Litispendentia.

Status controuersiae, quo ea iudici subiecta efficitur, LITISPENDENTIA dicitur.

§. CXVIIII.

Cautio; iuratoria; promissoria; pignoratitia; fideiussoria.

Promissum, de praestanda securitate ab imminente vel possibili laesione, acceptatum, CAVTIO (a); Promissum eiusmodi iuratum IVRATORIA CAVTIO (b); non iuratum CAVTIO PROMISSORIA; si res quaedam in euentum laesionis obligatur, PIGNORATITIA; si tertius obligationem promittentis in se suscipit, FIDEIVSSORIA CAVTIO, s. SATISDATIO (c) dicitur.

(a) *Cauere* est sibi prospicere. *L. 3. D. de Transf. L. 1. D. de A. E. V. L. 73. D. de D. R. I.* Hinc cautio dicitur, qua alteri quocunque modo prospicimus. *L. 188. D. de V. S.* Alias cautionis significationes iam mitto. W. Generatim *cautio* est remedium futurae securitatis. Conf. GE. HENR. AYRER *de cautione a bonorum immobilium possessore haud exigenda §. 1.* S.

 (b) Ita

(b) Ita quidem, quod ad essentiam huius cautionis attinet, nam quod iuratoriam cautionem praestans insuper iurare debeat, se nec, quas in pignora det res, possidere, nec fideiussorem inuenire posse, accidentale est.

(c) SATISDATIO, (quae alio loco *satispraestatio* dicitur) *L. 8. D. de Vsufr. ear. rer. quae vs. consum.* inquit CAIVS *L. 1. D. qui satisd. cog. eodem modo appellata est, quo satisfactio. Nam vt satisfacere dicimur ei, cuius desiderium implemus, ita satisdare dicimur aduersario, qui pro eo, quod a nobis petiit, ita cauit, vt eum hoc nomine securum faciamus datis fideiussoribus.* Qui enim datis fideiussoribus cauebat, *satis*, h. e. tantum, quantum ab eo desiderari potest, *dedisse* existimabatur, fideiussores enim regulariter in indefinitum, et quantum opus erat, dabantur, sicque de laesione satis erat prospectum. Nonnunquam, improprie tamen, satisdationis nomen aliis cautionum speciebus tributum inuenies in *L. 45 D. de proc. L. 21. §. 2. D. de pec. const. L. 56. pr. D. de Euict. L. 1. §. 5. D. de praet. stipul. L. 49. D. de solut.*

§. CXX.

Lib. II. T. 6. *Cautio de iudicio sisti; de iudicato soluendo; Vadimonium.*

Qui promittit se praestiturum securitatem a laesione, quae ex alterius non comparitione metuitur, DE IVDICIO SISTI; qui vero promittit se praestiturum securitatem a laesione, quae ex eo, quod alter non pareat sententiae, metuitur, IVDICATVM SOLVI CAVET (a). SATISDATIONEM de iudicio sisti Romani VADIMONIVM (b) vocabant.

(a) IMPERATOR *pr. I. de Satisd.* dicit: Satisdationem iudicatum solui esse, quum quis stipulanti, vt sibi solueretur, quod sibi fuisset iudicatum, datis fideiussoribus promittit. Solui autem idem est ac solutum iri. Conf. §. DCCXXXI.

(b) Vadis notionem infra §. DCCXVII. excutiam; hic sufficiat notasse eam denotare fideiussorem. Inde vadimonium. Edita nimirum in iure et a Praetore impetrata actione actor cautionem de iudicio sisti a reo postulabat, s. quod idem, eum *vadabatur*. v. PLAVTVS *Pers. Act. II. Sc. 4. v. 18.* et SIGONIVS *de Iudic. L. 1. c. 20*

quam

quam ſi per fideiuſſores daret reus, *vadimonium promittere* dicebatur, VARRO *de Lingu. lat. Lib. V.* GELLIVS *Noct. Att. Lib. VII. c. 1.* quo facto dimittebatur, et praefixa ipſi die, qui pereadinus erat, vel aderat, vel emanebat; priori caſu *vadimonium obire.* CICERO *pro Quinto.* ſ. *vadimonium ſiſtere,* APVLEIVS *de Aſin. aur. L. 9.* poſteriori vero caſu illud *deſerere* dicebatur. SALMASIVS *de modo vſur. c. XVI. p. 692.* vadimonium itionem in ius vocat. Ceterum notandum, vadimonii vocabulum, frequens maxime in foris Romanis, nuſquam in integro Digeſtorum volumine occurrere; Tribonianum id ſtudio expunxiſſe putat B. Do. HEINECCIVS *Ant. Rom. L. IIII. Tit. VI. §. 20. not. p.* W. Meliora dabit CHR. FRID. GE. MEISTERVS Diſſ. *vindex et vas;* in *ſylloge ſelector. opuſc. p. 269. ſqq.* S.

§. CXXI.

Si poſt litem conteſtatam, alteruter litigantium ei ſe ſubduceret, EREMODICIVM (*) dicebatur. Lib. II. T. II. *Eremodicium.*

(*) Ratio denominationis in aprico eſt, ἐρήμη δίκη enim, Graeca vocabula, deſertam litem ſignificant; adeoque inepte ſatis additur DESERTVM vocabulum, id quod ipſae voces implicant; melius dicitur *contrahere eremodicium* in *L. 13. §. 3. C. de Iud.* Errant et illi, quorum ingens numerus eſt, qui vadimonii deſertionem cum eremodicio confundunt, quum tamen prius ad reum, poſterius ad vtrumque pertinuerit. Vid. *c. L. 13. §. 3. pr. et 4. C. de Iud.* W. Conf. ſi lubet, *Elem.* mea *antiquit. iur. Rom. §. 315. ſqq.* S.

§. CXXII.

Qui id, quod competens iudex fieri vult, facere doloſe recuſat, CONTVMAX dicitur. CONTVMACIA (*) igitur eſt doloſa eius, quod competens iudex fieri vult, denegatio. *Contumax; Contumacia.*

(*) Contumaciam natiuo ſuo ſignificatu ſuperbiam notare, elegans locus MARTIALIS euincit; ita enim ille *Lib. II. Epigr. 68. ſq.*

Quod te nomine iam tuo ſalutem,
Quem regem et dominum iam prius vocabam.
Ne me dixeris eſſe CONTVMACEM.

Ideoque non inepta etymologia CVIACII *Lib. XVIII. obſ.* 30. eſt, qua eam a contemnendo dictam putat. Confirmat eamdem *L.* 53. *D. de re iud.* mox alleganda. Exſerit autem ſe contumacia variis modis, et licet Doctores duplicem eam faciant, ſcilicet 1) *in non comparendo,* quam intelligit HERMOGENIANVS, quando *L.* 53. *D. de re iud.* contumacem dicit, *qui tribus edictis propoſitis, vel uno pro tribus euocatus, praeſentiam ſui facere* CONTEMNIT; et 2) *in non reſpondendo,* de qua VLPIANVS *L.* 11. *§.* 4. *D. de Interrog. in iur. fac. nam, qui omnino non reſpondet, contumax eſt*; Attamen et aliae contumaciae ſpecies, eaeque frequentes ſunt, ſub his non comprehenſae, ſcilicet 3) *in non faciendo*, quod iudex fieri vult, et 4) *in faciendo*, quae iudex non fieri vult. Ita v. g. quando Camera Imperialis Imperatoris nomine mandatum de ſoluendo vel dimittendo hypothecam ſine clauſula, vel mandatum de non contraueniendo priuilegio Caeſareo S. C. decernit, atque reus praefixo termino paritionem non docet, contumax habetur, atque contra eum in contumaciam proceditur. W. Indolem contumaciae eleganter expreſſit IVST. HENN. BOEHMER in Diſſ. *de contumacia non reſpondentis T. II. exerc. ad Pand. p.* 72. *ſqq.* S.

§. CXXIII.

Contumacia vera; praeſumta.

Si de dolo non parendi ex confeſſione non parentis conſtat, CONTVMACIA VERA (a); ſi is ex ſignis legibus praeſcriptis ſaltem apparet, PRAESVMTA (b) dicitur.

(a) Si quis dixerit: Se nolle venire, obedire etc.
(b) Si quis ordine iuris citatus emanſerit.

§. CXXIIII.

Legitima impedimenta.

Ratio ſufficiens non comparitionis coram iudice LEGITIMORVM IMPEDIMENTORVM nomine venit (*).

(*) Citatur aliquis ad iudicem et non comparet. Ratio non comparitionis eſt morbus, quocum conflicta-

flictatur; ratio autem haec sufficiens est; sufficit enim ad liberandum eum a poena contumaciae. Nam *L.* 2. *§.* 3. *D. Si quis caut.* etc. hoc expresse statuit. Vides ergo, ex quanam ratione impedimenta *legitima* vocentur, quod sc. legibus probentur. W. *Impedimentorum legitimorum* (Ehehaften) naturam et originem eleganter exposuit Io. WILH. HOFFMANN *de legitimis impedimentis in iure germ.* Vit. 1736. S.

§. CXXV.

Dies, quibus iurisdictio non exercetur, FERIAE (a) dicuntur (b). Lib. II. Tit. 12. *Feriae.*

(a) *Ferias* a feriendis victimis nomen esse sortitas suum, originemque supplicationibus debere, haud inanis coniectura est FESTI *h. v.* Declarat hoc VALERIVS MAXIMVS *L. II. c. 2. n. 9.* scribens: *Facto sacrificio, caesisque capris, epularum hilaritate et vino largiore prefecti, diuisa pastorali turba, cincti pellibus immolatarum hostiarum, iocantes obuios petiuerunt: cuius hilaritatis memoria annuo* FERIARVM *circuitu repetitur.*

(b) In his iudicialia negotia non peraguntur, partim, quod iudex ius dicere prohibeatur, vt in feriis diuinis, partim, quod litigantes, vt compareant, cogi non possint, vt in feriis humanis. Referebant autem Romani ferias ad dies, quos nefastos vocabant, oppositos fastis, de quibus VARRO *de Lingu. lat. L. V. c.* 4.: *Dies fasti, per quos Praetoribus omnia verba sine periculo licet fari. Dies nefasti, per quos nefas fari Praetorem Do, Dico, Addico.* Nec feriae solae nefastorum conficiebant numerum. GELLIVS *Noct. Att. Lib. V. c.* 17. W. Rem omnem disertius exprimit nobilis locus OVIDII *Fastor. I.* 45. *sq.*

§. CXXVI.

Si iurisdictio propterea non exercetur, vt cultui diuino inseruiant homines, FERIAE DIVINAE (a); sin negotiis perfectionem hominum respicientibus, HVMANAE (b): Feriae, in statum tempus incidentes quotannis, *Feriae diuinae; humanae; solemnes; repentinae; intercisi dies.*

SOLEMNES (c); extra ordinem indictae, REPENTINAE (d); Dies denique quoad dimidiam feriati INTERCISI (e) dicuntur.

(a) Tales sunt Dominici dies, *L. 11. §. 1. C. de feriis*, aliique in honorem summi numinis constituti.

(b) Huc referas ferias messium ac vindemiarum, nundinarum etc. *L. 1. pr. L. 4. D. L. 7. C. de fer.*

(c) V. g. dies natalis vel onomasticus Imperatoris.

(d) V. g. ob victoriam, vel rem ab Imperatore optime gestam, vnde et *imperiales* dicebantur. *L. 26. §. 7. D. ex quib. caus. mai.*

(e) De quibus OVIDIVS *Fastor. I. 47.*

Nec toto perstare die sua iura putauit,
Qui iam FASTVS *erit, mane* NEFASTVS *erat.*

Hi, si diuinas ferias spectes, dicuntur Halbfeyer, quales in nonnullis Euangelicorum terris dies Apostolici, viridium et tertia Paschatis, Pentecostes ac Natiuitatis Christi sunt.

§. CXXVII.

Iustitium; necessarium; voluntarium.

Tempus, quo plane cessant iudicia, IVSTITIVM (a); cui si turbulentus reipublicae status occasionem dedit, NECESSARIVM, s. SVMTVM (b); si princeps sponte indixit, VOLVNTARIVM (c) dicitur.

(a) Inde iuris interstitium quasi et cessationem, vt nihil his diebus agi possit, iustitium dicit GELLIVS *Noct. Att. L. 20. c. 1.* et TERTVLLIANVS *de resurr. carn.* quietem rerum vocat, de quo PEDO ALBIANOVANVS in *eleg. de morte Drusi.*

Iura silent mutaeque iacent sine vindice leges,
Aspicitur toto purpura nulla foro.

(b) Hac ratione, belli furore omnia deuastante, aut peste ingrauescente, iudicia clausa docet LIVIVS *Lib. IIII. c. 31. et XXXIIII. 26.* De iustitio ob famem scribit DIO *Lib. VI.* Neque iustitium magnum Camerae Imperialis, et internis dissidijs ortum hoc seculo, omnium memoriam effugit.

(c) Hoc

(c) Hoc vel ob luctum publicum fit, quale CALIGVLA defuncta DRVSILLA indixit, de quo SVETONIVS *Caligul. c. 25: Eadem defuncta* IVSTITIVM *indixit, in quo risisse, lauisse, coenasse cum parentibus aut coniuge liberisue, capitale fuit.* Alia exempla suppeditat LVCANVS *L. II. ℣. 16.* LIVIVS *L. IIII. c. 4. IIII. 26. et 31. in f. VI. 7. VII. 6. in f. X. 4.* it. TACITVS *Annal. L. 1.*, vel etiam ob laetitiam publicam, quale ob reditum AVGVSTI indictum refert HORATIVS *L. II. Od. 2.* Priorem, non alias species cogitauit FVLGENTIVS *de prisc. serm.* quando iustitium *luctum publicum* dixit. W. Varias iustitii species et effectus exposuit I. H. BOEHMER in Diss. *de eo, quod iustum est durante iustitio.* Hal. 1705. S.

§. CXXVIII.

Dies, rei in iudicio peragendae praefixus, TERMINVS (a); Terminus ab eo, in cuius fauorem constitutus est, neglectus CIRCVMDVCTVS (b) dicitur. *Terminus; circumductus.*

(a) Terminus rei cuiusdam finem physice et moraliter denotat; Sic CICERO *pro Quint. c. 10. Certos fines et terminos sibi constituere.*

(b) *Circumducere*, quamuis proprie sit per orbem ac longiorem viam ducere, hic tamen irritum efficere notat. Irritus autem atque nullus redditur terminus, si aut vtraque pars emanserit, aut actor non comparuerit, *L. 73. D. de Iud.* aut reus se non stiterit, actorque eius contumaciam non accusauerit. Eo sensu porro occurrit *L. 6. C. quom. et quand. Iud. L. 27. §. 1. D. de lib. caus. L. 41. pr. D de re iud.* Omnibus tamen casibus videbis potiorem rationem haberi actoris vel impetrantis citationem. Secundum stilum supremorum Imperii Tribunalium terminus reproductionis circumduci, reliqui PVRIFICARI dicuntur. *Terminus purificatus.*

§. CXXVIIII.

Dierum, rebus in iudicio peragendis praefinitorum, spatium DILATIO dicitur (a). Spatium illud aut lex indulget, aut iudex, aut voluntas litigantium; isto casu dilatio est LEGA- *Dilatio; Prorogatio.*

 LIS

LIS (b), illo IVDICIALIS (c), hoc CONVENTIONALIS (d). Extensio huius spatii PROROGATIO est.

(a) Ita curatiores; Ill. Dn. BOEHMER *Iur. Dig. L. II. Tit. 12. §. 6.* GAIL. *L. I. obs. 91. n. 21.* Citatus v. g. eo ipso die ordinarie non comparet, sed indulgetur ipsi spatium, v. g. in Camera Imperiali 60. dierum, quo deliberare possit, vtrum cedere, an contendere malit. Idem in reliquis terminis; Et hoc dilatio audit. Prorogationem vero de temporis extensione dici, supra ad §. CII. obseruatum est. Errare VOETIVM *ad Tit. D. de feriis §. 10.* et STRVVIVM *Exerc. V. §. 35.* dilationem definientes *reiectionem rei agendae in iudicio ad alium diem vel terminum,* iam obseruauit Cel. KNORRIVS *Diss de recto dilationum vsu §. 3.* atque ex adductis confirmatur idem.

(b) Ita ius ciuile reo citato spatium XX. dierum, *Nov. LXXXII. c. 10. et LIII. c. 3.* et grauato per sententiam X. dies indulget, quo deliberare possit, an subscribere eidem, anne ab ea appellare velit. *Nov. 23. c. 1.*

(c) Iudex enim arbitratur, qualis pro rei vel personarum qualitate indulgenda sit dilatio. *L. 1. D de R. I.* &c. intra quem terminum peragenda probatio, testes, absentes saepius, producendi, vel produci possint, instrumenta recognoscenda &c. Vid. *L. 99. §. 2. D. de V. S.*

(d) Quando nempe inter partes litigantes v. g. conuenit, vt octidui spatium propositiones singulas intercedat, von acht Tagen zu acht Tagen zu verfahren.

§. CXXX.

Terminus peremtorius.

TERMINVS omnem prorogationem excludens PEREMTORIVS vocatur.

§. CXXXI.

Annus; solaris; lunaris; mensis; lunaris; solaris.

Spatium, intra quod sol circulum suum per zodiacum absoluere videtur, vel intra quod vniuersum circa solem voluitur (a), ANNVS (b), et quidem SOLARIS (c); Spatium vero, quo luna duodecies circulum suum per

terram

terram abſoluit, ANNVS LVNARIS (d); Spatium, intra quod luna per globum terraqueum mouendo omnes mutationes abſoluit, MENSIS (e) LVNARIS (f); intra quod vero ſol ſignum zodiaci vnicum abſoluere videtur (g), MENSIS SOLARIS dicitur.

(a) Ita natura ipſa duce annum determinamus; paulo aliter initio Romani, ex Chronologia ROMVLI annum dicentes complexum X. menſium, ſ. CCCIIII. dierum, vid. OVIDIVS *Faſt. I.* 27. quibus NVMA L. addidit, quumque confuſio nondum tolleretur, IVLIVS CAESAR, Mathematico SOSVGENE ſuadente, annum conſtituit ſpatium 365. dierum et 6. horarum.

(b) *Annus* idem eſt, quod circulus. VIRGILIVS *Georgic. II.* 401.

- - - redit agricolis labor actus in orbem,
Atque in ſe ſua per veſtigia voluitur ANNVS.

Inde eſt, quod Graecis dicatur ἐνιαυτὸς, quaſi in ſe ipſum rediens, quae natura circulo eſt. Atque hic proprie annus dicitur, nec niſi ſynecdoche eſt, quando OVIDIVS *Faſtor. I.* 149 *et* 151. ver, TIBVLLVS *Eleg. II.* 4. autumnum, et HORATIVS *Ep.* 1. hyemen annum dicunt. I. H. MYLIVS *de anno iuridice conſiderato.* Lipſ. 1682.

(c) Hunc Romani annum magnum vocabant, CENSORINVS *de die natali* 119. vel etiam longum. OVIDIVS *Metamorph. I.* 273.

(d) Hic paruus, vel breuis, reſpectu ad magnum vel longum habito, dicebatur. PLINIVS *VII.* 48. Annus autem ſolaris hodie aequat 365. dies, 5. horas, minutas 49. lunaris vero 354. dies, 8. horas, minutas 48. et ſecundas 36.

(e) Menſem a μήνη luna dici, non improbabile videtur. Luna enim menſem determinat. Vid. VARRO *de Lingu. lat. V* et ISIDORVS *Orig. V.* 33. Quo corruit hypotheſis CICERONIS *de Nat. Deor. II.* 27. qui a metiendo menſem dictum putat.

(f) Hic computatur a nouilunio ad nouilunium, atque hodie ſpatium 29. dierum, 12. horarum, 44. min. et 3. ſec. complectitur.

(g) Hoc fit 30. diebus, 10. horis, 29. min. et 5. ſec.

§. CXXXII.

Annus continuus; vtilis.

Complexus 365. dierum se inuicem excipientium ANNVS CONTINVVS (a); complexus vero 365 dierum, quibus iurisdictio exercetur, ANNVS VTILIS (b) vocatur.

(a) Vid. *L. 134. D. de V. S.*

(b) Quum difficilis esset eiusmodi dierum computatio, quadriennium in eius locum substitutum est. *L. f. C. de temp. in integr. rest.*

§. CXXXIII.

Dies; nox; dies naturalis; ciuilis.

Spatium, intra quod globus terraqueus mouetur circa solem, DIES (a) generatim, in specie vero DIES dicitur spatium, per quod sol horizontem nostrum illustrat; quo vero nostro oppositum, NOX; Spatium ab ortu solis ad occasum DIES NATVRALIS (b); a medio noctis ad noctis proximae medium DIES CIVILIS (c) vocatur.

(a) Diem a Dio, h. e. Ioue dictum tradit VARRO *de Lat. lingu. IIII. p. 18.* vnde et Iupiter Diespiter dictus fuit. MACROBIVS *I. Sat. 13.*

(b) Ita quidem ex LL. XII. Tabb. Dein vero diebus singulis XII. horae tributae, seruatis XII. nocti.

(c) Id quod constitui debuit, vt ciuilibus negotiis peragendis certa esset mensura. Complectitur autem ciuilis dies XXIIII. horas, quod nos docet *L. 8. D. de feriis*, atque ita luce media ac duabus dimidiatis noctibus constat, vt verba eius habent.

§. CXXXIIII.

Dies iuridici s. vtiles.

Dies, quibus iurisdictio exercetur, IVRIDICI simulque VTILES (*) dicuntur.

(*) Sc. quia in annum vtilem computabantur. PAPINIANVS *L. 55. D. de Aedil. ed.* menses vtiles vocat, quibus experiundi potestas fuit; quid vero sit experiundi potestatem habere, explicat VLPIANVS *L. 1. D. de diu. temp. praescr.*

§. CXXXV.

§. CXXXV.

EDERE est copiam rei alicuius praesenti facere (*). Lib. II. Tit 13. *Edere.*

(*) Sic qui genus futurae litis cum aduersario communicat, actionem edere dicitur *L. 3. C. de Edend.* qui eidem instrumenta exhibet legenda, ea edit, qui rationes offert, eas edit. Optime haec omnia complectitur VLPIANVS in *L. 1. §. 1. D. de Edend. Edere est copiam describendi facere, vel in libello complecti, vel dare, vel dictare. Eum quoque edere* LABEO *ait, qui producat aduersarium suum ad album, et demonstret, quod dictaturus sit, vel id dicendo quo uti velit.* Et idem *L. 6. §. 7. D. eod. Edi autem est, vel dictare, vel tradere libellum, vel codicem proferre.*

§. CXXXVI.

LIBELLVS (*) est propositio, continens actoris intentionem, huiusque rationem. *Libellus.*

(*) *Libellus* diminutiuum libri est, atque sic paruum librum innuit. Immo ipse liber breuiorem scripturam, vel epistolam denotat ap. NEPOTEM in *vita Lysandri c. IIII.* inde dictus, quod antiquiores in libro, qui interior cortex arboris erat, scriberent. Et ita, licet libellus sua natura scripturam desideret, ad oralem tamen propositionem eum extenderunt ICti artifices.

§. CXXXVII.

Si ex libello perspici non potest, quid, quale quantumue ab actore petatur, LIBELLVS dicitur GENERALIS (a); si factum non liquet, OBSCVRVS (b), si plura disiunctiue petuntur, ALTERNATIVVS (c); si petitum contradictionem inuoluit, CONTRARIVS (d); si petitum intentioni contradicit, INEPTVS (e) dicitur. *Libellus generalis; obscurus; alternatiuus; contrarius; ineptus.*

(a) Generalius petit, qui speciem intendit, genus vero nominat, v. g. qui aedes, quas Caius detinet, Wezlariae in platea argentifabrorum inter Seii et Mucii aedes sitas, vindicaturus, aedes nulla limitatione addita

dita petit; item, qui a Sempronio summam M. thalerorum ex mutuo repetiturus petit id, quod sibi debetur.

(b) Hoc variis modis contingere potest; aut enim de persona rei plane non constat, quale exemplum, vbi aliquis, nescius a quo, colaphis exceptus earum vindicationem a iudice petierat, exhibet THOMASIVS in denen juristischen Händeln; aut non satis constat, v. g. libellus dirigitur contra lanionem Wezlariensem Waldschmidt; iam vero non vnicus lanio, cui nomen Waldschmidt est, Wezlariae ius ciuitatis habet, sed eorum septem sunt; aut ius actoris non liquet, nimirum vtrum aedes Titii petat ex legato, an ex emto; aut denique obligatio rei non satis determinatur, vtrum scilicet dare, facere, restituere etc. debeat.

(c) V. g. Petit aliquis mandatum de soluendo, vel dimittendo hypothecam, aut in contractu aestimatorio restitutionem rei, vel solutionem pretii intendit. *L. 1. §. 1. D. de aestim.*

(d) V. g. Petit aliquis hereditatem ab intestato et ex testamento.

(e) Equidem ineptus libellus quilibet vitio laborans dicitur, speciatim vero talis, qui fini actoris non conuenit. Triplici vero potissimum modo hoc contingit: 1) Non satis circumspecte electo genere actionis, veluti si quis rem vindicaturus actione personali vteretur, aut mutuum cum omnibus circumstantiis deductum fusius vindicaret; 2) Minus pertinenti ad factum et actionem ipsam conclusione, ita emtum equum a venditore petens inepte ageret, si dominum eius se declarari intenderet; 3) Cumulatione actionum non compatibilium, rei vindicationis nimirum cum interdicto vti possidetis.

§. CXXXVIII.

Mutare; emendare; declarare libellum.

MVTARE LIBELLVM dicitur, qui aliud fundamentum agendi substituit (a); EMENDARE, qui quantitatem, aut qualitatem facti mutat (b). DECLARAT, qui obscurius posita interpretatur (c).

(a) Sic, qui egerat ex emto, nunc eamdem rem ex donato petit, libellum mutauit.

(b) Qui

(b) Qui C. florenos ex mutuo condixerat, iam C. Thaleros aut Ducatos fuisse asserit. Item, qui ex pacto rem dari sibi intendit, iam iuratum illud fuisse dicit.

(c) Hoc reducendum ad generalem interpretationis regulam. Exemplum habebis: C. de R nobilis Holsaticus, moritur relicta vidua, E. de R. Succedens ipsi ex testamento L. de A. eques Pomeranus, vendita hereditate, in foro Pomeranico conuenitur a vidua testatoris ad tradenda, quae sibi ex iure fasciae capillaris, der Huvenbands-Gerechtigkeit, debentur Pomeranis hic terminus non satis, vt par erat, explicatus obscurus est. E. declaratione opus erit.

§. CXXXVIIII.

Declaratio voluntatis nostrae, respondentis voluntati alterius, de re aliqua effectui danda, vel impedienda, CONSENSVS; quodsi voluntas contradicens voluntati alterius declaretur, DISSENSVS dicitur (*). Lib. II. Tit. 14. *Consensus, Dissensus.*

(*) Ponamus Lucium filiumfamilias Sophiam virginem ambire; Adit patrem suum, cumque eo, quem sibi proposuerit finem, communicat; declarat pater voluntatem suam circa hoc negotium, respondet autem voluntas patris voluntati filii, idemque nuptias filii effectui dari cupit, et tum *consentit*, aut non respondet, sicque easdem impedire allaborat, et tum *dissentit*.

§. CXXXX.

CONSENSVS verbis declaratus EXPRESSVS (a); signis externis manifestatus TACITVS (b); si consensus alicui tribuitur, qui non consentit, FICTVS, et si lex eum tribuit ob vtilitatem vel eius, vel reipublicae, PRAESVMTVS (c) dicitur. *Consensus; expressus; tacitus; fictus; praesumtus.*

(a) V. g. Caia dixit, se velle nubere Caio eam ambienti. Titius scripsit ad Meuium se velle ipsi mutuo dare, quae rogauit C. Adeoque verba ore prolata aut scripta sufficiunt.

(b) Re-

(b) Requiruntur autem facta, ex quibus consensus haud dubie colligi potest, v. g. nutus. Simili ratione creditor chirographum debitori reddens in remissionem debiti tacite consentit, *L. 2. §. 1. D. de pact.* qui vsuras in futurum debitas accipit, tacite consentit se nolle sortem intra hoc tempus petere. Vid. *L 4. pr. §. sq D. de pact.*

(c) Praesumtus consensus fictus est, sed fictio ea nititur ratione sufficienti. Principium primum omnis moralis doctrinae est: Fac ea, quae te aliosque perficiunt; hinc quilibet in id, quod ad perfectionem suam facit, consentire praesumitur, atque hac ratione, cuius negotia ab altero gesta sunt, etiamsi tacite non consenserit, obligatur *l. §. l. de Oblig. quae quas. ex contr. nasc.* Item, prohibet illud idem principium alterum imperfectiorem reddere, hinc nemo cum alterius damno locupletior fieri velle creditur, atque ita alter, cuius rem perdidi pretiumque solui, re postea recepta, in redditionem soluti pretii consentire praesumitur. Vid. *L. 2. D. de Cond. sin. caus.* Non minus id axioma rationi optime congruens est: vt is, qui consentit in antecedens, etiam in id, quod ex eo necessario consequitur, consentire debeat. Ita, qui virginem honestam comprimit, ille in id, enixam eam infante vt ducat, aut ad minimum dotet, consensisse praesumitur.

§. CXXXI.

Promissio; Acceptatio.

Sermo, quo quis adfirmat se alteri aliquid praestare, vel intuitu eius aliquid omittere velle, PROMISSIO; Consensus vero alterius in promissum nostrum ACCEPTATIO est (*).

(*) Titius Sempronio affirmat se velle ipsi donare C. Sempronio in id consentiente, Titius promisisse, Sempronius vero acceptasse dicitur.

§. CXXXII.

Pactum s. Conuentio.

Promissum ab altero acceptatum dicitur PACTUM (a) s. CONVENTIO (b).

(a) Conuenire hanc pacti definitionem cum ea, quae proponitur in *L. 1. §. 2. D. de pact.* quod sit *duorum vel plurium in idem placitum consensus,* ostendi in Diss. *de principio*

cipio obligationis et non obligationis pacti per metum extorti. Schol. ad §. 10. IDEM PLACITVM enim est idem obiectum repraesentatum, ad quod existentiae reddendum, vel impediendum duorum, vel plurium voluntas tendit. *Idem placitum.*

(b) Conuentionis nomen generale Romanis olim fuisse, et sub se comprehendisse pactum et contractum, nos docet *L. 1. §. 3. D. de pact.* plerumque tamen pacti vocabulo ita aequipollet, vt *pactionis*, quod occurrit *L. 1. §. 1. 2. L. 7. §. 4. D. cit.*, id quod colligere licet ex *L. 1. §. 4. eod.* De variis pacti significationibus plura legere cupientem ablego ad GIPHANII *Comm. in Inst. p. m. 515.*

§. CXXXIII.

Si PACTVM salutem reipublicae intendit, PVBLICVM; si τὸ suum alicuius respicit, PRIVATVM dicitur (*). *Pactum publicum; priuatum.*

(*) Vid. *L. 5. D. de pact.*

§. CXXXIIII.

PACTVM, quod nullam in foro intentandam actionem producit, NVDVM (a); ex quo vero valida actio oritur, NON NVDVM L VESTITVM (b) dicitur. *Pactum nudum; vestitum.*

(a) Romanorum philosophia non ferebat, vt aliquis e sola promissione, verbisque saepius indeliberatis obligaretur; inde si ciuis Romanus tale quid fecisset, ei, cui promissum aliquid erat, formulam nullam dabant Pontifices, absque formula vero actio intentari nequibat, E. actio ex promissione non dabatur. Ne vero induci te in eam sententiam patiaris, pactorum valorem omnino abhorruisse Romanos. Si quis impleuerat promissum, repeti, quod erat datum, non poterat. Non igitur pacta damnarunt Romani, sed formulas actionum iis saltim non accommodarunt. Eiusmodi autem pactum dicebant *nudum*, quod idem est ac simplex, purum, cui extranei nihil admixtum. Sic nuda possessio, quae est sine proprietate, dicitur in *L. 66. D. de Euict. L. 11. §. 1. D. quod met. caus.* nuda proprietas, quae est absque omni fructu, *L. 2. D. de Vsufr. leg.* nuda ratio, cui, ex

qua

qua caufa debeatur, adfcriptum non eft. *L. 49. D. de pecul.* Simili ex ratione etiam *sola pacta L. 25. D. de pign.* et *solae conuentiones L. 15. C. de Transact.* vocantur, quod in folis placiti finibus fubfiftant. W. Romani quidem pactis nudis obligationem ciuilem non tribuebant; a fide bona tamen alienum, viroque bono indignum rati, fidem pacto datam violare, fummumque ius hac in re fummam effe iniuriam cenfuerunt; id tantum cauentes, ne leues nimium Italorum animi, fidem incautius obligarent. Ludewigs gel. Anzeigen T. II. p. 1057. fqq. F. V. PESTEL *Aequitas doctrinae Romanorum de pactis nudis adserta.* Rint. 1748. GERH. NOODT *de pact. et transact. c. 10.* S.

(b) Nudo homini opponitur veftitus, hinc nudis pactis veftita opponere placuit ICtis. Veftimenta autem, quibus pudenda, ipfi rationi illata iniuria! tegerentur, pactaque, quae in honeftiffimum confeffum ius reddentium prodire non erubefcerent, inducerentur, erant formulae ab artificibus Pontificibus tanta arte, vt nullus vnquam fartor potuit, compofitae.

§. CXXXXV.

Pacta legitima; praetoria; adiecta.

PACTA, quibus validam actionem tribuit lex, LEGITIMA (a); quibus Praetor, PRAETORIA (b); quae ex eo, quod in continenti (c) contractibus (d) adduntur (e), ipfis annumerantur, ADIECTA dicuntur.

(a) *L. 6. D. de pact. Legitima conuentio eft, quae lege aliqua confirmatur. Et ideo interdum ex pacto actio nafcitur, vel tollitur, quoties lege, vel SCto adiuuatur.* Pacta legitima funt *dotalia, L. 6. C. de dot. promiff. donationis, L. 35. §. f. C. de donat.* etc. W. Conferendus omnino eft Io. CAR. A WACHENDORF de *pactis nudis*; in *triade differtat. p. 383. fqq.* S.

(b) Ea, quibus Praetoris edicto actio accommodata, praetoria dicta funt, licet alias legitimorum nomine, fi legem generalius accipias, comprehendantur, vid. NOODT *de pact. c. 13.* Talia funt *hypotheca, L. 17. §. 2. D. de pact. conftitutum, L. 1. D. de pec. conft. iuramenti praeftatio pacto promiffa, §. 11. I. de Act.* et reliqua.

(c) Vt

(c) Vt pactum eiusmodi naturam contractus acquirat, necesse est, vt adiciatur ipsi *in continenti*, h. e. statim absque longiori interuallo. *L. 3. §. 9. D. de vi et vi arm. L. 1 . C. de V[illegible]. L. 40. D. de reb. cred.* Id vero non ita intelligendum erit, ac si fatale hoc adiciendi momento sit adstrictum, quod declarat *L. 1. §. 8. D. ad L. Falc. In continenti ita accipiendum, cum ad quo spatio*. V. g. Titium ac Caium intercedit emtio venditio, illo huic aedes suas vendente. Conuenit de pretio, E. contractus perfectus est, Placet autem probationis saltim gratia eum in scripturam redigere, hocque perficiendum committitur Liuoleno Notario, Post tres dies conuenit inter eundem Titium ac Caium, vt pretii quarta pars singulo trimestri spatio soluatur, committitur Liuoleno hoc contractui inserendum, inseritur atque contractus ita formatus subscribitur ab vtroque, pactum de pretio statis ten portibus soluendo adiectum est. Ceterum nil refert, vtrum pactum in instrumento contractum ipsum aut cedat, an ei mixtum sit, an vero subsequatur: illud *L. [illegible]. C. de pact. int. E. et [illegible]* illud *L. [illegible]m. C. eod.* hoc vero *L. 3. C. de Aed. l. act.* traditur, vt inde pateat, quod *L. 7. §. 5. D. de pact.* verba: *Ea enim sunt in iure, quae legem contractus dant, i. e. quae in ingressu contractus facta sunt*, nihil definiant, sed tantum exemplo aliquo declarent, quod simili modo factum §. 8 *e. l.* verbis: *Ne a persona petam, i. e. ne a Lucio Titio petam.* Vid. NOODT *de pactis c. XI.* Adiecta in continenti pacta naturam contractuum, quibus adiciuntur, induunt, hinc actionem producunt, dicuntur etiam contractibus *inesse*, et quidem a parte actoris, h. e. ad fundandam actionem. *L. [illegible] §. 5. et 6. D. de pact.* W. Instar omnium vnus hic est BYNKERSHOECKIVS *de pactis stricti iuris contractibus in continenti adiectis, T. I. oper. p. m. 89. sqq.* S.

(d) Sunt, qui hoc ad contractus bonae fidei restringunt, quos hodie communis fere opinio sequitur. Fundamenta suae opinioni quaerunt in cit. *L. 7. §. 5. et 6.* et *L. 3. C. de pactis*, in illa VLPIANVS: *Pacta conuenta bonae fidei iudiciis inesse*, in hac MAXIMINVS Imperator: *In bonae fidei contractibus ita demum ex pacto actio competit, si in continenti fiat*, scribunt. Sed vt hi contractuum bonae fidei solum mentionem faciant, sunt tamen alii, qui idem in contractibus stricti iuris obtinere docent. Ita PAVLVS *L. 40. D. de reb. cred. pacta, stipulationi in continenti adiecta.*

adiecta, eidem inesse, aperte fatetur, atque idem in *L. 4. §. 3. D. de pact.* pactum de non petendo, adiectum stipulationi, eidem inesse non dissimulat. Vid. FACHINAEVS *Contrau. Lib. II. c. 99.*. Neque me mouet interpretatio Cel. NOODTII, qui voculam *inesse* in bonae fidei contractibus partes actoris, in stricti iuris vero rei respicere ait, cuius sufficientem probationem non ego solus desideraui.

(e) Addantur tamen talia pacta, quae naturae contractus omnino non repugnent, aut illicita sint. Exempla sunt in *L. 7. D. de seru. export. L. pen. D. de pact.*

§. CXXXXVI.

Pactum expressum; tacitum.

Ex consensu tacito vel expresso oritur PACTVM TACITVM vel EXPRESSVM (*).

(*) Conf. §. CXXXXX.

§. CXXXXVII.

Pactum simplex; alternatiuum.

PACTVM, quo quis ad aliquid praecise effectui dandum vel impediendum se obligat, SIMPLEX; quo vero quis ad alterutrum e pluribus effectui dandum vel impediendum se obligat, ALTERNATIVVM est (*).

(*) Aulus promittit Marco, se ipsi redditurum C. quae mutuo ab eo accepit; simpliciter ea debet; Si vero promittit se aut C. redditurum, aut equum arte domatum, alternatiue obligatur.

§. CXXXXVIII.

Pactum obligatorium; liberatorium; mixtum.

PACTVM, quo quis, se existentiae aliquid redditurum vel impediturum, promittit, OBLIGATORIVM (a); si vero promittit, se nolle, vt alter ipsi praestet, quae praestare debebat, LIBERATORIVM (b) audit; si vtrumque fit, MIXTA (c) sunt.

(a) V. g. Locatas sibi a Caio aedes conducens Titius obligat se ad annuam mercedem. Lucius depositum a Seio accipiens ad illud restituendum se obligat.

(b) Am-

(b) Ammianus Scipioni debet M. hic promittit, se nolle ea vnquam ab Ammiano petere; eum ab obligatione liberat; Marcianus soluit Iasoni C. vt singulis diebus vnicam horam impendat in eo erudiendo linguam Gallicam, iam declarat se nolle, vt amplius eum doceat eamdem, hoc acceptante, liberat hunc ab obligatione.

(c) Huc pertinet nouatio, per quam anterior obligatio tollitur, simulque inducitur noua. Referri etiam suo modo potest huc transactio, si scilicet constet adesse obligationem, de qualitate tamen aut quantitate dubitetur.

§. CXXXXVIIII.

PACTVM, in quo alter obligatur, alter nolens non tenetur, CLAVDICANS dicitur (*). *Pactum claudicans.*

(*) Si quis pactum cum pupillo ineat. SIM. PET. GASSER *de pactis claudicantibus.* Hal. 1735.

§. CL.

Determinationes constantes alicuius pacti ESSENTIALIA (a); Determinationes variabiles, quae tamen contractui ordinarie insunt, NATVRALIA (b); Determinationes variabiles, quae ne quidem contractui ordinarie insunt, ACCIDENTALIA PACTORVM vel CONTRACTVVM (c) vocantur (d). *Essentialia; naturalia; accidentalia pactorum.*

(a) Emtio venditio non celebrari potest, nisi adsit 1) merx vendenda atque emenda, nisi 2) certum statuatur pretium ab emtore soluendum, alias enim aut in donationem, aut in permutationem, aut alium contractum negotiumue degenerat, 3) consensus specificus declaretur. Essentialia E. emtionis venditionis sunt 1) consensus, 2) merx et 3) pretium. Vnicum horum si abesse, vel mutatum cogitaueris, ipse hic contractus euanescet.

(b) Rationi non minus ac legibus congruit, quam omnibus contractibus emti venditi regulariter inest, vt venditor emtori rei venditae euictionem praestet,

 etiamsi

etiamsi eam non promiserit. *L. 60. D. de Euict.* Quodsi pacto, contractui adiecto, remittatur euictio, non tenebitur venditor. Euictionis igitur praestatio mutabile est, emtionis venditionis tamen regulariter consequens, E. naturale contractus E. V. est.

(c) Perfecto emtionis venditionis contractu, ex contractus ipsius natura omnino colligi nequit, vtrum pretium soluendum sit in moneta minuta, an argentea maiori, aut denique aurea, et quali, neque vsus huiusmodi quid constanter seruat. Quodsi determinetur, solutionem fieri debere in aureis Gallicis, quorum quilibet valor esse debeat 7. Florenorum et 46. Crucigerorum, accidentale hoc est.

(d) Conf. Cel. Dn. SCHIERSCHMIDII *El. iur. nat.* §. 414. *Cor. I.*

§. CLI.

Tractatus; Appunctuatio.

Deliberatio duorum, vel plurium, de pacto ineundo, TRACTATVVM (*) nomine venit; Consignatio vero determinationum, quae pactum perficiendum adhuc ingredi debent, APPVNCTVATIONIS barbaro vocabulo salutari consueuit.

(*) *Punctationes* sunt articuli principales futuri contractus, consensu vtriusque vel alterutrius paciscentium in scripturam redacti. Conf. PETR. MÜLLER *de punctatione s. minuta.* Ien. 1690. LEYSER *sp.* 33. *m.* 7. *sp.* 39. *m.* 2. *sp.* 40. *m.* 2. 3. S.

§. CLII.

Nomen; Causa.

NOMEN hic dicendum est certa ex lege oriunda determinatio, ex qua formula agendi suppetebat (a); CAVSA vero determinatam aliquam praestationem significat (b).

(a) De hoc VLPIANVS *L. 7. §. 1. D. de pact.* scribit: *Quae* (conuentiones) *pariunt actiones, in suo nomine non stant, sed transeunt in proprium* NOMEN *contractus, vt emtio venditio, locatio conductio, societas, commodatum, depositum, et caeteri similes contractus.*

(b) Per-

(b) Pergit idem §. 2.. *Sed etsi in alium contractum res non transeat, subsit tamen* CAVSA: *Eleganter Aristo Celso respondit. esse obligationem*. i. e. producit obligationem. W. Alio significatu *caussa* denotat vtilitatem ex re prouenientem, quem in modum v. c. *res cum omni caussa sua transire* dicitur. S.

§. CLIII.

Pacta, commerciis hominum inseruientia, nobis (a); talia vero, quae nomen vel caussam habebant, Romanis CONTRACTVS (b) sunt. Sunt autem COMMERCIA mutuae eorum, quae ad vitae necessitatem et commoditatem pertinent, commutationes. *Contractus; Commercia.*

(a) Atque ita pacta et contractus secundum ius naturae et Germanicum ratione obligationis effectusque non differunt; interim tamen celebriora, magisque vsitata pacta contractus vocare consueuerunt. Sunt autem ea frequentissima, sine quibus plane non, aut non commode satis vitam ducere possumus. Absque alimentis plane non, & absque vestimentis sufficientibus pessime viuitur. Acquisiturus sibi haec, quae non habet, aut aliam rem, qua abundat & qua indiget alter, aut operas ipsi praestare, aut ad pretium eminens confugere necesse habet. Priori casu oritur *permutatio*, altero *locatio operarum*, tertio *emtio venditio*. Atque sic per omnia contractuum genera ire possemus, si instituti ratio permitteret. Vnicum adhuc notandum. Donatio neque frequentior est, neque commerciis annumerari potest, nisi mutua sit. E. donatio contractibus annumerari non poterit. CONTRACTVS *pacta, quibus dominium, possessio, vel vsus rei cuiusdam transfertur*, dixit Dn. GOTTSCHED. Erste Gründe der Weltweisheit, Th. II. Cap. 6. §. I. W. Certo respectu, *contractus*, ex sensu iuris Romani, quatenus pactis nudis e diuerso ponuntur, sunt conuentiones forma ciuili munitae. *Elem.* mea *antiqu. iur. Rom.* §. 749. *sqq.* p. 540. *sqq.* HENR. BODINI *vindicias pactorum iuris Romani: ad demonstrandum, nec hodie ex pacto nudo actionem competere.* Hal. 1696. S.

(b) Vid. *L.* 7. §. 1. 2. *D. de pact.* §. praeced. not. a. et b. alleg. Paulo aliter LABEO in *L.* 19. *D. cit.* Hic enim con-

contractum *vltro citroque obligationem* esse, idemque, quod Graecorum vocabulum *συνάλλαγμα*, notare dixit, in quo posteriori ei subscripsit VLPIANVS c. l. 7. verum, vti hoc menti ARISTOTELIS non omnino congruere videtur, (vid. §. IIII. not. a.) ita multa praeterea in hac LABEONIS definitione sunt reprehendenda. Sufficiet pauca notasse; nimirum eam nec vnilateralibus, nec claudicantibus conuenire, dein obligationem esse effectum contractus, ideoque ingredi definitionem non debere, quum character definitionis ex alio, quam effectu diiudicetur; demum vero, vno soluente, perdurare obligationem intuitu alterius in negotiis bilateralibus. Vid. COSTANVS in *quaest. mem. c. VIII.*

§. CLIIII.

Contractus nominati; innominati.

CONTRACTVS, qui nomen simul ac caussam habent, NOMINATI (a); qui solam caussam, absque nomine, habent, INNOMINATI (b) sunt.

(a) Vtrumque habeant necesse est; absque enim nomine nulla legalis producebatur obligatio, hinc nulla formula suppetebat, nullaque actio; absque caussa vero vagum negotium omnino erat, nudumque pactum. Emtio venditio, locatio conductio, depositum, pignus etc. contractuum nominatorum numero comprehenduntur. Efficiebat vero nomen, vt actionibus, ex contractibus his nominatis oriundis, nomen contractus tribueretur, vti ex deposito, depositi, commodato, commodati; hinc placuit nonnullis contractus nominatos definire, qui actionem sibi cognominem producunt. Sed quaeritur est ratio, quod actionem sibi cognominem producunt? id, quod ipsis inest, nomen. Vocantur etiam hi contractus *certi, L. 9. pr. D. de reb. cred. L. 1. §. 6. D. de const. pec. L. 18. pr. D. de acceptil.* gaudent enim certo ac determinato nomine, determinataque praestatione; inde etiam est, quod actio praescriptis verbis, qua persequimur id, quod ex contractu innominato debetur, *incertum iudicium* dicatur *L. 23. D. comm. diuid. L. 6. et 16. D. de praescr. verb.* Hoc enim nomine actio ipsa designatur, non res in iudicium deducta, vt sibi alii persuadent. Vid. LANGEBECK *annot. ad leg. diff. c. XVII.* W.

Origi-

Originem et indolem contractuum innominatorum elegantissime exposuit CHR. FRID. GE. MEISTER in Diss. *de in factum actionibus c. 2. §. 26. sqq.* S.

(b) Vti nominatis nomen inerat, ita innominati hoc carebant. Inde etymologia.

§. CLV.

CONTRACTVS, in quo vterque ad aliquid effectui dandum, vel impediendum se obstringit, BILATERALIS (a); in quo alteruter tantum, VNILATERALIS (b) vocatur. *Contractus vnilaterales; bilaterales.*

(a) Vt sunt: Emtio venditio, locatio conductio, et reliqui. Continet autem eiusmodi contractus bilateralis duo pacta, promissum mutuum, mutuam acceptationem, mutuamque obligationem.

(b) Simplex hoc pactum promissumque ab altero acceptatum est, simplex E. obligatio. Sic in stipulatione solus stipulans, in mutuo solus accipiens obligatur. Nec est, quod obuertas: non dari ex ipsa nostra hypothesi vnilaterales contractus; contractus esse pacta, commerciis inseruientia, ea vero mutuam praestationem exigere (§. CLIII.). Verum non dixi contractus omnes commercia esse, sed commerciis inseruire. Sic, qui Caio C. mutuo dat, vt aedes emere possit, cum eo contrahit, vt iste commercium celebrare possit. Item, qui stipulatur se donaturum alteri X. eum inter & hunc non intercedit commercium, contractum vero celebrant iidem.

§. CLVI.

CONTRACTVS, in quibus obligatio specifica oritur ex rei traditione, REALES (a); in quibus ex scriptura, LITERALES (b); in quibus ex verbis secundum artem pronunciatis, VERBALES (c); in quibus ex consensu, CONSENSVALES (d) dicuntur. *Contractus reales; literales; verbales; consensuales.*

(a) Denominatio horum omniumque contractuum ex facto obligante petita est. Videamus, an res ita se habeat?

habeat? Caius rogat Titium, vt mutuo sibi det D. thaleros, is promittit. Adest pactum, quod, quum secundum iuris Germanici principia actionem pariat, adigi poterit Titius, vt det promissos D. thaleros. Sed an etiam adest contractus? an nata condictio certi ex mutuo? Minime. Caius enim reddere nequit, quod non accepit. Traditis vero D. thaleris, statim oritur obligatio, actionem suo tempore producens. In traditione rei igitur quaerendum est principium obligationis huius specificae. Idem in commodato, pignore, deposito, quorum non datur restitutio, nisi prius fuerint traditae res.

(b) In contractu chirographario, vel nominum, non nisi ex scriptura quis obligatur, etiamsi nihil acceperit, *pr. I. de Liter. oblig.* Idem hodie in instrumentis guarantigiatis, cambiis etc. vbi illud solemne: Scripsisti, E. solue. W. Tres *contractuum litteralium* species curate distinxit Ev. OTTO in *commentario ad Instit. p. 440. sqq.* De tertia, Iustinianea nempe, adeundus potissimum GE. SAM. MADIHN *de vera indole litterarum obligationis, atque exceptionis non numeratae pecuniae, earumque vsu in foris nostris cessante.* Hal. 1759. S.

(c) Huc pertinebant dotis dictio, promissio operarum, a liberto facta, et stipulatio. Vid. CAII *Inst. L. II. Tit. 9. §. 3. ed. vulg.* Sic v. g. si quis alteri promiserat, se velle ipsi dare C. hoc acceptante, pactum erat, adeoque ciuilem obligationem actionemque non producebat; Si vero alter dixerit: Dabisne mihi C.? alter responderit: Dabo; actio oriebatur ex stipulatu. E. non res ipsa, sed verba, obligationis specificae actionisque principium hic sunt.

(d) Equidem consensus quorumlibet contractuum necessarium requisitum, verum non in quoduis principium obligationis est. Hinc si consensus principium obligationis cuiusdam contractus est, neque praeter hunc quicquam adhuc requiritur ad perficiendum negotium, non verba specifica, non res tradenda, non scriptura, consensualis dicitur contractus. Videamus exemplum: Lucius atque Meuius in eo consentiunt, vt hic modios frumenti C. illi tradat, ille vero huic C. florenos pretii loco soluat; Intercedit eos nulla verborum conceptio, nulla accedit scriptura, neque

Meuius

Meuius frumentum tradidit, neque Lucius pretium exsoluit; quaeritur, anne ex hoc negotio nata sit obligatio, atque ciuilis actio? Respondet IMPERATOR *pr. I. de Emt. Vend.*: *Emtio venditio contrahitur, simul atque de pretio conuenerit, quamuis nondum pretium numeratum sit, ac ne arrha quidem data fuerit.*

§. CLVII.

CONTRACTVS, quo status alicuius contrahentis perficitur, absque vlla intentione eum ad aliquod, nisi quod communis hominum obligatio est, obligandi, BENEFICVS; is vero, quo vicissim ad aliquid obligatur, ONEROSVS est (*). *Contractus beneficus; onerosus.*

(*) Distinctionem hanc PVFENDORFIVS *I. N et G. L. V. c. 3. §. 8* in medium produxit. Ad beneficos contractus refertur v. g. commodatum; commodans enim commodatarii statum perficit, neque hic vicissim quid praestat, nisi, vt custodiat et reddat commodatum, de suo vero nil in commodantem transfert. Depositum simili ratione comparatum est, perficitur enim eius status, cuius rem, apud me depositam, custodio, nilque ab eo recipio omnino, nisi, vt ex accidenti, si forsan damnum per id passus sim, ex communi hominum obligatione id resarciat. Ad onerosos vero refertur v. g. locatio conductio. Ego enim carere debeo vsu aedium mearum, et tu pecunia tua. Impugnat hanc distinctionem BEYER *Posit. ad Digesta Tit. de pact.* putans; hanc cum ea, qua in vnilaterales et bilaterales abeunt, conuenire, atque sic omnes vnilaterales beneficos, bilaterales vero onerosos esse arbitratur; sed fallit. Videbimus hoc in commodato. Est autem commodatum contractus beneficus, quod eadem hac nota ostendi; sed et bilateralis est; producit enim duplicem actionem, commodati nempe directam et contrariam. Idem est in deposito etc.

§. CLVIII.

Quaecunque contractui adiecta naturalia eius mutant, eum INFORMARE; quae vero ex *Contractum informare; reformare.*

 inter-

interuallo idem efficiunt, REFORMARE eumdem dicuntur (*).

(*) Conf. *L. 7. §. 5. D. de pact. L. 72. D. de R. V. L. 27. D. de D. R. I.* et GRANGIANVS *Parad. iur. ciu. c. XIII. apud* OTTONEM *Thes. iur. Rom. Tom. V.* Formam autem contractus naturalia eius efficiunt, quod ex collatione *§. vlt. Inst. de Mand. L. 47. §. vlt. D. eod. L. 7. §. 15. D. de pact. L. 72. D. de C. E. V. L. 7. §. 5. D. de pact. L. 27. §. 3. eod.* patet; Vid. NOODT *de pact. c. XVIIII.*

§. CLVIIII.

Contractus bonae fidei; stricti iuris.

Contractus, qui interpretationem secundum aequitatem recipiunt, BONAE FIDEI (a); in quibus vero interpretatio stricta verba sequebatur, STRICTI IVRIS (b) sunt.

(a) *Bona fide* contrahere idem esse, ac aequitatem pro fine habere, verborum subtilitatibus nolle esse adstrictum, proindeque largiorem explicationem non defugere, ex locis classicorum auctorum docuit GVNDLINGIVS in *Diss. de Vs. pract. act. b. f. et str. iur. §. 4.* Idem confirmat IMPERATOR §. 30. *I. de Act.* *In bonae fidei iudiciis libera potestas permitti videtur iudici ex aequo et bono aestimandi, quantum actori restitui debeat.* Bonae fidei iudicia autem fundant bonae fidei contractus. Conf. *L. 36. D. de pecul.* et *L. 7. D. Neg. gest.*

(b) *Stricti iuris* vocabulum, quod hoc sensu adhibitum in Corpore iuris non obuium, ICti accommodarunt contractibus, qui bonae fidei opponuntur, et *non bonae fidei* dicuntur. *L. 17. D. de O. et A.* Sunt autem tales, in quibus nullae interpretationi locus, sed verbis adstrictus sequendus erat significatus. Ita nimirum CELSVS *L. 99. D. de V. O.*: *Quicquid adstringendae obligationis est, id, nisi palam verbis exprimitur, omissum intelligendum est, ac fere secundum promissorem interpretamur: quia stipulatori liberum fuit verba late concipere.* Exhibenda hic foret consignatio actionum bonae fidei et stricti iuris, verum quid iuuat se distringere tantis excursitationibus, cui in arcto, et inutilis labor est, Iliada post tot HOMEROS canere, et quid iuuaret allegasse et non sufficienter probasse. Sed, ne te omnino dubium dimittam,

tam, ablegare te placet ad bigam opusculorum in hoc genere facile principum, sc. GVNDLINGII *Diss. de Vsu practico actionum b. f. et str. iur.* et Conf. HASELBERGII, ICti, et Syndici ciuit. Gryphiswald. *Diss. de Contractibus et Actionibus b. f. et stricti iuris*, quarum vna ex altera luminis capit multum. W. Omnia pacta, quibus, vel sui natura, vel voluntate paciscentium, sollemnitates verborum vel litterarum, h. e. stipulatio vel litterarum obligatio accedebat, *negotia s. contractus stricti iuris* fiebant; reliqua omnia *bonae fidei*. Hinc patet: a) sui natura duos tantum contractus stricti iuris fuisse, stipulationem nempe et contractum chirographarium; b) saepius tamen ad negotia, quae in se bonae fidei essent, v. c. emtionem, locationem cet. litterarum vel verborum sollemnitates, paciscentium arbitrio, accessisse, eaque ideo per accidens stricti iuris facta esse; quo fit, vt vnum idemque pactum nunc stricti iuris, nunc bonae fidei esse dicatur. Conf. BOEHMERI *doctrina de actionibus S. 1. c. 3. §. 12. sqq. p. 32. sqq.*

§. CLX.

QVASI CONTRACTVS sunt facta ex praesumto consensu obligatoria (*). *Quasi contractus.*

(*) Consensus hic adest nullus, neque expressus, neque tacitus. Consensus autem essentiale contractus est, E. contractum in talibus factis non inuenies. Fingit vero lex intercessisse consensum, v. g. gerentem negotia alicuius, et eum, cuius gesta sunt negotia, idque ob vtilitatem huius (Vid. § CXXXX. not. c). Inde est, quod quilibet, etiam inhabilis ad contrahendum, quasi contrahere possit, vtpote pupillus, furiosus etc. *L. 46. de O. et A.* Notat autem *quasi* hic similitudinem effectus, quasi nimirum vere contractum fuisset. Conf. Dn. Io. DAV. DIETERICI, amici optimi, ICti a- Aduocati Iudic. Brunsu. Luneb. *Diss. de quasi notione iuridica. Goetting.* 1740.

§. CLXI.

Pactum (a) onerosum (b), quo ius ac obligatio dubia (c) determinatur, TRANSACTIO dicitur. L. II. T. 15. *Transactio.*

(a) Trans-

(a) Transactio pactum est; est enim duorum in idem placitum consensus. *L. 9. §. vlt. D. de Trans. L. 15. et 28. C. eod.* Sed vtrumne etiam contractus? Hoc non adeo liquere videbitur, maxime si videbis, eam a magni nominis ICtis contractibus innominatis accenseri, idque vel ob hanc potissimum rationem, quod in *L. 6. et L. 33. C. de Trans.* transigenti concedatur actio praescriptis verbis, Verum ex eo id minime confici potest; actio enim praescriptis verbis contractuum innominatorum character non est, non enim iis priuatiue inest, sed actio praescriptis verbis datur, quoties ordinaria actio deficit, aequitatis vero ratio adest. *L. 5. D. de praescr. verb. L. 20. pr. D. eod.* Atque idem hoc *c. L. 6. C. de Trans.* non aliud innuit. Decernit enim IMPERATOR: Si stipulatio non accesserit transactioni, in subsidium NB. VTILEM ACTIONEM, *quae praescriptis verbis rem gestam demonstret,* dandam esse. Negandum quidem non est, si alter transigens statim aliquid det vel faciat, v. g. numeret C. vel litem derelinquat, contractum innominatum hoc negotium referre, sed quidsi nihil detur, nihil fiat, sed saltim conueniat, dandum aliquid esse, qui casus sunt in *L. 2. 15. D.* et *L. 18. C. de Trans.* vel adiiciatur stipulatio, quod factum in casu *L. 6. et 33. C. de Trans.* aliter res omnino se habebit. Igitur vides accidentalia haec omnia esse, quae adesse vel abesse possunt, salua substantia transactionis. Suppetit aliud argumentum, transactionem contractum innominatum non esse; scilicet in omnibus contractibus innominatis poenitere licet, atque sic aut condicere datum, aut ad implementum agere, *L. 1. et 4. C. de rer. permut.* in transactione vero poenitentiae locus non est. *L. 39. C. de Trans.*

(b) Transactio pactum onerosum est; omnis hic liberalitas exulat; nisi quid dederis, promiseris, remiseris, aut alter, transegisse te non dici poterit. Id te docebunt IMPERATORES DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS in *L. 38. C. de Trans.* rescribentes: *Transactio nullo dato, vel retento, vel promisso, minime procedit.* V. g. Lis tibi cum Sempronio est de seruitute pascendi, euentus eius quum sit dubius, te inter ac eum conuenit, vt seruitus, si qua fuerit, habeatur pro extincta, soluto L. Thalerorum, ac remisso, quod ipsi debebas, pretio, aut promisso facto, ita transegisse diceris cum Sempronio.

Si

Si nil dederit alter, remiserit, aut se praestiturum dixerit, pactum remissorium erit.

(c) Transactio supponit obligationem vel ius dubium; si certum sit, pactum remissorium est. *L. 1. D. de Trans.* Quid vero dubium sit, infra explicabo §. DLXXIII.

§. CLXII.

TRANSACTIO, quae omnia dubia transigentium iura ac obligationes determinat, VNIVERSALIS (a); quae plura, sed eiusdem generis, GENERALIS (b); quae indiuiduum aliquod, SPECIALIS (c) dicitur. *Transactio vniuersalis; generalis; specialis.*

(a) Caius cum Sempronio litem alit aliquam super re emta, aliam super iniuriis, et rursus aliam super hereditate; Omnes hae vna transactione si componantur, transactio vniuersalis est.

(b) Iidem ex diuersis contractibus, locati v. g. et depositi, lite distringuntur; Transigunt, atque omnes has lites tollunt, transactio generalis est.

(c) Litigamus de aedibus paternis; transactio, qua haec lis tollitur, specialis est.

§. CLXIII.

POSTVLARE stilo Romano dicebatur, qui suo, vel alterius nomine (a), Praetorem pro tribunali sedentem (b) rogabat, vt sibi liceret edere actionem (c), vel reum interrogare (d). Lib. III. T. 1. *Postulare.*

(a) Hoc plerumque aduocati faciebant; inde est, quod occasione huius tituli agatur de officiis aduocatorum, cui tamen rei expediendae parum ex hoc ipso solatii accedit.

(b) Ita VLPIANVS *L. 4. §. 8. D. de damn. inf. Postulare autem proprie hoc dicimus, pro tribunali petere, non alibi.* Vid. GELLIVS *Noct. Att. Lib. II. c. 12.*

(c) Adeoque fiebat ante litem contestatam, et sic in iure; inde est, quod VLPIANVS *L. 1. §. 2. D de postul.* dicat: POSTVLARE *esse* ... *desiderium suum vel amici* IN IVRE

quod si in bonam partem fertur, *fama ciuilis*, sin in malam, *infamia* vocatur. Io. Chr. Avgspvrg *de veris fundamentis et gradibus existimationis ciuilis.* Hannou. 17.. Goth. Lvd. Mencken *de fama forensi.* Vit. 1732. S. 3

§. CLXVII.

Infamia, Infamis. Priuatio existimationis simplicis INFAMIA; et qui existimatione simplici priuatur, INFAMIS est (*).

(*) Infamis E. fit aliquis, si eum in talem deducis statum, vt omnes, aut maxima saltim pars eorum, qui eum norunt, iudicent, habitu eum pollere violandi leges externas, v. g. furem esse, adulterum, lenonem etc. Inde perspicitur vnico facto infamiam, stricte sic dictam, non contrahi. Iactura existimationis dicitur in *L. 51. C. de Decur. et L. 4. §. 5. de Extr. cogn.* damnum famae in *L. 8. C. ex quib. caus. infam. irrog.* imminutio opinionis in *L. 6. §. 1. C. de postul.*

§. CLXVIII.

Infamia iuris; facti. Si lex declarat, aliquem violantem legem priuatum esse debere existimatione simplici, INFAMIA IVRIS (a); si quis ob facta turpia, lege infamia non notata, existimationem simplicem amittit, INFAMIA FACTI (b) dicitur.

(a) Quae naturali iuri desunt, ea supplet lex ciuilis, vnicoque interdum actui attribuit, quod alias competebat habitui. Ad hoc vero, vt quis fieri possit iure infamis, requiritur factum illicitum, *L. 5. §. 1. D. de Extr. cogn.* quod lege speciatim sit notatum. *L. 11. C. ex quib. caus. infam. irrog.* His suppositis, aut quis impingens in illam legem statim infamia notatur, vti ii, qui iuratam transactionem violant, *L. 41 C. de Trans* aut lenocinium exercent, *L. 1. et 4. § 2. D. de his, qui not. inf.* aut sententia prius requiritur condemnatoria, vt v. g. in contractibus, aliisque casibus, vbi turpe factum non statim oculos incurrit.

(b) Oritur autem infamia facti ex iudicio aliorum de imperfectionibus et violatione legum. Neque tamen hic

hic in censum venit abiectissimorum hominum iudicium, quod facile incurrere poteris, si non ambas eis manus buccamque impleueris, sed honestiorum grauiumque virorum requiritur censura.* *L. 2. D. de Obs. a lib. etc.* et *L. 25. C. ad L. Iul. de Adult.* Praecipue vero huc spectabat notatio Censorum, qui moribus inuigilabant. Vid. THOMASII *Diss. de Censura morum.* W. Quae AVCTOR de *infamia facti* disserit, nugae sunt, cum, si factum ex legis dispositione famae priuationem mereatur, infamia iuris adsit; sin vero factum lege haud notatum, adeoque iustum et legitimum sit, nemo priuatorum damnare potest, et poenam publicam, qualis est infamia, infligere, quam leges ignorant. Omnis ergo sententia auctoris facili negotio collabitur. AVGSPVRG *l. c. §. 135. sqq. p. 51. sqq.* S.

§. CLXVIIII.

Priuatio existimationis, non ob factum, sed ob statum, LEVIS NOTAE MACVLA audit (*). *Leuis notae macula.*

(*) Atque ita lictores, carnifices, castratores suum, cum omni eorum appendice, existimatione priuantur a vulgo, non quod violauerint leges ciuiles, aut naturales, sed quod hoc viuendi genus elegerint, quod artem hanc, indecoram ipsi visam, profiteantur. Hoc infamiae analogon exsculpunt ex *L. 27. C de inoff. test.* seque in verbo, quod pueri in faba, inuenisse videntur. Vid. B. Dn. HEINECCII *Diss. de leuis notae macula.* W. Quid moribus hodiernis de hac leuis notae macula statuendum sit? breuibus demonstraui in *Elem. iur. germ. §. 210. sq.* S.

§. CLXX.

Qui negotia alterius mandato eius curat, PROCVRATOR (a) est; si lis curatur, IVDICIALIS (b); sin alia negotia, EXTRAIVDICIALIS dicitur, et MANDATVM, quo constituitur, PROCVRATORIVM. Lib. III. Tit. 3. *Procurator; iudicialis, extraiudicialis; Mandatum procuratorium.*

(a) Procuratoris nomen latissimi significatus est, et ad qualiacunque negotia administranda se extendit, id

 quod

quod nos docet PAVLVS *L. 1. Sent. Tit. 10. §. 2.* his: *Procurator aut ad litem, aut ad omne negotium, aut ad partem negotii, aut ad res administrandas datur*, planeque haec vox aequipollet voci *mandatarii*, constituitur enim alterius mandato.

(b) Hos κατ' ἐξοχὴν procuratores dicere consueuerunt. Quomodo ab aduocatis differant, vid. §. CLXIIII. not. b. Procurator hodie ab Aduocato differt, quod hic, quae in scriptis peragenda sunt, conscribat, ordinet, instruat, procurator vero iudici porrigat, terminos obseruet, curet, etc.

§. CLXXI.

Cognitor. Qui praesentis litigantis caussam, praecipue status, tuebatur, COGNITOR olim dicebatur (*).

(*) Ita quidem ex mente ASCONII PEDIANI ad *Cicer. de Diuin. c. 4. et ad Verrin. III.* a quo in tantum recedit B. Dn. HEINECCIVS *Ant. Rom. L. IIII. T. 10. §. 3.* vt putet, non praesentis caussam egisse saltim, sed a praesente constitutum fuisse cognitorem. Differentiam huius a procuratore tetigi §. CLXIIII. not. b. Vid. I. GODOFREDVS ad *L. 1. §. 5. D. de proc.*

§. CLXXII.

Actor; Actorium. Procurator, mandato tutoris negotia pupilli iudicialia curans, ACTOR (*); mandatum, quo constituitur, ACTORIVM dicitur.

(*) Actor proprie dicitur, qui ius sibi applicari a iudice petit. Ab hac actoris notione paululum deflectit haec nostra. Desideras rationem? Dicam eam. Procuratorem quum olim nemo constituere posset, exceptis tribus casibus, nisi dominus; fictione quasi traditionis dominii autem intercedente procurator dominus fiebat litis. Sed tutores non erant domini rerum pupillorum suorum, pupillus vero ipse alienare nequibat. E. dominium litis nec ab vno, nec ab altero transferri poterat, ideoque nec procurator constitui. Quid nun consilii? Praetor, ad quaeuis facilis, dubiis hoc in casu

casu atque petentibus adsurgebat, actoris nomine compellari eum iubens. Actor autem hic dabatur ad agendum, si ad defendendum, DEFENSOR, si ad alia negotia, ADIVTOR dicebatur. Vid. *L. 24. D. de adm. tut. L. 13. §. 1. D. de tutel.* Verum haec praxis nostra, nescio an iure, immutauit, vt actoris nomen hodie sit latissimum. *Defensor; Adiutor.*

§. CLXXIII.

Qui negotia propria alterius nomine curat, PROCVRATOR IN REM SVAM (a); qui aliena, IN REM ALIENAM (b) vocatur. *Procurator in rem suam; in rem alienam.*

(a) Talis est cessionarius; cedentis enim nomine exigit, quae sibi postea habet. Sempronius Caio debet C. ex emto, haec a Sempronio exigendi ius in Titium confert Caius; Titius procurator Caii est, sed in rem suam. *L. 4. et 9. C. de proc. L. 8. §. ult. D. Mand. L. 2. §. f. D. fam. erc.* Sed, quid tali fuco opus, quum Titius rem propriam agat? obiicies. Tene: Cesso aliquo iure, cedens subtili ratione iuris antiqui manebat dominus, atque ita aliter esse non poterat, si quid vtilitatis in cessionarium redundare deberet, quam vt eum cedens procuratorem constitueret, atque sic dominium ad minimum litis in eum conferret. Vid. LVDOVICI *Vj. pract. diss. Tit. de procurat. Dist. 6.*

(b) Hic non nisi procurator iudicialis, quem §. CLXX. definiui, saltim sub alia persona, atque in relatione §. hac indicata.

§. CLXXIIII.

Is, qui negotia alterius mandato eius, sed secundum arbitrium, curat, PROCVRATOR CVM LIBERA; qui ad normam praescriptam, SINE LIBERA dicitur (*). *Procurator cum et sine libera.*

(*) Hanc distinctionem, quoad iudiciales procuratores, ignorat ius ciuile, ei saltem liberam potestatem tribuens, cui omnium bonorum administratio, nulla lege restricta, erat commissa. *L. 12. D. de pact. L. 17. §. fi. D. de iureiur.* Verum ius canonicum admittit procuratorem, qui suo arbitrio litem prosequatur. Vid. *c. 4. de procurat. in 6.*

§. CLXXV.

Dominium litis. DOMINIVM LITIS est facultas, qua actio (a) alicui ita propria est, vt eam suo nomine mouere possit (b).

(a) Actio, non res, quae actione petitur; ea enim manet domino, et ab illo quocunque tempore vindicari, vel condici potest.

(b) Vid. Perill. Dn. BOEHMER *I. E. P. Lib.* 1. *Tit.* 38. §. 18. Dominium hic sumitur in latiori significatu, nec ad res corporales adstringitur. Effectus dominii litis hodiernos exponit B. Dn. HEINECCIVS *Ant. Rom. L. IIII. Tit.* 10. §. 4. et Perill. Dn. BOEHMER *l. c.* Inde in plurimis Germaniae iudiciis, et in specie Holsaticis, sententia in procuratores fertur. V. gr. In Sachen des hiesigen Land- und Hofgerichts-Advocaten Johann Henrich Langeriahn Kl. entgegen und wieder den Land- und Hofgerichts-Advocaten Sam. Gerh. Benisch Bekl. puncto debiti, etc. Idem in supremo S. R. I. Archi-Tribunali in caussis Mandatorum obseruatur. W. Conferendus omnino est I. H. BOEHMER *de dominio litis; T. II. exerc. ad Pand. p.* 443. *sqq.* S.

§. CLXXVI.

Substitutus. Qui vicibus procuratoris, eo impedito vel mortuo, fungitur, SVBSTITVTVS dicitur (*).

(*) Substitutio procuratoris, licet alias arbitraria sit, de iure tamen ac praxi Camerali voluntaria non est, vid. *R. I. de A.* 1654. §. 100. idque potissimum constitutum, ne caussa impediatur, vel remoretur eius cursus difficili saepe reassumtionis negotio.

§. CLXXVII.

Mandatum generale; speciale. MANDATVM, quod omnes alicuius lites respicit, GENERALE (a); quod aliquam saltim, vel singulos actus, SPECIALE (b).

(a) Non nisi talia in summis imperii tribunalibus admittuntur; *C. O. C. P. III. Tit.* 14. *pr. R. I. de* 1654. §. 101. hinc formula: Ich Endes unterschriebener thue kund und

und bekenne mit diesem offenen Brief, daß für mich und meine Erben und Nachkommen zu Vollführung meiner an dem Hochlöbl. Kays. Reichs-Hofrath (Reichs-Cammergericht) hievorigen, jetzigen, künftigen Rechtssachen, gegen wen ich die haben und überkommen möge 2c.

(b) Speciale mandatum duplici respectu dicitur, 1) in oppositione ad generale, omnes omnino lites complectens, atque adeo tale notat, quod ad indiuiduum litis datur. 2) Dicitur, quod ad actum aliquem expediendum conceditur, v. g. ad iuramentum praestandum, et rel.

§. CLXXVIII.

MANDATVM, quod dedisse quis ex iusta causa fingitur, PRAESVMTVM est (*). *Mandatum praesumtum.*

(*) Si pater filium, maritus vxorem, frater fratrem in iudicio defendat, mandato licet carens, praesumitur hoc facere volentibus istis. Vid. *L. 35. pr. D. de proc.*

§. CLXXVIIII.

Qui litem ex parte rei absque mandato suscipit, DEFENSOR (a); si sponte id facit, VOLVNTARIVS; sin ex obligatione aliqua (b) erga eum, NECESSARIVS dicitur. *Defensor; voluntarius; necessarius.*

(a) Vid. *L. vn. C. de Satisd.*

(b) Haec variis modis oriri potest, aut ex pacto antecedente, nimirum, si aliquis pecuniam, aut alia ex rebus, de quibus lis metuitur, sperat in se redundare, atque sic ex innominato contractu, aut si cui aduersus eum regressus competit, vid. HVBER *Prael. ad Digest. p. m. 667.* aut denique a iudice detur, quod in criminalibus plerumque fieri solet.

§. CLXXX.

Qui ex mandato praesumto negotia alterius iudicialia curat, QVASIPROCVRATOR (a); qui mandato omnino destituitur, FALSVS PROCVRATOR (b) dicitur. *Quasiprocurator; falsus procurator.*

(a) Vid. §. CLXXVIII.

(b) Ita quidem procurator mandato carens dicitur in *L. 5. §. f. D. rem. rat. hab.*; sed et ille, qui insuper procuratorem se simulat, lucri forsan ex lite captandi causa, falsus procurator audit. *L. 44. D. de furt. L. 18. D. de sol.* Verum hanc speciem sub generali notione latere, quis est, qui non videat?

§. CLXXXI.

Lib. III. Tit. 4. *Vniuersitas; rerum; personarum; Collegium.*

Complexus plurium indiuiduorum, communi fini comparatorum, VNIVERSITAS generatim; et si plura ea sint res, RERVM (a); Complexus vero plurium familiarum VNIVERSITAS PERSONARVM (b); Societas artem aliquam excolens, exercens, aut regulis certis Deum colendi adstricta, COLLEGIVM (c) dicitur.

(a) V. g. hereditariarum; adde peculium, gregem, armentum etc. Vid. *L. 20. §. 10. D. de her. pet. L. 1. pr. D. de R. V. L. 70. §. 2. D. de Vsufr.*

(b) Vel etiam simpliciter vniuersitas. Alii negatiue vniuersitatem definiunt, quod sit ciuilis societas, quae neque familia, neque libera respublica est. Vid. HVBER *Prael. ad Tit. Dig. de R. D.* Pertinent huc ciuitates, pagi, collegia opificum etc.

(c) Haec ab vniuersitate differunt, quae familias, ita, vti haec singulas personas, supponit. Atque ita ad collegia pertinent academiae, quae non quoad solum collegium docentium ac discentium, sed quoad omnem earum rem familiarem, familiam omnem, vniuersitates sunt, ordines monachorum, virginumque vestalium, scholae, et quamuis ludimoderatoribus ante omnes nec propensio nec otium deficiat augendae familiae studendi, nec euentus plerumque eos fallat, in vniuersitatem tamen non degenerabit collegium eorum.

§. CLXXXII.

Syndicus; Syndicatus.

Procurator (a) vniuersitatis SYNDICVS (b) dicitur, et mandatum, quo constituitur, SYNDICATVS.

(a) De iudiciali loquor procuratore. Vid. *L. 1. §. 1. L. 6. §. 1 D. quod cuiuscunque vniu. nomine, vel contr. agatur.* Negari quidem nequit procuratores ac Syndicos differentias aliquas intercedere, quae vero, quum modum constituendi et reuocandi, atque sic accidentalia respiciant, hic non curo.

(b) *Syndici* dicuntur a συνδικεῖν, patrocinari, quod idem est, ac defendere. *L. f. §. 13. D. de mun. et hon.* Vocantur alias *Ecdici* ab ἐκδικεῖν, vindicare, vid. PLINIVS *Lib. X. ep. 3.* CICERO *Lib. XIII. ep. 56.* it. ciuitatum vindices, *L. 1. si qua praed. pot. C. Theod.* vid. CVIACIVS *III. 14.* actores ciuitatum, *L. 1. §. 1. D. quod cuiusque vniu. nom.* Ex quibus omnibus conficitur, Syndicum esse, tam qui vniuersitatis nomine agit, quam qui eam defendit.

§. CLXXXIII.

Actus, quibus vtilitas rei alienae alterius nomine promouetur, ADMINISTRATIONIS nomine veniunt (*). Lib. IIII. Tit. 5. *Administratio.*

(*) Vid. KOEHLER *Iur. soc. §. 711.* Adeo late huius vocis sensus patet, vt ipsam rempublicam non excludat; Tribuitur enim magistratibus maioribus, qui merum imperium administrare dicuntur. Vid. *Tit. C. de Administr. respubl.* it. *Tit. de Administr. ciuit.* Vsitata tamen magis notio, qua priuatis rebus accommodatur; Ita v. g. qui praedium rusticum Caii ita colit, vt segetes, rastro subactis agris, iusto tempore terrae mandet, fructus maturos separet atque colligat, census, aliaque Caio debita exigat, ipsique seruet, Caii praedium rusticum administrare dicitur.

§. CLXXXIIII.

Rerum alterius, eo ignorante, extra iudicium (a) suscepta administratio (b), NEGOTIORVM GESTIO (c) dicitur; et qui administrat, NEGOTIORVM GESTOR (d). *Negotiorum gestio, gestor.*

(a) In eo differt negotiorum gestor a defensore, vid. §. CLXXVIIII. W. Saepe tamen negotiorum gestor volun-

voluntarius procurator adpellatur. CICERO Brut. c. 14. PAVLLI *rec. sent.* I. 3, 3. CVIACIVS obs. VII, 26. X, 25. S.

Gerere. (b) *Gerere* diuersum ab administrare aliqui volunt, illudque sine verbis, ac inter duos fieri contendunt, eaque in re VLPIANVM in *L. 19. sq. D. de V. S.* in partes suas vocare non dubitant; Verum, vti probatae latinitatis auctoribus haec distinctio incognita est, ita pro synonymia harum vocum militat CICERO *Lib. II. de Orat.* IDEM *de senect. c. 6.* cui subscribunt CAIVS *L. 58. D. de V. S* IVLIANVS *L. 6. D. de N. G.* PAVLVS *L. 21. §. 1. D. eod.* VLPIANVS *L. 7. pr. D. de min. rel.*

(c) Gestio suscipitur, quando res aliena curam desiderat, eius dominus abest, aut, quae fiunt, ignorat, ego vero vtilitatem s. perfectionem eius promoueo. Hanc vero vel e quolibet, ex innato moralitatis principio, praesumitur, atque ita praesumtus eius consensus, proindeque quasi contractus adest (vid. §. CLX.). Memini negotiorum gestorum casum, cuius memoria risum semper mouebit, hunc vt tibi inuideam, a me impetrare non possum. Quum adhuc in academia N. degerem, non ignoraui ciuem, bonis quidem affluentem, sed ita parcipromum, vt macies vix ossa tegeret; aedes, principe ciuitatis loco positae, ita male materiatae erant, vt non inclinarent, sed prope iacerent. Filiam ex vxore susceperat sibi per omnia dissimilem, oculisque, nec frustra, viros venantem. Accidebat vero, vt, quum Euclio noster hereditatis captandae causa in Hollandiam esset profectus, ibique alienis sumtibus cuticulam per sesqui annum curaret, Sempronius, iuris candidatus, diues suique iuris homo, filiam ambiens, sponsaliaque clandestina contrahens, aediculas Euclionis refecturus, eas fundamine haud difficulter deiectas ornate satis extruebat, vsuique plurium accommodabat. Restitutis aedibus, earum partem a se ipso conducebat, redeuntique Euclioni & aedes nouas et rationes intra priuatos parietes exhibebat. Hinc ibatur ad iudicem negotiorum gestorum causa, ac denique transigebatur, in solutum accepta filia, doti renunciante, et successionem saltim sibi seruante genero. Plura exempla habes in *L. 6. pr. et §. 2. sq. L. 5. L. 40. L. f. D. Neg. gest.*

(d) Offi-

(d) Officium quum esset humanitatis, amorisque indubitati specimen, impediti vltro curare negotia; inde intelliges, quid sibi velit CICERO *pro Caecinna V.* negotiorum gestorem appellans *voluntarium amicum*, idemque cur *in Bruto c. IIII.* eum dicat *voluntarium procuratorem*, quae locutio ex supra dictis lucem accipiet.

§. CLXXXV.

ACTIO NEGOTIORVM GESTORVM DIRECTA est personalis (a), competens ei, cuius negotia gesta sunt, aduersus gerentem, ad rationes gestionis reddendas (b); CONTRARIA datur gestori aduersus eum, cuius gesta negotia sunt, ad indemnitatem (c). *Actio negotiorum gestorum.*

(a) Oritur enim ex quasi contractu. *L. 5. §. 7. D. Neg. gest.*

(b) Sub quo damni dati resarcitio, reliquaeque praestationes omnes latent. *§. 1. I. de oblig. quae ex quasi contr. etc.*

(c) Vid. *§. 1. I. cit.*

§. CLXXXVI.

Lis alteri dolo malo mota, vel continuata, CALVMNIA (a); Qui ad hoc quocunque modo concurrit, CALVMNIATOR (b) dicitur. Lib. III. Tit 6. *Calumnia; Calumniator.*

(a) *Calumniam* callidam et malitiosam iuris interpretationem CICERO *de Offic. L. 1. c. 10.* dixit, quae quamuis abesse nequeat a calumnia, applicatio tamen peruersa interpretationis, eaque, quae agendo se exserit, hic potissimum in censum venit. Suffragantes hac in parte habeo CAIVM in *L. 233. D. de V. S.* et MARCIANVM *in L. 1. §. 1. D. ad Sct. Turpil.* In specie autem calumnia notat litem accepta pecunia motam. *L. 1. §. 1. L. 7. L. f. D. de Calumn.*

(b) Calumniatorem eum esse, qui calumniosam litem mouet, facile intelligitur. Sed, vtrum qui, quocunque id fiat modo, ad eam concurrit, calumniator dicendus sit, dubitatum fuit. Verum non opus erat hac dubitatione; De actore hoc comprobat *L. pen. D. de hered. inst.* in qua calumnia vocatur, si princeps litis

causa instituatur. De reo agit *L. 1. D. si mul. ventr. nom.* vbi mulier per calumniam in possessione fuisse dicitur, quae, praegnantem se simulans, possessionem ventris nomine occupauerat. Varias vocis calumniatoris significationes optime tradit HERALDVS *animadu. ad ius Attic.* Dictum autem calumniatorem esse a verbo *caluor*, i. e. frustror, vult CAIVS *in L. 233. D. de V. S.* Vid. CHARISIVS *Inst. Gram. Lib. I.* et PRISCIANVS *Lib. X.* W. H. BRENKMANNI *Lex Romana j. de legis R. exitu liber singularis; accedit diss. de fatis calumniatorum sub Regibus; in* OTTONIS *Thesauro T. III. p. 1561. sqq.* S.

§. CLXXXVII.

Actio aduersus calumniatores.

ACTIO ADVERSVS CALVMNIATORES erat actio in factum, competens ei, qui alteri quid dedit, vt calumnia non fieret (*), aduersus accipientem, ad quadruplum, aut exacto anno, simplum eius, quod acceperat.

(*) Danti, vt calumnia fieret, non competebat haec actio, quoniam in pari turpitudine melior est ratio possidentis. *L. 3. §. 3. D. de Calumn.*

§. CLXXXVIII.

Lib. IIII. T. I. *Restitutio in integrum; breui manu.*

Si res in eum statum, in quo antea fuit, reducitur, IN INTEGRVM RESTITVI (a); actus vero, quo res in eum statum, in quo antea fuit, reducitur, RESTITVTIO IN INTEGRVM; quae si contra lapsum fatale, sine praeuia cognitione, conceditur, BREVI MANV (b) audit.

(a) Et quidem plenarie; Ita enim classicis auctoribus venit, vid. CICERONEM *in Verr.* 17. et TERENTIVM *Phorm. Act. II. Sc.* 4. *v.* 11. hanc ob causam additur vocabulum in integrum, maioris emphaseos causa, quum alias restituere iam idem sit, ac redintegrare. Vid. *L. 18. §. 4. D. de Vsur.* Conf. BRISSONIVS *de verb. sign. voc restit.* W. Non videtur AVCTOR omnem restitutionis indolem peruidisse. Breuibus dicendum est: *restitutionem in integrum* esse actum, quo negotium, stricto iure validum ex

ex legis beneficio, caussa ante cognita, rescinditur; neque enim, quae *breui manu* fit, sine omni caussae cognitione peragitur, semperque summaria certe cognitio praecedit. S.

(b) Breui manu haec restitutio, sed barbare satis dicitur, quod posthabitis omnibus ambagibus, allegata saltim sufficienti causa, conceditur. Opponitur restitutioni, quae formam ordinarii processus desiderat, remediumque suspensiuum est. E. b. C. G. D. *P. III. Tit. 62. pr.*

§. CLXXXVIIII.

SPONTANEITAS est principium, sese ad agendum determinandi, intrinsecum (a); METVS est taedium, ex repraesentatione futuri mali ortum (b); Qui nobis id repraesentat, nos COGIT; ACTIO metu suscepta COACTA dicitur. Lib. IIII. T. 2. *Spontaneitas, Metus, cogere, Actio coacta.*

(a) Pones Titium ambulantem, in terram prostratum conspicere hominem miserrimae conditionis, illumque, vel hoc non rogante, ipsi dare argenti minuti aliquam copiam, Titius *sponte agere* dicitur; principium enim determinationis ad agendum in ipso Titio, et quidem in facultatibus animae eius latet, adeoque intrinsecum est.

(b) A Caio inermi raptor, sclopeto in eum directo, C. florenos quum exigit, insuauem ideam ipsi repraesentat, quam *taedium* vocamus; Oritur autem insuauis haec idea exinde, quod sibi persuadeat Caius, ni dederit C. actum de vita sua esse. E. ad malum ex eo oriundum, sicque futurum respicit; Caium itaque aliquid metuentem dicimus. VLPIANVS *L. 1. D. quod. met. caus.* metum dicit: *Instantis vel futuri periculi causa mentis trepidationem*; in qua quidem definitione non est, quod reprehendam, nisi quod, curatius pensitata re, id, de quo metuimus, solum futurum sit, quamuis proxime immineat; Mentis trepidationem ad insuauem ideam referri, nemo negauerit. Consentit ARISTOTELES *Lib. III. Ethic.* demissionem animi propter exspectationem futuri, metum vocans, nisi superiorem aliquem metus gradum, quem pusillanimitatem dicere consueuimus, definire forsan voluit. *Taedium.*

§. CXC.

§. CXC.

Vis; ablatiua; compulsiua; turbatiua; expulsiua.

Coactio, quae facto externo fit, VIS (a); qua si alter determinetur, vt det aliquid, vel patiatur sibi surripi quid, ABLATIVA (b); vt faciat aliquid, COMPVLSIVA (c); qua possessio libera impeditur, TVRBATIVA (d); qua quis ea omnino deiicitur, EXPVLSIVA (e) vocatur.

(a) Vis tantum non omnino relatum metus est. Hic tamen est. Raptor stricto ense adoriens Lucium, eumque v. g. compellens, vt cambium aliquod subscribat, vim ipsi infert; hinc non adeo absone PAVLVS *L. 2. D. quod met. caus.* vim vocat: *Maioris rei impetum, cui resisti non potest.*

(b) Raptor, Caium adoriens, necem ipsi minatur, si vel mussitare ausus fuerit; hoc facto, marsupia eius perquirit, et quae inuenit, ad se recipit: vim ablatiuam Caio intulit.

(c) Megadorus, filiam suam Philomelam inter amplexus Antiphonis conspiciens, totam domum insuperque parochum cogit, iuuenemque minis factisque determinat ad id, vt nuptias cum Philomela, nulla interposita mora, celebret, vim adhibet compulsiuam.

(d) Sempronius ius venandi in silua Titii tempore longissimo exercuerat; iam a Titio armis, ne id faciat, impeditur: turbatur E. Sempronius in possessione iuris venandi vi a Titio.

(e) V. g. Tullius cum aliquot rusticis inuadit domum Seii, ruri existentem, eumque foras propellit, locumque eo vacuum occupat.

§. CXCI.

Actio quod metus causa.

ACTIO QVOD METVS CAVSA est in rem scripta (*), data ei, cuius per vim compulsiuam patrimonium deminutum est, aduersus possidentem amissam rem, aut vim inferentem, ad restitutionem rei, et si intra annum moueatur, ad quadruplum.

(*) Actio in rem scripta est personalis sequens possessorem. W. Cf. omnino NIC. HIER. GVNDLING liber

liber singularis *de efficientia metus*. Hal. 1711. et I. H. BOEHMER *de exceptione metus incussi in statu naturali et ciuili*. Hal. 1720. S.

§. CXCII.

Praemeditata intentio imperfectiorem aliquem faciendi DOLVS (a), repraesentatio vero fictitia, qua alter ad agendum determinatur, FRAVS (b) dicitur. Vtrumque aut veram, aut apparentem alterius imperfectionem intendit; illo casu DOLVS MALVS (c) et FRAVS MALA, hoc vero DOLVS BONVS (d), vel FRAVS BONA (e) audit.

Lib. IIII. Tit. 3. *Dolus; fraus; dolus bonus; malus; fraus bona; mala.*

(a) Doli vocabulum alias indifferens volunt, vt neque boni neque mali quid indigitet. Id iam obseruauit GELLIVS *Noct. Att. Lib. XII. c. 19.* Adeoque opus fuit, vt ita generaliter definitionem hanc conceptam hic adhiberem. Scilicet imperfectionem partialem ad perfectionem totius vergere, in metaphysicis euincitur, adeoque adesse potest intentio imperfectiorem aliquem faciendi, vt maior perfectio in eo oriatur, id quod not. d. pluribus ostendam. W. Generatim *dolus* est propositum alteri nocendi. Conf. Illustriss. BVRC. CHR. DE BEHR in Diss. inaug. *de actione de dolo malo, malitiarum Romae euerriculo, supellectile foro nostro maxime necessaria*. Goett. 1738. S.

(b) Vtrum fraus a dolo differat, anne potius eius synonymum sit, diu multumque disputatum fuit. Neque asserentes differre, omnino inter se conueniunt. Sunt, qui fraudem minorem doli gradum putant, sunt, qui dolum factis, fraudem verbis fieri arbitrantur; quos vide apud AVSONIVM POPMAM *de different. verb. p. m. 169. edit. Hekel.* et NOODTIVM *de form. emend. dol. mal. c. 7.* Mihi, si dicendum, quod res est, fraus videtur notare dolum, per externa facta manifestatum. Et hoc vt credam, ratio me mouit, quod fraus consilium et effectum, non alterutrum requirat. *L. 79. D. de D. R. I. L. 1. §. 15. D. si quid in fraud. patr. L. 4. §. 19. D. de fideic. lib, L. 1. §. 1. D. de statu lib.* Contrarium huic statuit ALCIATVS *de V. S. b.* Saepius fraus ipsum factum, fraudulenter susceptum, notat. *L. 131. D. de V. S.*

(c) Dolus

(c) Dolus malus eſt, qui vocabulo doli ſimpliciter poſito indigitatur; Hunc LABEO *L. 1. §. 2. D. de dol. mal.* definit: *Omnem calliditatem, fallaciam, machinationem, ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam*, quae definitio mihi vel ex eo diſplicet, quod non tam rem definiat, quam varias doli ſpecies, ſeu potius fraudis gradus indicet, id quod definientis non eſt. Infimus autem gradus *circumuentio* eſt, quaeque adeo leuis aeſtimatur, vt iuſtitiam non habeat vltricem. *L. 16. §. pen. D. de Min.* Inde natum axioma: *In contractibus ſe circumuenire licet*. Gradum paulo ſuperiorem conſtituit *fallacia*; Ea eſt ingenioſus dolus, docente TACITO *Hiſt. L. II. c. 98.* Maiorem adhuc facit *deceptio*; ibi enim aliquanto apertius cum decipiendo agitur. Ita quidem opinor. Priori LABEO accommodat vocabulum calliditatis, poſteriori machinationis. Quae HOTOMANNVS *Lib. I. Obſ. c. 19.* et BACHOVIVS *ad Weſembecium Tit. de dol. mal. n. 14.* in hac LABEONIS definitione notarunt, iis non immoror. Alia doli, vt videtur, definitio SERVII eſt, a LABONE c. l. improbata. Ita autem ille: *Dolus malus eſt machinatio quaedam, alterius decipiendi cauſa, cum aliud ſimulatur, aliud agitur*; Debet hanc ſuam philoſophiam praeceptori AQVILIO GALLO, qui teſte CICERONE *de Offic. III. c. 15.* eum definiit: *Cum aliud ſimulatur, aliud agitur*; hinc eſt, quod HOTOMANNVS *Obſ. L. I. c. 10.* priora verba: *Machinationem* ſcil. *alterius decipiendi cauſa*, ſuppoſita credat; Ipſe igitur in eo eſt, vt nouam adornet, ſibique perſuadet, dolum eſſe *iniuriam conſulto factam*, *vid. Lib. IIII. Obſ. c. 4.* Omnia elegantiſſime drataque opera excutit NOODT *de form. emend. dol. mal. L. II. c. 2.*

(d) Huius innumera exempla quotidie habebis, ſi modo attenderis ad ea, quae aguntur cum aegrotis, furioſis, infantibus etc. Sed aliud idque vulgatiſſimum adeſt exemplum. Caius homo opulentiſſimus filium genuit prodigum, multorum liberorum, quos miſeria premit, parentem; Hunc determinat Caius, vt renunciet hereditati, adeſt intentio imperfectiorem filium faciendi, ſed haec imperfectio partialis vergit in propriam filii luxuriae alias deditі, et liberorum eius, vt proximorum nunc auo ſuccedentium, perfectionem. E. dolus bonus eſt. Hic veteribus non ignotus, ſed potius ſub nomine *ſolertiae* celebris fuit, vid. VLPIANVS

in

in *L. 1. §. 3. D. de dol. mal.* Eumdem ingeniosum, artificiosumque factum dixere, vid. DONATVS ad TERENTII *Eunuch. Act. III. Sc. II.* ℣. 25. W. Eleganter *doli boni* indolem expressit Ev. OTTO *de dolo bono Vol. I. dissert. p. 496. sqq.* S.

(e) Fraudis bonae meminit OVIDIVS *de arte amand. III. 491.*

Iudice me FRAVS *est concessa repellere fraudem,*

vid. BARTHIVS *Advers. XII. 12.*

§. CXCIII.

DOLVS, a simulante commissus, CLANDESTINVS, a non simulante, APERTVS est. *Dolus apertus; clandestinus.*

§. CXCIIII.

Si DOLVS vel FRAVS rationem sufficientem continet, cur quis contraxerit, CAVSAM DANS CONTRACTVI; si vero sponte paciscens fraude vel dolo imperfectior fit, INCIDENS (*) dicitur. *Dolus, caussam dans contractui; incidens.*

(*) Iuris Romani auctoritas huic distinctioni non patrocinatur, qua tamen difficile nos carere possumus. V. g. Titius Meuio instrumenta hereditaria subducit, aliaque, eis per omnia, excepta quantitate bonorum hereditariorum, similia, eo loco reponit; hoc facto inducit Meuium, vt hereditatem sibi vendat minori pretio: decepit eum, atque dolus causam contractui dedit. Lucius ad Simeonem Iudaeum accedit, horologium argenteum emturus; annuit Simeon, neque ambiguis passibus ad contrahendum aduolat. Adfert horologiorum varia specimina, alterutri ex his infinitum praeloquium praemittitur, inque eius laudem myriada inanium verborum iactantur. Anglicanum dicit hic, credit alter, conuenit inter vtrumque de pretio, traditur ex vna parte horologium, ex altera 60. floreni numerantur. Acta hac fabula apparet, neque Anglicanum esse, neque omnino argenteum, quod emit Lucius, deceptus is est, sed incidit fraus contractum. W. Originem, indolem et effectum huius distinctionis eleganter

ganter demonstrauit DAN. NETTELBLADT *de doli inde dantis et caussam dantis effectu in contractibus.* Hal. 1744. S.

§. CXCV.

Dolus ex re. Laesionem, quae cui accidit citra intentionem cum eo contrahentis, DOLVM EX RE dicere consueuerunt (*).

(*) Sed inconcinne satis. Dolus non adest, vbi abest intentio imperfectiorem aliquem faciendi; v. g. venditur adamas et emitur ex vtriusque opinione, apparet postea talem non esse, dolus ex re vocatur.

§. CXCVI.

Actio doli. ACTIO DOLI est personalis, competens dolo deceptis aduersus decipientes, ad damni dolo dati resarcitionem (*).

(*) *L. 1. pr. D. de dol. mal.*

§. CXCVII.

Lib. IIII. Tit. 4. *Maior; maiorennitas; minor; minorennitas.* Cui aetas tanta est, vt facultate instructus sit externum et internum statum suum perficiendi, MAIOR (*); cui, quo minus id facere possit, aetas officit, MINOR dicitur; Aetas ipsa MAIORENNITAS, vel MINORENNITAS vocatur.

(*) Quum facultates animae pro aetatis ratione augeantur, vel deminuantur, teste experientia, numerum annorum determinare placuit conditoribus iuris; voluerunt itaque Romani XXV. annum terminum esse ad quem, limitemque minorennitatis et maiorennitatis. *L. 3. §. 3. D. de Min. L. 15. §. 6. D. ad L. Iul. de Adult. coerc.* Hinc maiorennitas dicitur: *Iusta aetas L. cit. 15.* W. Quae de facultate statum internum et externum perficiendi habet auctor, somnia sunt Wolfiana, nec ad ius adplicanda; cum idem in minorem adeo cadat. *Maior* in sensu iuris dicendus, qui ius personam et bona sua dirigendi habet, *minor* qui ideo voluntati alterius obnoxius

obnoxius est. Qualis autem differentia inter mores Germ. et Rom. hac in re intercedat, strictim exposui in *Elem. iur. Germ.* §. 197. *sqq.* S.

§. CXCVIII.

VENIA AETATIS est priuilegium minori concessum, res suas absque curatore administrandi (*). *Venia aetatis.*

(*) HARMENOPVLVS interpres eam *L. I. Tit.* 13. ita describit: *Est ius curatores depellendi, et res suas administrandi potestatem obtinere.* Falluntur, qui autumant, eum omnia iura maioribus competentia consequi; Sed nihil ipsi tribuitur, nisi facultas viuendi atque agendi absque curatore, quae enim ne quidem consentiente curatore facere poterat minor, puta immobilia alienare etc. nec venia aetatis impetrata facere potest. *L.* 2. *§.* 1. *D. de Min. L.* 3. *C. de his, qui ven. aet. impetr.*

§. CXCVIIII.

Status ciuilis amissio CAPITIS DEMINVTIO (a): et quidem, si libertas amittitur, MAXIMA (b); si ciuitas, MEDIA (c); si familia, MINIMA (d) dicitur (e). Lib. IIII. Tit. 5. *Capitis deminutio, maxima; media; minima.*

(a) CAIVS *L.* 1. *D. de cap. min.* et IMP. *pr. I. de capit. demin. status mutationem vel permutationem* eam dicit, quae tamen definitio iis solum casibus conueniret, vbi amisso aliquo statu alius acquireretur; sed talem difficile reperies; mutationis voculam facilius admitterem, quam permutationis; mutatum enim dicitur, quod non mansit idem. Atque ita emendatione THEOPHILI *Inst. tit. de cap. demin.* qui addendum *in deterius* putauit, supersedere possumus. Seruus enim manumissus, aut ab hostibus redemtus, quos casus respicit, statum non mutauit, quem non habuit. *§.* 4. *I. de cap. dem.* Caput idem notare, quod status, supra §. XXXXVIII. not. h. indicaui, confirmatque idipsum *L.* 1. *D. de Tut. L.* 2. *§.* 1. *D. de cap. min. §.* 4. *I. eod.* minuere vero mutare TERENTIVS *Hecyr. Act. IIII. Sc.* 3. *v.* 9. dixit. Inde nata Imperatoris locutio. Conf. Dn. SCHIERSCHMIDIVS *El. iur. ciu. p. m.* 253. status cessationem dicit, et eleganter.

Alias dicitur *mors ciuilis*, *§. 1. I. quib. mod. ius patr. pot. solu. L. 1. §. f. D. de B. P. cont. Tab. L. 4. D. de bon. lib. L. 209. D. de D. R. I.* metaphora desumta a morte hominum, qui, quamdiu caput saluum manet, uiuunt, quum vero hoc demitur, moriuntur. Ita nonnulli.

(b) Qui enim in seruitutem detruditur, omnes simul status amittit, ciuitatis nempe et familiae; Seruus enim nullo iure fruitur. Patiebantur autem hanc maximam capitis deminutionem *incensi*, qui censum subterfugerant, nomenque suum in censum referri nolebant, oneribusque se hac ratione subducebant, VLPIANVS *Fragm XI* 11. capti ab hostibus, serui poenae, liberti ingrati, minores XX. annis, qui pretii participandi caussa venumdari se passi fuerant, mulieres seruili amore debacchantes et rel.

(c) Hi ex ciuibus fiebant peregrini. *§. 2. I. de cap. dem.* Hoc accidebat v. g. exulibus, aqua et igne interdictis, deportatis etc.

(d) Huc referas arrogatum etc. Vsum haec omnia hodie non habent, ideoque breuissimus hic sum.

(e) Tres hic enarratas capitis deminutionis species agnoscit *pr. I. de cap. dem.* et *L. 11. D. de cap. min.* Duarum tantum, magnae et minoris, mentionem faciunt VLPIANVS *L. 1. §. 4. D. de suis et leg. her.* et CALLISTRATVS *L. 5. §. 3. D. de extr. cogn.* id quod a contradictione apparente liberat NOODT. *Obs. Lib. II. c. 21.*

§. CC.

Postliminium.

Ius recipiendi res ac iura, quibus apud hostes existens exclusus erat, aut quae apud hostes, quum essent res, commercio ciuitatis exemtae erant, POSTLIMINIVM (*) dicebatur

(*) *Postliminium* PAVLVS *L. 19. D. de Capt.* dicit: *Ius amissae rei recipiendae ab extraneo, et in pristinum statum restituendae, inter nos ac liberos populos regesque, moribus, legibus, constitutum*, vid. *L. 36. D. de Religios.* Ita ciuis Romanus, ab hostibus captus, seruus fiebat, *§. . I. de iur. pers.* reuersus vero, ciuitatis statum iure postliminii recipiebat. *§. 5. I. quib. mod. ius patr. pot. solu.* Sed nec personas

personas tantum respiciebat postliminium, sed et res suo ambitu complectebatur. Id nos docet CICERO *topic. VIII.*: *Quae a nobis alienata sunt, cum ad hostem peruenerint, et ex suo tanquam limine exierint, cum redirent ad idem limen, postliminio dicuntur redire.* Et paulo ante: *Postliminio redeunt haec, homo, nauis, mulus clitellarius, equus, equa, quae frena recipere solet.* Sed vnde postliminium dictum hoc ius sit, dicendum nunc erit. Compositam hanc vocem ex duabus *post* et *limen*, in eo tantum non omnes consentiunt, sunt tantum in determinando posterioris vocis vero significatu dubii. SERVIVS, vt refert CICERO c. l. productionem vel terminationem arbitratur, nulla, vt videtur, ratione nisus. Imperator §. 5. *l. quib. mod. ius. patr. pot. soll.* id deducit a limine, finesque imperii intelligit; Ita ille: *Dictum autem est postliminium a limine et post. Vnde eum, qui ab hostibus (captus est, et) in fines nostros postea peruenit, postliminio reuersum recte dicimus. Nam limina, sicut in domo finem quendam faciunt, sic et imperii finem esse limen veteres voluerunt. Hinc et limen dictum est, quasi finis quidam et terminus. Ab eo postliminium dictum est, quia ad idem limen reuertebantur, quod amiserant.* Placuit haec opinio SCAEVOLAE apud CICERONEM *c. l.* et ISIDORO *Etym. Lib. V.* An et tibi eadem placet? Tradit, vt alios taceam, PLVTARCHVS *Quaest. Rom. V.* ex captiuitate reducibus, maxime si mortuos eos fama nunciauerat, non licuisse aedes per limen prius intrare, sed eos per posteriorem aedium partem apertam fuisse receptos. Limini singulare quid inhaesisse, vel ex eo praeterea conspicitur, quod vxores domum ductae cauerent sibi, ne pedibus id attingerent, vid. LVCANVS *Pharsal. L. II. V. 359.* ROM. TELLER *de postliminio.* Lips. 1758.

§. CCI.

Nexus hominis vel rei cum determinato aliquo spatio PRAESENTIA (*), opposita notio ABSENTIA est. Lib. IIII. Tit. 6. *Praesentia; absentia.*

(*) Spatii determinatio in notione absentiae et praesentiae secundum ius ciuile Romanum variat. Etenim interdum is, qui in continentibus aedificiis, hortisque vrbi proximis commoratur, praesens dicitur *L. 5. sq. D. de*

D. de proc. interdum, qui in eadem prouincia est, *L. f. C. de praescr. long. temp.* interdum mens tantum respicitur, atque ita furiosus absens vocatur *L. 2. §. f. D. de iur. codic.*

§. CCII.

Absentia voluntaria; necessaria; laudabilis; illaudabilis; indifferens.

Absentia, quae rationem sufficientem in libera absentis determinatione habet, VOLVNTARIA (a); quae non, NECESSARIA (b); cuius sufficiens ratio legibus vel moribus probatur, LAVDABILIS (c); cuius non, ILLAVDABILIS (d); cuius mentionem leges non faciunt, INDIFFERENS (e) vocatur.

(a) V. g. Paterfamilias, qui studiorum causa in academia degit, domo absens est voluntarie, *L. 28. D. ex quib. caus. mai.* filiusfamilias enim spontanee hoc casu non agit.

(b) Huc referas eum, qui in latrones incidit; hunc enim apud eos non libere morari, haud difficulter intelligitur. *L. 9. pr. D. eod.*

(c) Haec vel necessaria esse potest, qualis v. g. de eo, qui reipublicae causa, vt legatus etc. abest, dicitur, *L. 36. D. eod. it. L. 6. et 7. D. eod.* vel voluntaria, quorsum referas exemplum sub n. a. allegatum, et conferas *L. 27. §. 42. D. cit.*

(d) Et haec vel necessaria est, vel voluntaria. Relegatus v. g. necessario abest, neque honos ipsi ex absentia contingit. *L. 26. §. 1. et L. 39. D. eod.* Contumax abest ex voluntate sua. *L. 2. §. 1. D. si quis caut.*

(e) Qui lucri participandi causa abest, crimen non committit, nec alios perficit; E. ratione reipublicae indifferentem actionem suscipit.

§. CCIII.

Lib. IIII. Tit. 7. *Potentior; iudicium mutare.*

Qui viribus maioribus instructus est altero, POTENTIOR (a); qui actionem in alium, cui obligatio non debebatur, transfert, IVDICIVM MVTARE (b) dicitur.

(a) Miles

(a) Miles v. g. potentior eſt ciue, ille enim priuilegiis pluribus gaudet hoc, ſimulque durioris conditionis eſſe ſolet.

(b) Non enim manet idem; Ante enim Caius actor erat, Sempronius reus, iam Titius in locum huius ſucceſſit.

§. CCIIII.

Cui (a) facultas litem extra iudicium decidendi a litigantibus conceditur, ARBITER (b); cuius conſilium tantum a litigantibus adhibetur, ARBITRATOR (c) dicitur. L. IIII. Tit. 8. *Arbiter; Arbitrator.*

(a) Iudicis notionem generis loco ponunt A. RYSSEL *in Diſſ. de Arbitris th. 1.* TITIVS *in iure priu. Lib. VIII. c. 12. §. 4.* BEIER *in Diſſ. de Arbitris Sect. I. c. 1. §. 1.* Perill. Dn. BOEHMER *Iur. Dig. Lib. IIII. T. 8. §. 1.* Sed euoluas notionem iudicis explicatam §. CCXXI. atque eam cum arbitri notione conferas. Nec me quidquam mouet, quod arbitrum iudicem dixerit VLPIANVS *in L. 13. §. 2. D. de recept.* et CICERO *Tuſcul. quaeſt.* aliquo loco iudicem honorarium. Prior tamen pro more ſuo, i. e. indeterminate loquutus eſt, poſterior vero *Orat. pro Roſc. c. 5. ſq.* differentiam tradit.

(b) *Arbitrum* ab *ad* et *betere,* quod ire ſignificat, vid. PACVVIVS *apud* NONIVM *II. 73.* PLAVTVS *Merc. II. 3.* qui *bitere* ſcribit, deriuari vult SCALIGER *ad Salluſt. de Bell. Catil. c. 20.* quaſi ſit is, qui accedat. Pandectae Florentinae loco arbitrii ponunt *arbiterium,* et aduocatus dicitur ab aduocando; Iam ipſe iudices, an forte SCALIGERO ſubſcribendum foret. Arbitri, qui olim in actionibus arbitrariis a Praetore dabantur, ad hunc Digeſtorum titulum non pertinent.

(c) Arbitrator igitur ius decidendi non habet, nec eius pronunciatio obligat. Quomodo ab arbitro ceterum differat, videas auctores iuris ſyſtematicos. Conf. inſuper du FRESNE *Gloſſ. voc. arbiter.*

§. CCV.

ARBITER, qui ſponte a parte eligitur, COMPROMISSARIVS (a); quem eligendum lex *Arbiter compromiſſarius; iuris.*

lex iubet, vel permittit, LEGALIS, s. IVRIS (b) dicitur.

(a) Dicitur a compromisso, de quo §. CCVII.

(b) Qui iudicem vt suspectum recusat, arbitrum nominare debebat. *L. f. C. de Iudic* Spectant huc etiam Austregae. C. der C. G. O. *P. II. Tit. 2. §. 1.*

§. CCVI.

Superarbiter. Arbiter, in euentum, si arbitri constituti dissenserint, electus, SVPERARBITER (*) dicitur.

(*) Vernacula Obmann; Superarbitri vocabulum, classicis auctoribus incognitum, debetur *Glossae ad Tit. de Arbitris.* Melius dixeris arbitrium subsidiarium. W. Originem superarbitrorum et iura ex iure Romano, canonico et germanico perspicue deduxit GE. LVD. BOEHMER *de superarbitris*, Goett. 1744. S.

§. CCVII.

Compromissum; plenum; Receptum. Pactum litigantium, de lite arbitrio alicuius submittenda, COMPROMISSVM; quod, si omnes committentium lites respicit, dolique praestandi clausulam annexam habet (a), PLENVM (b); acceptatio arbitri RECEPTVM (c) audit.

(a) Laudum enim non rescinditur, licet laesio adsit. *L. 27. §. 2. D. de recept.*

(b) *L. 31. D. eod.* Hoc enim de dolo ex stipulatu agi poterat.

(c) Duplex hic adest pactum, alterum litigantium inter se, cum arbitro alterum; duplex proinde quaerendum erat nomen. Priori pacto addebatur plerumque stipulatio, vt contra renitentem suppeteret actio, *L. 38. §. 18. D. de recept.* neque vero semper hoc fiebat, *L. 11. §. 3. D. eod.* posterius saepissime nudum erat, ideoque mutabile. *L. 9. sq. D. eod.*

§. CCVIII.

§. CCVIII.

Determinatio iusti et iniusti, ab arbitro, in casu a litigantibus sibi proposito, facta, LAVDVM (a); id, si expresso vel tacito litigantium consensu (b) approbatum est, HOMOLOGATVM (c) vocari consueuit. *Laudum; homologatum.*

(a) Ne succenseas voci huic barbarae, eum in finem inuentae, vt iudicum sententiis, arbitrorumque decisionibus sua et in sono differentia esset. Sententiae, si essentiam atque naturam spectes, per omnia simile est laudum, hoc si exceperis, quod illam iudex, hoc arbiter componat. Hinc non miraberis, id interdum, raro tamen, dici sententiam, vid. *L. 11. L. 19. pr. D. de Rec.* Sed, vnde venit, quod laudum dicatur huiusmodi arbitri decisio? interrogabis. Dicam, tuum erit iudicare. Sunt, qui a laudare, quod est in iure approbare, deriuant, vid. ALCIATVS *Parerg. L. 1. c. 45.* alii a duobus Gothicis verbis *Laff* vel *Lau*, quod legem, et *doom*, quod sententiam notat. Vid. DV FRESNE *Gloss. h. v.*

(b) Tacitus consensus ex eo colligitur, quod intra X. dies contradictum non fuerit. Vid. *L. 5. C. de Rec.*

(c) Laudo lato, olim litigantes huic subscribere debebant: Ἐμμένειν, i. e. permanere, (vel πληροφορεῖν, i. e. implere, vel διδόναι, dare) ὁμολογῶ, i. e. spondeo. Sanciuit autem Imperator *L. 4. §. 6. C. de rec. arb.* etiamsi posterius additum non fuerit, laudum nihilominus valere. Inde homologatum ICtis natum est laudum.

§. CCVIIII.

ACTIO DE RECEPTO est personalis, diuertentibus in caupona, aut rerum suarum quid in eamdem aut nauim inferentibus, aduersus cauponem vel nautam, ad repetendas res illatas (*), competens. L. IIII. Tit. 9. *Actio de recepto.*

(*) *L. 1. §. 7. D. Naut. caup. stab.* W. Vtrum moribus nostris conueniat? disquirit Io. WILH. RICHTER *de actione in factum ex quasi contractu receptionis moribus nostris non conueniente.* Lips. 1759. S.

§. CCX.

Lib. V. T. 1. *Iudicium; Processus.*

Legitima controuersiae, coram persona iurisdictione gaudente, inter litigantes disceptatio IVDICIVM (a); Ordo rerum in iudicio proponendarum PROCESSVS (b) audit

(a) Iudicii vox, si eam generatim spectes, ita ambigua est, vt pleraeque ICtorum esse solent. Ad philosophicam eius notionem tam non attendo. Notat namque iudicium 1) locum, in quo iura factis applicantur, v. *L. 2. D. si quis caut.* 2) actionem, vt v. g. familiae ercifcundae iudicium, *L. 1. C. fam. erc. L. 41. D. de Iud.* 3) cognitionem ipsam; ita Praetor: *Iudicium dabo*, i. e. *cognoscam.* 4) sententiam, *c. 4. et 14. X. de App.* 5) condemnationem solam, *L 6. pr. D. et L. 1. C. de Confess.* 5) facultatem cognoscendi, *L. 2. §. 7. D. de Iud.*

(b) Processus itaque ordo est, non aliquid realitatis habet. Citatio excipit libellum, hunc litis contestatio, probatio, sententia, cet. Stilo Camerali processus dicuntur citationes atque mandata a Celsissimo iudicio decreta, et a Cancellaria conscripta ac sigillo notata.

§. CCXI.

Iudicium ciuile; criminale.

Si inter litigantes agitur de τῷ suo, IVDICIVM dicitur CIVILE; Sin de poena alterutri applicanda, CRIMINALE dicitur (*).

(*) Hoc Romanis publicum, illud priuatum vocabatur. Pro diuersitate litium diuersitas processus oritur, ex supra dictis facile determinanda.

§. CCXII.

Iudicium extraordinarium; ordinarium.

IVDICIVM, quod coram Praetore instituebatur, EXTRAORDINARIVM (*); quod coram iudice pedaneo, ORDINARIVM vocabatur.

(*) Actio quidem omnis praesente Praetore introducebatur, litisque contestatio peragebatur, hoc vero facto dabatur index pedaneus, eoque dirigente lis vlterius

vlterius continuabatur; excipiebantur vero caufae bonorum, pecuniariae, exiftimationem tangentes, criminales, vbi de capite quaeftio erat, in quibus Praetor totum perfequebatur iudicium, ficque ordinem alias folitum non feruabat. Vid. *L. 5. D. de extr. cogn.*

§. CCXIII.

IVDICIVM, quo de laefa auctoritate populi, vel fecuritate publica (a) agitur ad mulctam (b), POPVLARE dicebatur. *Iudicium populare.*

(a) Inde factum, vt quilibet ex populo actoris partes fufcipere potuerit; tale eft v. g. de effufis et deiectis, *L. 5. §. 5. D. de eff. et dei.* de albo corrupto. *L. 7. pr. D. de iurisd.*

(b) In hoc differt a iudicio publico, in quo, quamuis non minus de his rebus difceptaretur, publicam tamen animaduerfionem habebant annexam. Non confundendum vtrumque eft cum iudiciis populi, qui nempe iunctim de grauioribus criminibus olim cognofcebat. Vid. ASCON. PEDIANVS ad CICERONIS *Orat. pro Milone* et PLAVTVS *Menaechm. Act. IIII. Sc. II.* ℣. 18.

§. CCXIIII.

Si de iure in re litigatur, IVDICIVM dicitur REALE; fin de obligatione, PERSONALE (*). *Iudicium reale; perfonale.*

(*) Conferas notionem iuris in re et obligationis.

§. CCXV.

Si de poffeffione rei litigatur, IVDICIVM POSSESSORIVM; fin de iure in re, refpectu ad poffeffionem non habito, PETITORIVM; Ordo, quo difceptantes de poffeffione vel iure in re inter fe vtuntur, PROCESSVS POSSESSORIVS, aut PETITORIVS dicitur (*). *Iudicium poffefforium; petitorium; Proceffus poffefforius; petitorius.*

(*) V. g. Titius per longi temporis fpatium boues fuos vaccasque per fundum Caii egit, hoc iam, ne vlterius hoc faciat, prohibente. Quodfi Titius confefforia experiatur aduerfus Caium, fibique competere ius agendi

di per fundum eius, defendat, petitorio iudicio et processu opus erit. Sin ex capite longi temporis possessionis agat, hancque solam, mentione iuris in re non facta, obtinere contendat, possessorium processum iudiciumque ingreditur.

§. CCXVI.

Processus ordinarius; summarius.

Ordo solemnis ac legitimus res in iudicio proponendi, PROCESSVS ORDINARIVS (a): Ordo vero, quo, posthabitis solemnitatibus, quae ad substantiam (b) iudicii pertinent, attenduntur saltim, PROCESSVS SVMMARIVS (c) dicitur.

(a) Hunc solemnem ordinem praecipiunt leges, vnde et legitimus dicitur, aut ordinationes processus speciales.

Substantialia processus.

(b) *Substantialia processus* dicuntur determinationes eius constantes, quas si abesse cogitaueris, processum simul nullum cogitare necesse erit. Sunt autem processus substantialia: 1) Narratio facti, cui ius adplicandum vult quidam, si enim non constat de facto, nec ius ei poterit applicari, 2) vocatio eius, qui debere, vel intuitu cuius quid competere dicitur, de ignorantis corio enim non ludendum, 3) responsio eiusdem ac defensio, 4) probatio, et 5) applicatio ipsius iuris, s. sententia.

(c) Omnis hic processus fundatur *Clem. saepe contingit. 2. de V. S.* in qua Summus Pontifex CLEMENS V. praecepit, quod in nonnullis caussis *simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii procedendum sit.* Hoc auidis manibus arripientes litigaturi myriada fere summarii processus effinxere commoda, omnemque processum summarium cupiuere, vid. B. Dn. REINHARDT *in Progr.* de *Processus summar. incomm. eiusque ab ordinario differentiis spuriis maxime.* Sunt autem processus summarii potissima momenta: Libellus, etsi ad artem iuridicam formulariamque iurisprudentiam compositus non sit, factum tamen exhibeat perspicue propositum, petito conuenienti iuncto. *Rec. Imp. de* 1654. §. 34. Citatio potest carere omni solemnitate; qualis horrida vox praeconis: *Dominus citatur ad Rectorem.* Litis contesta-

tio

tio sequitur per omnia conditionem libelli, resectis formulis; inde vocatur die Einlassung, quae in substantialibus a litis contestatione non differt. Probatio exigitur ordinaria, in hac enim cardo rei vertitur. Ipsa Clem. articulos exigit, termini saltim prorogationesque, vti et in aliis processus huius capitibus, cessant. Neque distinguendum hic erit inter probationem et demonstrationem, quae saltim leuioribus caussis moramque non ferentibus propria est. Agmen claudit sententia, quae conformis libello sit, atque ita comparata, vt dubium circa applicationem iuris ad factum remaneat nullum. Si distinctam processus summarii desideras notionem, ipsam legas Clementinam 2. de V.S. Ad lectionem eius te accingas praeiudiciis omnino liber, eaque, quae a forma ordinarii processus recedunt, cum cura notes, videbis, egregia adeo te non detexisse. Exemplum processus summarii exhibet FRIESLEBEN in SCHVEZIO *illustrato Tit. de Iud. not.* 1766. quod hic apponere licebit: *Libellus:* Hans erscheinet, und sagt, wie ihm Martin einen Scheffel Korn abgeborget. Bittet also, ihn abzuhalten, daß er ihm solchen wiedergebe. *Citatio.* Martin! der Herr Richter läßt euch sagen, ihr solt alsobald vor Gericht kommen, denn Hans hat euch verklagt. *L. C.* Martin weiß von dem Scheffel Korn nichts. *Probatio:* Hans beruft sich auf Joachim und Jacob, die hievon wissen. *Sententia.* Auf summarische Klage, geben wir N. diesen Bescheid, daß Beklagter den Scheffel Korn Klägern, nebst dem Interesse und Unkosten, zu erstatten schuldig.

§. CCXVII.

IVDICIVM, quod de plurium natura participat (*), MIXTVM vocatur. *Iudicium mixtum.*

(*) Hoc variis modis contingit. 1) Si qui inter se litigant de iure reali, simulque de obligatione, quod fit v. g. in familiae erciscundae iudicio, quo pars hereditatis ex iure in re, praestationesque ex communione in quaestionem veniunt; 2) aut de re restituenda, simulque poena restituenti irroganda disceptatur, quod fiebat in iudicio vi bonorum raptorum, §. 19. *I. de Act.* 3) aut in vtroque litigantium adest ratio sufficiens prouocandi ad iudicium, v. g. in communi diuidundo.

§. CCXVIII.

§. CCXVIII.

Iudicium vniuersale; singulare; generale.

Si de vniuersitate bonorum litigatur, IVDICIVM VNIVERSALE (a); si de indiuiduo, SINGVLARE (b); si vero de pluribus indiuiduis, sub vna specie comprehensis, GENERALE (c) dicitur.

(a) Ad hoc deferuntur quaestiones hereditariae, quatenus totam hereditatem, aut partem eius integrantem respiciunt, etc. vid. supra notionem vniuersitatis (§. CLXXXI.).

(b) V. g. Vindicantur aedes, repetitur depositum, petitur locarium etc.

(c) Huc pertinet societatis iudicium, quod varias res, sed omnes societatis titulo, complectitur.

§. CCXVIIII.

Incidens quaestio.

Si, iudicio iam constituto, noua controuersia, ex actionis non conceptibilis initio, oritur, eodem iudicio componenda, INCIDENS QVAESTIO id dicitur (*).

(*) *L. 1. C. de Off. rect. prou.*

§. CCXX.

Actor; Reus.

Qui ius aliquod in alterum sibi competere in iudicio defendit, ACTOR (a); qui idem ius actoris in se negat, REVS (b) dicitur.

(a) In *L. 13. et 14. D. de iud.* actor dicitur, qui ad iudicium prouocat, ast non potest haec definitio applicari iudiciis diffamari et L. si contendat, in quibus reus prouocat ad iudicium, actoremque excitat.

(b) Olim quilibet litigantium rei nomine veniebat; declarat hoc ipsum CICERO *de Orat. II. c. 43. Reos appello non eos modo, qui arguuntur, sed omnes, quorum de re disceptatur.* Adde FESTVM h. v. Res enim litem significat. *L. 8. §. 1. D. de inoff. test.* Opus itaque erat, vt, generali hoc posito nomine, quilibet litigantium distingueretur, quod

quod vt fieret, eum, quem nos in specie reum dicimus, Romani vocarunt VNDE PETITVR, vid. CICERO *Lib. VII. ep. 11. ad Treb.* Postea vero specialis eius, qui obligatus erat, vel a quo quid petebatur, rei denominatio haesit. Vid. RVTGERSIVS *var. lect. L.V. c. 16.* Conf. §. DCCXIIII.

§. CCXXI.

Is, qui auctoritate imperantis iura factis cum effectu applicat, IVDEX (*) vocatur. *Iudex.*

(*) Iudicis notio non vna eademque Romanis semper fuit. Antiquissima si respexeris tempora, iis magistratibus omnibus, et ex iis Praetori κατ' ἐξοχὴν iudicis nomen tributum fuit. CICERO *de Legib.* 3. LIVIVS *Hist. Rom Lib. III. L. 1. D. de iudic.* Sequiori aetate ab his recessit et ad pedaneos iudices idem transiut. *L. 2. D. D R I. L. 7. §. 7. D de adm. tut.* Denique sub Imperatorum imperio auctus fuit significatus iudicis, omnibusque accommodatus, qui ius dicerent. Vid. STRAVCH. *Diss. ad Inst XXI. aph 2.* ARISTOTELES *Eth. V. 7.* iudicem ius animatum dixit. W De variis ius dicentium apud Romanos nominibus iuribusque latius exposui in *Elem. antiqu. iur. Rom. §. 216. sqq.* S.

§. CCXXII.

Qui a Praetore constituebatur, ad iura factis secundum praescriptam formulam (a) applicanda, IVDEX PEDANEVS (b) dicebatur. *Iudex pedaneus.*

(a) Haec v. g. erat: *Si paret L. Titium L. Caio centum debere, condemna.* etc. vid. BRISSONIVS *de form.* passim.

(b) *Pedanei* dicebantur iudices hi, quod non in tribunalibus, sed ad pedes Praetoris sederent. VOSSIVS *Etymol. voc. Pedan.* GELLIVS *Noct. Att. Lib. III. c. 18.* Vnde et Graeca lingua χαμαιδικασταὶ THEOPHILO *in Inst. pr. Tit. de Interd.* vocati sunt.

§. CCXXIII.

Iudicium, in quo litigare oportet aliquos, FORVM (*) COMPETENS dicitur. *Forum competens.*

(*) *Fori*

(*) *Fori* vocabulum varios admittit significatus, quos inter praesens vsu maxime venit. Dictum fuit ab eo, quod Romani iudicia in foro exercere consueuerint olim. VOSSIVS *Etym. voc. Forum.* V. g. qui clericum ex mutuo conuenire vult, iudicium ecclesiasticum adire debet, hoc enim forum clerici competens est, *c. 6. X. de foro comp.* item studiosus, qui omnia alia renuit iudicia, conueniendus coram academico senatu. *Auth. habita C. ne fil. pro patr.*

§. CCXXIIII.

Forum generale; Speciale.

FORVM, quod pluribus commune est, GENERALE (a); quod certis personis, vel rerum generibus proprium est, SPECIALE (b) est.

(a) Forum sc. originis. V. g. Ciuis Francofurtensis, cum omnibus, qui a Francofurtensibus ciuibus geniti sunt, simul Francofurtensem senatum agnoscit.

(b) Qui Lipsiae contraxit, coram Lipsiensi magistratu conueniendus.

§. CCXXV.

Forum originis; Domicilium; Forum domicilii.

FORVM ORIGINIS dicitur iudicium eius loci, in quo parens iure ciuitatis est gauisus (a); DOMICILIVM locus, quo quis habitat animo ibidem commorandi (b); iudicium eius loci FORVM DOMICILII vocatur.

(a) *L. 1. §. 1. 2. L. 6. pr. D. ad L. Municip. L. 3. C. eod.* E legitimo matrimonio natus per omnia patris conditionem sequitur, ideoque in censum hic non venit, vtrum mater ciuis sit, an minus. *L. 3. C. ad L. Mun.* Definiunt alii originis forum: vbi quis natus est, sed hos conceptis verbis refellit *L. 1. §. 1. D. ad L. Municip.*

(b) Optime haec exponunt Imperatores DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS *L. 7. C. de incol. Et in eodem loco singulos habere domicilium, non ambigitur, vbi quis larem, rerumque, ac fortunarum suarum summam constituit, vnde rursus non sit discessurus, si nil auocet.* Ita Professor academiae Ienensis Ienae domicilium habet, licet ad meliorem condi-

conditionem vocatus abeat postea, sufficit intentio sedem figendi. Triplicem domicilii speciem fingit B. VVLTEIVS *in Comm. ad L. 2. C. de incol.* domicilium nempe originis, habitationis et bonorum; sed quis est, qui non videt, latissime eum extra cancellos vagatum esse. Conf. SCHILTER *Exerc. ad Dig. XIII. 12 sq.*

§. CCXXVI.

Iudicium, in quo lites, ex contractibus, in eo loco celebratis (a), oriundae, decidendae, FORVM CONTRACTVS vocamus (b). *Forum contractus.*

(a) Si enim reus in loco contractus non inueniatur, in foro domicilii conueniendus est; et hoc ipsum in causa est, cur hanc determinationem addiderim.

(b) V. g. Emit ciuis Sundensis in nundinis vernalibus Lipsiensibus ab Augustano argenti facti molem, solutionemque proximis nundinis autumnalibus promisit. Adest stato tempore, solutionem vero moratur. Augustanus feriis nundinalibus iudicium Lipsiense mercatorum adit; forum hoc praesenti casu contractus est.

§. CCXXVII.

FORVM, in quo de delicto commisso cognoscitur, DELICTI vocamus (*). *Forum delicti.*

(*) Sempronius Caium in academia N. ad certamen prouocatum ense confodit; Magistratus academicus occisorem in vincula coniicit, inque delictum ab eo commissum inquirit; Est enim forum delicti competens.

§. CCXXVIII.

Iudicium, in quo de re, sub iurisdictione eius loci posita, disceptatur, FORVM REI SITAE nuncupamus (*). *Forum rei sitae.*

(*) Vid. *L. f. C. vbi in rem.* Ita ager, intra fines ciuitatis Hanoueranae situs, vindicatur in iudicio ciuitatis Hanouerae.

§. CCXXVIIII.

§. CCXXVIIII.

Forum continentiae causarum.

Si lites diuersi generis ita connexae sunt, vt ad idem pertineant forum, CONTINENTIAE CAVSARVM dicitur (*) idem. Vid. §. CCLXXXXIII.

(*) Mucius Seium conuenit ex emto, Seius Mucii hortum vindicat; Lites adsunt diuersi generis; prius dicitur conuentio, posterius reconuentio; hanc vero cum illa ita connectunt leges, vt in vno eodemque iudicio proponantur, *L. 14. C. de Sentent.* E. continentia causae adest.

§. CCXXX.

Vagabundus.

Qui domicilio caret, VAGABVNDVS (*) dicitur.

(*) *Vagabundus* natiuo significatu dicitur, qui cum certo spatio connexus non est; Inde SOLINVS *c. 11.* dixit *flammam flexuosis excessibus vagabundam.* Non autem putes, ignominiosam hanc esse dictionem, quum et is, qui domicilium mutaturus in itinere constitutus est, vagabundus sit. Dari eiusmodi, quos definiui, vagabundos, difficulter credit IVLIANVS *in L. 27. §. 2. D. ad municip. de incol.* Sed nec opus erat, in probanda saltum eius possibilitate ad exemplum nauigantis in mari confugere, quum ad domicilium constituendum non sufficiat esse in aliquo loco, sed animum ibi commorandi habere.

§. CCXXXI.

Litis contestatio.

Litigantium de lite prosequenda in iudicio (a) facta declaratio LITIS CONTESTATIO (b) audit (c).

(a) Romanis non in iudicio, sed in iure fieri dicebatur. Ante enim, quam lis esset contestata, iudexque datus, iudicium non aderat, ideoque per L. C. iudicium constitui dicebatur, vid. *L. 7. D. de Hered. pet. L. 19. D. sol. matr.*

Contestari.

(b) *Contestari* est testibus adhibitis aliquid declarare. *L. 1. D. quod iuss.* Postquam enim vterque litigantium spospon─

sposponđissent, se velle litem iudicis arbitrio submittere, citatique praesentes se sistere, praesentes omnes in testimonium huius vocabant, verbis: TESTES ESTOTE. Vid. CVIACIVS *Lib. VIIII. obs.* 21. HVBERVS *Prael. Tit. de Iudic. p. m.* 711.

(c) Hodie in communi litis contestationem pro responsione rei ad libellum sumunt. W. Et recte quidem. Ita enim *L.* 1. *C. de litis contest. Lis contestata est, cum iudex per narrationem negotii et responsionem caussam audire coeperit.* Conf. *Elem.* mea *antiqu. iur. Rom.* §. 328. C. G. WINCKLER *discrimen inter litis contestationem iure veteri et hodierno, et vtriusque effectus.* Lips. 1751. S.

§. CCXXXII.

Litigantes, declarantes, litem se persecuturos fore, aut in principio iuris, factique veritate, in litem deducti, conueniunt, aut non; priori casu LITIS CONTESTATIO oritur AFFIRMATIVA (a), posteriori NEGATIVA (b). *L. C. affirmatiua; negatiua.*

(a) V. g. Sempronius Meuium conuenit ex mutuo C. florenorum. Principium iuris Sempronii, et obligationis Meuii, contractus mutui est. Hunc celebratum esse concedit Meuius, adeoque ambo in principio iuris et obligationis conueniunt, et lis affirmatiue contestata fuit. Quum vero iam Meuius addat, se, quae mutuo acceperat, soluisse, alia haec quaestio est, principium iuris ac obligationis non respiciens. Item Caius Iauolenum in ius vocatum arguit, hunc eum prohibuisse itinere per fundum eius, sibi iure seruitutis debito; Iauolenus adfirmat se Caio per fundum suum ituro obstitisse, idque iure, quum seruitus ipsi nulla debeatur. Conueniunt ambo in facti veritate, in iure tantum dissentiunt. Itidem affirmatiua L. C. haec est.

(b) Lucius traditionem rei, a Seio ipsi venditae, in iudicio vrget; Seius, se nunquam cum Caio contraxisse, regerit. Diffident E. in principio iuris Lucii, obligationisque Seii; E. lis negatiue contestata fuit.

§. CCXXXIII.

L. C. generalis; specialis.

LITIS CONTESTATIO, qua omne ius, aut omne factum ab actore propositum negatur a reo, GENERALIS (a); qua vero singula eius capita negantur, SPECIALIS (b) est.

(a) Cuius formula perhibetur: Nego narrata, prout narrantur; Bin der Klage, so, wie sie angebracht, nicht geständig.

(b) Ibi enim factum totum, secundum in ea proposita puncta, consideratur, atque aut conceditur, aut negatur. W. Haec L. C. specialis legibus imperii requiritur. R. I. N. §. 34. Io. Ph. Hahn *de necessitate et vtilitate litis contestationis specialis eiusque praerogatiua prae generali.* Mog. 1747. S.

§. CCXXXIIII.

L. C. euentualis; pura.

LITIS CONTESTATIO sub conditione, si satisfactum fuerit exceptionibus dilatoriis (a), EVENTVALIS (b); sin absque omni conditione fit, PVRA dicitur.

(a) Vid. infr. §. DCLXXXVIII.

(b) Titius conuenitur a Caio, qui procuratore Sempronio vsus, de re ipsi commodata; Sempronius mandato vel omnino destituitur, vel non satis sufficienti instructus est. Ius E. excipiendi est Titio, et quidem ita, vt causae cognitio differatur, donec satis de voluntate Titii mandantis, circa personam Sempronii, constet, atque sic dilatoriè. Iam vero *R. I. de 1654. §. 37.* disponit, omnibus exceptionibus dilatoriis iungendam litis contestationem, haec vero remotis exceptionibus istis effectum non producit; v. g. si iudex incompetens, si procurator inhabilis, de actione ipsa quaestio nulla est. E. euentualis dicitur.

§. CCXXXV.

Officium iudicis.

Actio iudicis, cuius commissio vel omissio dependet a lege, etiam naturali, OFFICIVM (*) eius dicitur.

(*) *Officium*

(*) *Officium* est facere, quod debes, inquit SENECA *Lib. II. controu. 5.* Inde officii iudicis notio formata fuit, quod sit actio iudicis, cuius commissio vel omissio dependet a lege, sed lex hic intelligitur in latiori significatu, vt naturalem non excludat, quam aequitatem leges dicunt. Vid. *L. 38. D. de Her. pet. L. 44. D. eod.* Hoc distinguunt in nobile et mercenarium, de cuius origine videas Perill. Dn. BOEHMERVM *Iur. eccl. prot. P. I. p. 791.* Si quid harum ineptiarum scire aues, adeas GRAVIVM *de Officio iudicis nobili.* *Officium.*

§. CCXXXVI.

IVDEX, quem male iudicaturum probabile est, SVSPECTVS dicitur. Declaratio, se nolle, vt iudex iura sibi applicet, ob metum doli RECVSATIO IVDICIS; quodsi iurato hoc declaramus, PERHORRESCERE (*) IVDICEM dicimur. *Iudex suspectus; recusatio iudicis; perhorrescere.*

(*) *Perhorrescere* aliquem dicimur, quando adspectu eius, vel cogitatione horremus. Ita CICERO *Philipp. III. 15. Memoriam alicuius diei perhorrescere.* W. CICERO *de orat. II, 70.* PLINIVS *pan. c. 70. L. 47. de iudic.* LEYSERI *supplem. ad spec. 67. T. XI. medit. p. 187.* Conf. etiam Io. Ton. CARRACH *fasciculus opusculorum et controuersiarum de non vsu iuramenti perhorrescentiae aduersus iudicem.* Hal. 1759. S.

§. CCXXXVII.

HEREDITATIS PETITIO (a) est actio mixta (b), qua heres hereditatem sibi a possidente restituendam petit. Actio, qua bonorum possessor possessionem hereditatis petit HEREDITATIS PETITIO POSSESSORIA dicitur (c). Lib. V. Tit. 3 et 5. *Hereditatis petitio.*

(a) *Petere* reali actione agere est, vid. *L. 178. D. de V. S. L. 28. D. de obl. et act.* sic vsusfructus peti dicitur, pro vindicari. *L. vn. §. pen. de remiss.*

(b) Realis sc. quatenus ex iure in re oritur; personalis, quatenus administrationem a possessore susceptam, fructusque respicit.

 (c) No-

(c) Notiones hereditatis et bonorum possessionis infra explicabo §§. DXXI. et DLXXXVI.

§ CCXXXVIII.

Lib. V. Tit. 2. *Querela inofficiosi testamenti.* Hereditatis petitio (a), quae ei, qui legitima solemniter, iniuste tamen exclusus est, competit, QVERELA (b) INOFFICIOSI TESTAMENTI vocatur (c).

(a) Vid. *L. 8. §. 8. L. 20. 21. §. 2. L. 27. §. 2. D. de inoff. test. L. 20. pr. D. de B. P. contr. tab.* quae te docebunt, querelam hanc hereditatis petitionis speciem esse.

(b) Dicitur haec actio querela, Hoc enim fuco opus erat ad tegendam iniuriam, quae manibus paternis hac ipsa actione inferebatur. Insimulabatur namque testator dementiae, atque ita ex capite hoc, quod furiosus testari non possit, rescindi testamentum petebatur. Egregie hoc explicauit BYNKERSHOECK *Obs. II. 12. p. 115.* Humanius omnino videbatur conqueri iniuriam a parente factam, quam apertis armis dementi occursare. Amicos enim atque sanguine iunctos, si cuius inhumanitatis alter alterum postulare volebat, *querelae* vocabulo vsos esse, VOSSIVS *Inst. Orat. I. 6. 2.* docet. Itemque CICERO *pro Rege Deiotaro c. 3.* inquit: *Quanquam cui inauditae sunt cum Deiotaro querelae tuae? Nunquam tu illum accusauisti ut hostem, sed ut amici officio parum functum.*

(c) Notionem legitimae et inofficiosi testamenti infra explicatam inuenies §§. DXXXII. et DXXXV.

§. CCXXXVIIII.

Lib. VI. Tit. I. *Rei vindicatio.* **REI VINDICATIO (*) est actio realis, qua dominus, contra possessorem rei suae, agit ad eam restituendam.**

(*) Rei vindicationem et originem et nomen debere antiquo vindiciarum ritui, extra dubium positum est. *Vindiciae.* VINDICIAE autem nihil aliud erant, quam concertationes actorem et reum inter, de vltima, eaque praesenti possessione. Violentiam imaginariam, deiectionemque referebant. Vid. de his SIGONIVS *de Iudic. pop.*

pop. Rom. L. 1. c. 21. et B. Dn. HEINECCIVS *Ant. Rom. L. IIII. tit. 6. §. 24.* Plura in hoc compendio frustra quaeris. W. Qui plura quaerit, adeat GE. WILH. IOECHERVM *de ritu vindiciarum apud Romanos.* Lipſ. 1723. et CAR. OTTON. RECHENBERGIVM in Diſſ. *Vindiciae manibus consertis sumendae ex legibus XII. Tabb.* Lipſ. 1737. S.

§. CCXL.

PVBLICIANA (a) ACTIO realis eſt, competens bonae fidei poſſeſſori, aduerſus infirmiori iure poſſidentem (b), ad rem ſibi reſtituendam. Lib. VI. T. 2. *Actio publiciana.*

(a) Hanc actionem PVBLICII Praetoris arti debemus. *§. 4. I. de Act.* Praetores enim aequitatis ſtatores erant ſummi, iuſtique atque iniuſti praeſtigiatores. En ſpecimen egregium: Rei vindicatio actio omnium difficillima erat. Probandum enim non ſolum dominium vindicantis, ſed et auctoris eius. Immo amiſerat emtor bonae fidei emtam rem ſaepè, antequam legitimum vſucapioni datum tempus impletum eſſet. Amiſſam rem qua actione et quo iure ab alio bonae fidei poſſeſſore repetebat? Talis quaeſtio ad PVBLICIVM Praetorem deferebatur. Hic petenti fictione conſulebat, ſtatuens vſucaptam rem eſſe, quae non erat. Si vſucapta erat, dominium acquiſitum erat, et dominii conſequens erat vindicatio.

(b) Firmius ius omnino eſt dominium, licet putatiuum, nuda bonae fidei poſſeſſione. Sed hoc vlterius poſtea extenſum eſt. Videamus caſum: Emit heri Caius equum a non domino, hodie idem non dominus eundem equum vendit, et tradit Sempronio, qui eum amittit, apprehendente Lucio. Sempronio aduerſus Lucium competit Publiciana, non Caio. Vterque quidem dominium non acquiſiuit, ſed Sempronius per traditionem in conditione vſucapiendi conſtitutus eſt, quam factam fingit Praetor.

§. CCXLI.

Dominium vtile (a) rei immobilis incultae, ſub lege eam colendi, et annuum aliquod dandi, EMPHYTEVSIS (b); Contractus vero con- Lib. VI. T. 2. *Emphyteuſis; Con-*

 ſen-

tractus emphyteuticarius, Emphyteuta.

ſenſualis (c), de vtili rei immobilis dominio, ſub conditione eam colendi, et annuum quid in agnitionem dominii directi dandi, CONTRACTVS EMPHYTEVTICARIVS; qui praedium incultum colendum et annuum quid praeſtandum recipit, EMPHYTEVTA audit.

(a) Dominium vtile definiam infra §. DCXX.

(b) Emphyteuſis dicitur a Graeca voce ἐμφυτεύειν, quod idem eſt ac inſerere, implantare, Si enim in ſterili fundo ſementa mittis, frugiferasque arbores eidem implantes, meliorem eum facis; inde eſt, quod ICti hoc verbum barbara voce *meliorare* appellent. Vid. CALVIN. *Lex. iur. h. v.* et *L. 13. §. 5. D. de Vſufr.* Scilicet, qui hoſtibus erepti eſſent agri, hi, ne omnino inculti iacerent, militibus ob bene merita conferebantur, qui item ſaltim canonem in ſignum dominii reipublicae directi ſoluebant. Egregie hanc materiam proſequutus eſt BVRMANNVS *de vectigal. pop. Rom.* Dicitur etiam emphyteuticarius eiusmodi ager *vectigalis*, *rubr. tit. D. ſi ager vectigal.* idque ex ea ratione, quod Romani id, quod ex emphyteuſi ſingulis annis penderetur, *vectigal* vocarent; Item COELIVS *Ep.* ad CICERONEM 17. *II. Lib. III.* agrum fructuarium appellat.

(c) Dubitatum olim fuerat, emphyteuticariusne contractus locationis conductionis, an emtionis venditionis ſpecies eſſet, omnem vero ſcrupulum dubitantibus exemit Imperator ZENO *L. 1. C. de iur. emphyt.* nouam hanc conſenſualium ſpeciem conſtituens, naturamque peculiarem tribuens.

§. CCXLII.

Canon.

Quicquid ab emphyteuta ſingulis annis in recognitionem dominii directi ſoluitur (*), CANON vocatur.

(*) Non in compenſationem fructuum, alias locationis conductionis naturam indueret hic contractus; neque pecunia numerata exigitur, ſed quaelibet res canonis vicem ſubit, vid. *l. 1. C. Theod. de canon. frum. L. 5. C. de iur. emphyteut.*

§. CCXLIII.

ACTIO EMPHYTEVTICARIA est personalis, competens ex contractu emphyteuticario, ad id, quod omni modo exinde debebatur (*). *Actio emphyteuticaria.*

(*) Sc. ad praestandam rem, in emphyteusin dari promissam, vel ad soluendum canonem etc.

§. CCXLIIII.

Res corporalis (a), ex re immobili, propria (b) alicui, singulis annis praestanda, CENSVS, qui, si in memoriam pristini dominii datur, RESERVATIVVS (c), sin ex alio capite, CONSTITVTIVVS (d) dicitur. Contractus consensualis, de re corporali ex re immobili alteri singulis annis praestanda, CONTRACTVS CENSITICI nomine venit. *Census; reseruatiuus; constitutiuus; Contractus censiticus.*

(a) Si quantitas, annui reditus erunt. Licet enim negandum non sit, et nummos corporales res esse, sicque, et in annuis reditibus corporalem rem praestari, videri; non tamen ad nummorum qualitatem, sed potissimum ad quantitatem respicitur; ipsa autem quantitas, nisi corporale relatum adhibueris, vsui non erit. W. Census notionem curatius euoluit I. H. BOEHMER *de vario censuum significatu et iure, T. II. exerc. ad Pand. p. 964. sqq.* Adde HERM. ZOLL *de censu reseruatiuo* et I. I. SORBER *de censu constitutiuo.* Plures indicaui indolemque censuum persequutus sum in *Elem. iur. germ. § 353. sqq. p. 423. sqq.* S.

(b) Atque ita facile distinguitur census ab Emphyteusi, in qua canon praestatur in agnitionem dominii directi, atque sic de aliena re soluitur; item a feudo censuali, laudemiali, quaternato, Soldatae, Camerae, de cauena, in quibus omnibus fidelitas primarium characterem constituit.

(c) Scilicet, dominus v. g. domum suam alteri vendens adiicit pactum, vt quotannis qualibet die, Paschatis festum antecedente, gallinam albam, hancque in signum accepti a se dominii, emtor sibi offerat: Reserua-

seruatiuus census est; reseruauit enim eum sibi venditor, domum suam vendens.

(d) V. g. Caius a me accipit CC. florenos addita lege, vt ille singulis annis ex vinea sua vina, summam 5. thalerorum exaequantia, vel intuitu vineae gallum Indicum praestet; constitutiuus census adest.

§. CCXLV.

Census redimibilis; irredimibilis.

CENSVS, qui contrario pacto tolli potest REDIMIBILIS; qui non, IRREDIMIBILIS dicitur.

§. CCXLVI.

Census promobilis.

CENSVS, qui singulis annis secundum certam proportionem augetur, PROMOBILIS (*) dicitur.

(*) Germanice vocantur Rutscher-Zinsen, quod a Germanorum voce rutschen, i. e. per nates progredi, deriuare voluit WACHTER *h. v.* Originem hic census primam debet Iuri prouinciali Saxonico *Lib. I. art. 54.* ibi legitur: Wer seinen Zins zur rechter Zeit nicht gibt, zweifach soll er ihn geben des andern Tags, und also alle andere Tage zweifach, dieweil er den Zins innen behält. Vid. AYRER *de Censibus mora crescentibus.*

§. CCXLVII.

Laudemium.

Quantitas, quae domino directo pro consensu in translationem dominii vtilis in alium soluitur, LAVDEMIVM (*) vocamus.

(*) A laudare, quod est approbare, eo nempe, quod directus dominus in nouum vasallum, vel emphyteutam consentiat, hanc vocem deriuare solent. Alias dicitur *releuium*, a Gallica voce relief, Germanice vero Lehn-Waare, Lehn-Geld, a feudo. (Conf. *Elem. mea iur. germ.* §. 364.)

§. CCXLVIII.

§. CCXLVIII.

VTI est commoda ex re aliena ad necessitatem percipere (a); ad commoditatem et voluptatem, FRVI (b); vti re cum interitu eius ABVTI (c) vocatur. Lib. VII. Tit. I. *Vti; frui; abuti.*

(a) Ita HORATIVS *Lib. II. Ep. 2. v. 190.*

VTAR, *et ex modico, quantum res poscit, aceruo Tollam.*

Non enim is, cui vsus rei concessus est, pro lubitu commoda ex illa percipere potest, sed status eius externus eiusque limitationes necessariae eundem determinant. Fusius haec exposuerunt ICti in *L. 12. §. 1. 2. 3. 4. 5. etc. D. de Vsu et Hab. et Jmp. pr. I. eod.* Caio scilicet, studiis in academia operam danti, vtenda si conceditur domus, is praeter musaeum, et ad summum aliud, quo conuenientes cum amicos excipiat, vsu suo accommodare nequibit conclaue, quum Sempronius, numerosae familiae pater, si eadem domus vtenda ipsi daretur, tantum conclauium, quantum familia requirit, culinam, stabula, cellas etc. in suum adhibere possit vsum.

(b) *Frui* plus esse quam vti, vel ex FLORO *Hist. Rom. L. II. c. 6.* perspicitur; is enim HANNIBALEM, post victoriam adeptam, Roma, vrbe principe, Campaniam, ad irritandas voluptates instructam, petentem, victoria non *vti*, sed *frui* voluisse scribit. Non enim ad necessitatem, sed ad voluptatem is deuictis occupatisque vsus fuit.

(c) Apprime ad hanc rem DONATVS *in Proleg. Andriae* TERENTII: VTIMVR *fructibus rei, quae ab amantibus saluo vsu nobis subministrantur;* ABVTIMVR, *quando disperdimus rem et fructum:* VSVI *est ager, domus;* ABVSVI *vinum, oleum et cetera huiusmodi.* Subscribit huic VLPIANVS *L. 11. §. 2. D. de Iure.* scribens: *Sed si verum, in quibus vsusfructus propter* ABVSVM *constitui non potest. etc.* Distinctius haec proponit PLAVTVS *Asin. Act. I. Sc. 4. v. 44.*

AR. *Vbi illaec, quae dedi ante?* LE. ABVSA.

et CATO *de re rust. c. 76. omnem caseum* ABVTI scribit. Alias abusus etiam notat vsum in alium, quam in quem comparata res erat, finem. Conf. *L. 19. et 34. D. de Vsufr.*

§. CCXLVIIII.

Vsusfructus; Vsufructuarius.

Ius re aliena vtendi et fruendi (*) VSVSFRVCTVS; qui vtitur et fruitur aliena re, VSVFRVCTVARIVS dicitur.

(*) Addit IMP. §. 1. *I.* et PAVLVS *L. 1. D. de Vsufr.* *Salua rerum substantia:* verum, quum mutando rei substantiam re abutamur; (§. praec.) abusus vero contraria vsui notio sit, superflua haec videntur. Sunt, quibus positum hic genus displicet, quique sibi persuadent, eo non satis vsumfructum ab emphyteusi, feudo, contractu colonario, dominio mariti in res dotales, antichresi etc. distingui, eaque propter seruitutis vocabulum generis loco poni volunt. Ast, praeterquam quod satis a se inuicem distent omnes hae notiones, attendendum erat, vsumfructum non esse definiendum ex persona concedentis, qui eum non habet, sed ex persona vtentis et fruentis. Vsusfructus ius est, si vsufructuarium spectes, si proprietarium, seruitus. Conferri merentur, quae habent VINNIVS *ad §. 1. Inst. de Vsu et hab.* et HVBERVS *Prael. ad Inst. p. 148.* Quam latiorem alii, eam strictiorem suo definito, definitionem dixit WISSENBACHIVS *Disp. ad Inst. XII. th. 3.* idque vel ex ea ratione, quod quasiusumfructum non complectatur. Sed nec debebat. Fingunt alii *vsumfructum* aliquem *causalem*, eum scilicet, qua re propria vtimur et fruimur, sed nec hi absoluendi sunt a vitio contradictionis, quum dominii titulo propria res ad nos pertineat, nec seruire ea nobis possit. *L. 26. D. de seru.* W. Distinctius, et vt differentia vsus et vsusfructus adpareret, dici debebat: *Vsumfructum* esse ius, *omnia ordinaria emolumenta* ex re aliena prouenientia percipiendi. S.

§. CCL.

Lib. VII. Tit. 5. *Quasiususfructus; quasiusufructuarius.*

Ius, re fungibili, fructus gratia, abutendi, QVASIVSVSFRVCTVS (*); qui abutitur hac ratione re, QVASIVSVFRVCTVARIVS est.

(*) QVASI vox similitudinem denotat. Similitudo autem quasiususfructus cum vsufructu in eo consistit, quod vterque vtatur et fruatur re, ad necessitatem et com-

commoditatem. In eo saltim aliqua detegitur differentia, quod quasiusufructuarius re abutatur, sicque ex postfacto dominus eius fiat. Eiusmodi quasiususfructus est vini v. g. quod aut ipsemet bibere, aut aliis carius vendere possum, vestimentorum, hunc in finem legatorum, quae vendere, pecuniamque sub vsuris credere possumus. Ita interpretanda est §. 2. *I. de Vsufr.*

CICERONIS aeuo quasiususfructus adhuc erat incognitus. Ita enim ille in *Topicis c. 3. ad* TREBATIVM: *Non debet ea mulier, cui vir bonorum suorum vsumfructum legauit, cellis vinariis, et oleariis plenis relictis, putare, id ad se pertinere.* Vsus enim, non abusus, legatus est; Invaluisse vero eum tamen ante imperium NERVAE, docet *L. 3. et 5. D. de Vsufr. ear. rer. quae vs. cons.*

§. CCLI.

Ius re aliena vtendi VSVS est (*); qui vtitur, VSVARIVS audit. Lib. VII. T. 8. *Vsus; Vsuarius.*

(*) Vid. §. CCXXXXVIII. Interdum vsus vox pro vsufructu accipitur, vid. *Nou. II. c. 1. CXVIII. c. 2.* interdum pro possessione, *L. 115. D. de V. S.* sed vtrumque improprie. W. *Vsus*, quatenus vsuifructui e diuerso ponitur, continet ius omnia *necessaria* emolumenta ex re aliena percipiendi. S.

§. CCLII.

Ius (a) aedium (b) partibus, commorationi hominum destinatis (c), gratis (d) vtendi fruendi (e) HABITATIO est. *Habitatio.*

(a) Improbat hoc genus inter multos alios HOTOMANNVS *Obs. iur ciu. Lib. I. c. 21.* habitationem potius per locum, gratis alicui per se ad certum tempus, habitandi caussa, concessum, definiens. Desideras ineptae huius sententiae rationem? Dicam eam: *L. 12. D. quib. mod. vsusfr. toll. L. 10. §. 1. D. de instr. et inst. leg. §. pen. I. de cap. dim.* habitationem magis in iure, quam in facto consistere dicunt. Verum ad logomachias iuridicas hoc dissidium omni iure refero, dum ius habitationis a facto s. habitatione distinguendum erat. Vnde vero factum sit, quod ICti habitationem magis in facto, quam

quam in iure consistere dixerint, referam. ICtos Romanos raro in re alicuius altioris indaginis conuenire, notissimum est; Ita facile euenire potuit, vt et circa naturam habitationis determinandam dissiderent. MODESTINVS enim, qui *L. 10. D. de cap. dem.* eam in facto magis, quam iure consistere dixit, seruitutemque arbitratus est, MARCELLVS vsumfructum eam putauit, vt colligitur ex *§. pen. I. de vs. et hab.* PAPINIANVS, et cum eo VLPIANVS *in L. 10. pr. D. eod.* vsum eam arbitratus est. Quodlibet horum ius est, et factum requirit connexum. *In iure autem consistere* MODESTINO est, habere ius percipiendi fructus ex re; olim autem, qui habitabat, fructum ex aedibus percipiebat nullum. Omnem hanc dissensionem sustulit IVSTINIANVS subscribendo in hoc MODESTINO, quod eam seruitutibus annumeret, in eo vero defendendo MARCELLI partes, quod vsusfructus effectus ei tribuerit, vid. *L. 13. C. de vs. et hab.* Conf. GVNDLINGIANA *Part. XVII. art. 1. p. 125.*

(b) Aedes, aedificia ac domus curatiores distinguere solent. PLAVTVS *Asin. Act. III. Scen. 3. ℣. 13.*

- - *Infectatur omnes* DOMI *per* AEDES.

It. LIVIVS *Lib. XXXVIII. c. 38. Rhodiorum, sociorumue, quae* AEDES AEDIFICIAQVE *intra regni fines sunt.* Vid. insuper *L. 41. §. 8. D. de Leg. I.* ISIDORVS *Lib. XV. c. 3. Orig. domum* dicit *vnius familiae habitationem.* SANCTIVS *Mineru. L. IIII. p. 401.* domus appellatione totum aliquid significari, aedium vero conclauia indigitari, hincque fieri, quod domus in singulari, aedes in plurali dicantur; in singulari vero templum notare, quod vnico id constet spatio, autumat VOSSIVS *de art. gram. c. 67. p. 594.* Si mihi dicendum, quod res est, aedium nomine innuo opus exstructum, quo aduersus aeris iniuriam defensuri se commode morari queunt.

(c) Non omnibus aedium partibus vtitur et fruitur inhabitans, sed iis tantum, quae ad id instructae sunt, vt homines in iis commorari queant; horrea igitur, cellae atque tabernae ad habitationem non pertinent.

(d) In hoc habitatio differt a locatione conductione, in qua merces praestanda stato tempore.

(e) Ita

(c) Ita res sese habet, postquam IVSTINIANVS *in L. 13. C. de vs. et habit.* habitationis naturam in hoc produxit. Vtitur enim habitans aedibus, vsui suo eas in hoc accommodans, vt se aduersus aeris iniuriam defendat; fruitur vero iis, dum aliis eas locat. *§. 5. I. de vs. et hab.* W. *Habitatio* ergo, ex sensu iuris hodierni definiri debebat ius omnia emolumenta ex habitatione aedium alienarum percipiendi. Conf. LYNCKER *de habitatione.* S.

§. CCLIII.

Ius vtilitatem ex actionibus serui alieni percipiendi OPERARVM SERVORVM nomine in iure venit (*). Lib. VII. Tit. 7. *Operae seruorum.*

(*) *Vid. L. 1. D. de Oper. seru.* Romani praegrandem seruorum numerum alebant, literis artibusque imbutos, Medicos quippe, Grammaticos, Musicos, sartores, hortulanos, cet. NEPOS *in vit. Attici c. 13.* Ex his enim satis vtilitatis in alterum redundare poterat.

§. CCLIIII.

Res immobilis, alicui propria, PRAEDIVM; quod, si habitationi, vel voluptati capiendae destinatum, VRBANVM; si fructibus colligendis, aut agro colendo, RVSTICVM dicitur (*). L. VIII. Tit. 1. *Praedium, vrbanum, rusticum.*

(*) Non a loco, quo sita sunt, sed ab vsu, quem praestant, epitheton ipsis tributum esse, iam animaduertit VARRO *de re rust. Lib. III. c. 1.* Nec ipsae leges refragantur; ita enim *L. 99. D. de Leg. 3.* vrbana mancipia in praediis rusticis esse dicuntur, idemque docet *L. 166. pr. D. de V. S. L. 4. §. 5. D. de pen. legat. L. 12. D. de Supell. leg.* Ad praedia igitur vrbana referas omnia aedificia ad habitandum apta, viridaria, equos rhedarios, cet. ad rustica agros, horrea, non attento discrimine, vtrum in vrbe, an ruri sint. Vid. *L. 198. D. de V. S. §. 1. et 2. Inst. de Seruit.* W. Conferenda ad hunc locum Diss. Io. CHR. KOCHII *de praedio rustico et vrbano,* Ien. 1757. S.

§. CCLV.

§. CCLV.

Seruitus; personalis; realis.

Ius vtilitatem, vel fructum ex re aliena perpetuo percipiendi SERVITVS (a); quodsi persona immediate vtilitatem, vel fructum acquirit, PERSONALIS (b); si mediante suo praedio, REALIS (c) est.

(a) *Seruire* est vtilitatem praestare, id quod eleganter declarat CICERO *Orat. pro Plancio: Seruitus non est seruitus, si non seruit*, seruire autem esse *vtilitatem sibi, suisque rebus praestare*, paulo ante dixerat idem. Praestet vero perpetuo necesse est, non ad certum tempus, quo ipso a iuribus ipsi similibus distinguitur satis. COSTANVS *ad L. 12. D. quemadm. seruit. amitt.* seruitutem dixit obscure: habitum extrinsecus accedentem, quo praedia praediis subiiciuntur. Vulgata alias definitio, quod sit ius in re aliena, qua eius dominus ad alterius vtilitatem aliquid pati, vel non facere tenetur, seruientem magis, quam dominantem, et sic non ius, sed obligationem respicit. W. *Libertas praedii* naturalis, ex iure priuato, est, cum domini ius circa solitarium vsum et ius disponendi, nullatenus restrictum est: Iam si alterutrum horum iurium cessat, vt dominus vel partem vsus predii alteri concedere debeat, vel aliquam iuris de praedio disponendi partem, in fauorem alterius amittat, *seruitus praedii* oritur, quae adeo concinnius dici potest *restrictio libertatis naturalis praedii in fauorem alterius*; quae ipsa restrictio si in fauorem personae facta sit, *seruitus praedii personalis*; sin intuitu alterius praedii, *realis nominatur*. S.

(b) Sic vsufructuarius praedio vsufructuario fruitur immediate, fructusque ex eo collectos suos facit; item vsuarius ipse vtitur vel inhabitat domum, habitans fructus domus colligit etc.

(c) Huius exempla §. §. sequentibus larga manu suppeditabo; v. g. qui iter habet, is non vadit, nisi in vtilitatem praedii sui. TITIVS, acutissimus alias ICtus, *in iur. priu. l. c.* hanc speciem seruitutum reiicit, omnesque personales putat.

§. CCLVI.

§. CCLVI.

Praedium, cui vtilitas aliqua accedit, DOMINANS; quod eam praestat, SERVIENS; ad quem pertinet prius, DOMINVS PRAEDII DOMINANTIS; ad quem posterius, DOMINVS PRAEDII SERVIENTIS dicitur. *Praedium dominans; seruiens; Dominus praedii dominantis; seruientis.*

§. CCLVII.

Si praedium rusticum ex alio praedio vtilitatem capit, SERVITVS RVSTICA; sin praedium vrbanum (a), VRBANA (b) dicitur. *Seruitus rustica; vrbana.*

(a) Praedii vrbani et rustici definitionem habes §. CCLIIII. W. Generatim omnis seruitus, agriculturae inseruiens, rustica vocatur, siue praedio vrbano s. rustico illa vtilitatem adferat. S.

(b) Vrbana v. g. seruitus est, si mihi ius competit aedium mearum partem parti aedium vicini imponendi; *L. 33. D. de seru. vrb. praed.* quodsi vero stabuli partem aedibus vicini imponendi ius mihi competit, rustica est eadem, *§. 1. I. de seru. praed.* Dominans enim praedium in priori vrbanum, in posteriori rusticum est. It. si aqua ex lacu alieno praedium meum irrigandi causa ducitur, rustica, si vero eadem aqua ex eodem lacu ad vsum fontium salientium duceretur, vrbana foret. Quae IMP. in Inst. et ICti in Digestis adduxere seruitutum exempla, ea a potiori vsu desumta sunt, ceterum ita comparata, vt vtriusque generis esse possint.

§. CCLVIII.

Quando vtilitas praedio meo ex alterius praedio ita accedit, vt realitatem aliquam, altero non impediente, in id conferendi ius mihi sit, AFFIRMATIVA (a); si vero vtilitas meo praedio quaeritur ex intermisso ab altero actu, NEGATIVA SERVITVS (b) est. *Seruitus affirmatiua; negatiua.*

(a) Realitas si qua rei ex altera accedit, vtraque mutatur, quum non maneat eadem. Mutatio, cuius principium

cipium in re mutata reperitur, *passio* dicitur; Hinc conceptu facillimum est, cur hoc seruitutum genus *in patiendo* consistere docuerit antiqua schola, ad seruiens praedium oculos aduertendo. Huiusmodi seruitutes sunt v. g. tigni immittendi, oneris ferendi, protegendi etc. Dicitur autem vel ex ea ratione affirmatiua, quod vindicans eam affirmet, sibi competere ius, realitatem in praedium suum ex alterius praedio conferendi.

(b) Ius, quod alter habet, realitatem praedio suo conferendi, omittere, nec eo vti debet, cuius praedium alteri negatiue seruit. V. g. Stillicidium in tectum suum cadens non auertere tenetur, prospectui non officere, altius non tollere etc. Negatiua dicitur, quoniam dominans negat seruienti ius esse, hoc in sui praedii vtilitatem faciendi.

§. CCLVIIII.

Seruitus continua; discontinua.

SERVITVTEM, quae vtilitatem nexu non interrupto praestat, CONTINVAM; quae vero eam certo tempore praebet, DISCONTINVAM dicunt (*).

(*) Licet praeter omnem rationem hanc distinctionem faciant. Occasionem huic hypothesi dedit male intellecta, peruerseque interpretata *L. 14. D. de seru.* quae distinctionem non praecipit, sed naturam rerum vsucapiendarum saltim ob oculos posuit. Vsucapionis ac praescriptionis theoriam nosse satius fuisset.

§. CCLX.

L. VIII. Tit. 2. *Seruitus tigni immittendi.*

Ius, materiem, ex qua aedificium nostrum struendum, praedio alieno ita inferendi, vt tectum in eo ex parte requiescat, SERVITVS TIGNI (a) IMMITTENDI (b) dicitur (c).

Tignum.

(a) *Tigni* appellatione quodlibet materiei genus, struendo aedificio inseruiens, venit, siue sint ligna, lateres, saxa, rel. Id nos docet CAIVS *L. 62. D. de V. S.* scribens: TIGNI *appellatione in lege XII. Tabb. omne genus materiae, ex qua aedificia constant, significatur.* Consentit VLPIANVS *in L. 1. D. de tign. iunct.* qui et ad vineas tigni significationem extendit.

(b) *Immittere*

(b) *Immittere* esse, ita aliquid alteri rei inferre, vt in ea requiescat, dicit IAVOLENVS in *L. 242. §. 1. D. de V. S.* Addendum saltim fuisset tectum ex aliqua parte, vt oneris ferendi & tigni immittendi seruitus distinctius ob oculos poneretur. *Immittere.*

(c) Vid. *L. 1. D. de seru. vrb. praed.* Ita, si muro vicini, aedium mearum trabes, concauo facto immitto, iusque id faciendi habeo, haec seruitutis adest species. Dicitur etiam simpliciter, omissa tigni mentione, *immittendi L. 1. et 2. D. de seru. vrb. praed.*

§. CCLXI.

Ius aedium nostrarum partem alterius aedium parti imponendi SERVITVS ONERIS FERENDI (a); Ius aedificii nostri partem super aream vicini ita producendi, vt in illa non requiescat, SERVITVS PROIICIENDI (b); Ius tectum in aream vicini producendi, SERVITVS PROTEGENDI (c) dicitur. *Seruitus oneris ferendi; proiiciendi; protegendi.*

(a) V. g. Si trabes aedium mearum, superiorisque contignationis basin, vicini muro impono, vt in eo requiescat, oneris ferendi seruitus est. *Paries*, qui duas aedes per eum iunctas disterminat, *intergerinus* dicebatur. Vid. PLINIVS *L. XXXV. 14. in f.* et FESTVS *in gloss. Philoxeni Lib. VIIII.* *Paries intergerinus.*

(b) Ad hanc seruitutem referas meniana s. solaria, de quibus FESTVS *h. v. L. 20. D. de seru. vrb. praed.* a MENIO Censore, horum qui creditur inuentor, ita vocata.

(c) Dicitur a tecto, tectum vero a tegendo. Perinde vero est, siue aedium tectum producatur, siue suggrundia faciam. Si textus iuris Romani spectes, huius, seruitutisque proiiciendi differentiam vix inuenies. Sic v. g. PAVLVS *L. 10. pr. D. de seru. vrb. praed.* stillicidii proiecti meminit, quod tamen aut ex tecto producto, ex suggrundiis decidit.

§. CCLXII.

Ius, aedificia nostra altius, quam lege, in commodum vicini lata, licet, exstruendi, SERVITVS *Seruitus altius tollendi; non tollendi.*

TVS ALTIVS TOLLENDI (a); ius prohibendi vicinum, ne aedificando certam mensuram versus coelum excedat, SERVITVS ALTIVS NON TOLLENDI (b) est.

(a) Circa hanc seruitutem multum dissident, inque ea explicanda mire se torquent ICti. Breuissime totam rem sententiamque veriorem exponam. Vulgatum axioma est: cuilibet in suo ad coelum vsque aedificare licere. Sed idem legibus valde restrictum. Nascente quidem Romanorum republica hac prohibitione opus non erat, siquidem res angusta domi omnem luxum procul arceret, aedesque adeo depressae Romae conspicerentur, vt vnius tabulati mensuram non superarent, vid. PROPERTIVS *L. IIII. el. 1.* OVIDIVS *Fast. Lib. I. v. 199.* DIONYSIVS HALICARNASSENSIS *L. I. c. 29.* Crescente vero potentia luxuque, habena huic erat iniicienda. AVGVSTVS eiusmodi quid primum molitus est, referente STRABONE *Geogr. L. V. p. 162.* atque aedium mensuram ad 70. pedes reuocauit; TRAIANVS ad 60. vsque licentiam aedificandi cohibuit, vid. AVRELIVS VICTOR *Epit. c. 13.* Non vnam huius prohibitionis allegant rationem, omnem vero rem egregie expediit illustre Germaniae decus, Consummatiss. D. ESTOR *in Opusc. de altitudine aedium Rom.* Nescio, an ad rem faciat qualiscunque mea obseruatio: scilicet; quanta olim superstitio Romanos ceperit in attendendo auium volatu, cantione, et eiusmodi huius generis, inter omnes constat. Harum vero nugarum antistites, Augurum nomine celebres, ad tantum fastigium erant elati, vt omnium, etiam leuissimorum negotiorum, penes eos auctoritas esset. Horum prospectui ne officeretur, spatium versus coelum vndique liberum esse debebat, *templum*, a contemplando, dictum. Impediebatur autem prospectus vel maxime aedificiis editioribus, inde probabile videri posset, Augures primum altitudinem aedium determinasse. Confirmare hanc opinionem videtur, quod Augures prohibuerint C. MARIVM, templum honoris exstruendo certam altitudinem excedere. Vid. VOSSIVS *Etymol. voc. Contemplor.* Accedit, ni fallor, huic, quod M. AEMILIVS PORCINA, nimis alte exstructae villae accusatus, graui mulcta populi iudicio adfectus sit, referente VALERIO MAXIMO

Lib.

Lib. VIII. c. 1. Populus vero non de priuatis rebus, sed de iis, quae erant iuris publici, cognoscebat. Sed quid impedit, quae in vtilitatem publicam antiquitus constituta erant, et ad priuatorum commoda extendere. W. Quae AVCTOR de auguralis disciplinae vi ad impediendam aedificiorum altitudinem profert, iustis probationibus destituuntur, quod fusius demonstraui in diss. inaugurali *de seruitute altius tollendi Romana eiusque ad Germaniam habitu, c. 1. §. 17. p. 30. sqq.* ipsam autem huius seruitutis indolem in liquido collocasse mihi videor *l. c. c. 2. §. 29 sqq. p. 58. sqq.* Vide potissimum *L. 12. 13. C. de aedif. priuat.* S.

(b) Differentiam harum seruitutum, licet diuersa earum natura ex *L. 1. et 2. D. de seru. praed. vrb. L. 7. §. 1. D. comm. diuid. L. 2. D. de seru. §. 1. I. de Act.* ad oculum pateat, assequi non potuit BACHOVIVS *in not. ad Treutlerum Vol. I. Disp. VI. Th. 2.* quem meliora docuit VINNIVS *ad Inst. Tit. de seru. p. m. 231.* Sunt porro, qui hanc seruitutem cum seruitute, ne luminibus officiatur, conuenire credunt, decepti verbis PAVLI *in L. 4. D. de seruit. Cum autem seruitus imponitur, ne luminibus officiatur, hoc maxime adepti videmur, ne ius sit vicino inuitis nobis altius aedificare, atque ita minuere lumina aedificiorum nostrorum.* E. licebit aedificando prospectum et aëris liberum cursum impedire. Propius verum est, omnibus his seruitutibus distinctam ab inuicem naturam esse, seruitutemque altius non tollendi adeo late patere, vt quamlibet rationem altius aedificandi, quemlibet effectum excludat.

§. CCLXIII.

Stillicidium; flumen; seruitus stillicidii et fluminis auertendi s. recipiendi; Seruitus stillicidii s. fluminis non recipiendi, s. non auertendi.

Aqua, per guttas cadens, STILLICIDIVM; in canales collecta, cum impetu profluens, FLVMEN (a) vocatur. Ius hoc vel illud e nostro in vicinum praedium ducendi STILLICIDII ET FLVMINIS AVERTENDI S. RECIPIENDI SERVITVS; ius vero prohibendi vicinum, ne stillicidio vel flumine suo vtatur, SERVITVS STILLICIDII ET FLVMINIS NON RECIPIENDI S. NON AVERTENDI (b) audit.

 (a) Veram

(a) Veram hanc duarum similium differentiam esse, docet VARRO *de lingu. lat. Lib. IIII.* scribens: FLVVIVS, *quod fluit, idem* FLVMEN: *a quo lege praediorum vrbanorum scribitur: Stillicidia fluminaque, vt ita fluant cadantque. Inter haec hoc interest, quod* STILLICIDIVM, *eo quod stillatim cadat,* FLVMEN, *quod fluat continue.*

(b) Ita curatiores determinant rem. *Auertere* enim ICtis est intercipere; id quod abunde patet ex *L. 1. §. 1. D. de Still. et L. 21. D. de pec.* Qui igitur auertit flumen, id recipit. Aliam in definiendo viam ingressi sunt HVBERVS, VINNIVS atque BACHOVIVS *ad Tit. l. de seru.* seruitutem stillicidii recipiendi vocantes, qua vicinus stillicidium nostrum recipere, non recipiendi vero, quo idem suum in nostrum praedium deriuare prohibetur. W. Conf. CHR. THOMASIVS *de seruitute stillicidii* et CHR. LVD. CRELLII Diss. *stillicidium altius tolli posse etiam cum damno seruientis.* S.

§. CCLXIIII.

Seruitus cloacae.

Ius cogendi vicinum, vt sordes, in nostro praedio collectas, in suum profluere sinat, SERVITVS CLOACAE (*) dicitur.

(*) Cloacae, magnifico opere, sub terra structae erant, per quas sordes ciuitatis ad Tiberim deferebantur. Vid. CASSIODORVS *Var. Lib. III. cap. 30.* (LIVIVS I, 32. PLINIVS H. N. VIII, 29. 30. XXXVI, 15. DIONYSIVS HALIC. III, 67. S.) Sed hae erant publicae, in quas priuatae immittebantur. Quodsi hae communicationis gratia per fundum vicinum ducerentur, seruitus cloacae oriebatur *L. 7. D. de seru.* Eiusmodi spectacula rarissima hodie non sunt.

§. CCLXV.

Seruitus luminum; prospectus; ne luminibus; et ne prospectui offiiatur.

Ius, fenestram in pariete vicini vel communi (a) habendi, SERVITVS LVMINVM (b); ius in alterius praedium prospiciendi, SERVITVS PROSPECTVS (c); ius prohibendi vicinum, ne lumen obscuret, SERVITVS NE LVMINIBVS OFFICIATVR (d); ius prohibendi

bendi vicinum, ne liberum prospectum impediat, seruitus NE PROSPECTVI OFFICIATVR (e) dicitur.

(a) *L. 40. D. de seru. vrb. praed.* in qua pro communi, *caeco* legit CVIACIVS *Obs. I. 31.* Sed caecus paries est, qui fenestram non habet, VIRGILIVS *Aeneid. Lib. V. p. 588.*

Vt quondam Creta fertur labyrinthus in alta
PARIETIBVS *textum* CAECIS *iter, ancipitemque*
Mille viis habuisse dolum.

atque haec lectio ipsi vel ex eo placuit, quod persuasum habuerit, in suo tantum fenestram aperiri potuisse, cui subscribit DVARENVS *I. Disp. 33.* Sed ita seruitus non erit. Vid. VINNIVS *ad Inst. Tit. de seruit.*

(b) Vid. *L. 4. et 40. D. de seru. vrb. praed.*

(c) *L. 12. et 16. D. eod.*

(d) *L. 4. 15. 17. D. eod.*

(e) *L. 3. 15. D. eod.*

§. CCLXVI.

Ius, per fundum alterius, in commodum praedii mei, eundi, et equitandi, ITER dicitur (*). L.VIII. Tit. 3. *Iter.*

(*) *Pr. I. de seruit.* iter dicitur *ius eundi, ambulandi hominis, non etiam iumentum, vel vehiculum agendi.* Distinguit Imperator *ire* et *ambulare*, illud ICti interpretari solent, necessitatis gratia, aut in praedii sui vtilitatem procedere, hoc, voluptatis et animi reficiendi causa in sua vestigia reuerti, vid. AVSONIVS POPMA *de diff. verb. p. m. 44. edit. nempe Hekel.* BRISSONIVS *de verb. signif. h. v.* CVIACIVS *Obs.* XX. 21. Sed perperam hoc fieri ex CICERONE et FLORO docte euincit HVBERVS *prael. ad Dig. p. m. 131.* synonymaque esse probat. Non ob aliam quam hanc causam factum esse arbitror, quod THEOPHILVS *Inst. h. l.* alterutrum vocabulum plane omiserit. Et si dicendum, quod res est, ambulatio character distinctiuus itineris esse nequit, saltim non, qua est seruitus rustica, haec enim voluptatis gratia non constituitur, vid. §. CCLIIII. et CCLVII. Accedit huic sententiae aliud pondus ex eo, quod, qui ambulat voluptatis gratia, sui potissimum causa id faciat, nullum-

 que

que adsit aliud praedium, cum ambulatione connexum. Igitur, aut seruitus personalis esse debet iter, qualis incognita, aut nulla. Sed omnino hoc seruitutis natura non patitur. Audiamus PAVLVM *in L. 8. D. de seru.* ita autem ille: *Vt pomum decerpere liceat, et vt spatiari* (h. e. voluptatis gratia ire, vel ambulare), *et vt coenare in alieno possimus, seruitus imponi non potest.* Iter itaque ad solum actum eundi in commodum praedii nostri restringo, strictèque ita accepta hac notione, omnia alia excludo; De equite forsan dubitabis? Sed opus non erit dubitatione; equo, vel super equos ire, probatae latinitatis phrasis est, quod te docebit OVIDIVS *Trist. L. . el. 7. v. 14.* et IVSTINVS *Hist. Lib. XXXXI c. 3.* Ast, cum eis, qui vlterius divagantur, facere nequeo, hi enim similes sunt iis, de quibus prouerbio dicitur, quod si eis pollicis latitudinem concesseris, manus sibi attribuunt spatium. Id autem fecit notissimus CAEPOLLA *de seru. praed. rust. c. 1. n. 4.*, qui solo equo vehi indignum ratus, duos itineri attribuerit, et CVIACIVS eo procedit, vt ad iter ius cymba, vel naui per lacum alterius vehendi referat, atque MARCILIVS *ad Inst. h. l.* definitioni hoc addat, non alia nisi hac ratione moti, quod PLAVTVS *in Rudente*, aliquo loco, et ARTEMIDORVS *Oneirocrit. L. c. 18.* nauem equum ligneum vocarint: Quae sequuntur definitionis verba: *non etiam iumentum* etc. eapropter excluduntur, quod ad actum ex parte et ad viam pertineant.

§. CCLXVII.

Actus, plenus; minus plenus.

Ius animalia (a) vel sola vel currui non onusto iuncta (b), per fundum alienum ducendi (c), ACTVS, et quidem MINVS PLENVS; actus, cum iure eundi coniunctus, PLENVS dicitur.

Iumenta.

(a) *Pr. I. de seru. et L. 1. de S. P. R.* iumentorum saltim mentionem facit; Dicebant autem Romani IVMENTA, *quae collo ac dorso domabantur*. BRISSONIVS *de Verb. Sign. h. v.* quorsum pertinebant equi, muli, *L. 38. D. de Aedil. Ed.* cameli, elephanti, *L. 1. in f. D. ad L. Aquil.* cui voci armentorum vocabulum substituit HOTOMANNVS *ad Inst. h. l.* idque vel ex hac ratione, quod *in L. 12.*

pr.

pr. D. de S. P. R. idipſum legatur. Ad armenta enim boues relatos fuiſſe, docet. *L. 81. §. 3. D. de Leg. 3.* pecudum maiorum numerum notat: Generali animalium termino vſus ſum, idque vt facerem, potiſſimum haec me mouit ratio, quod iumentorum mentionem omnes, quotquot de actu in Digeſtis loquuntur, ICti faciant, armentorum MODESTINVS *c. L. 12. D. de S. P. R.* gregis PAPINIANVS *in L. 4. D. de ſeru.* W. GOTTL. STVRMII Diſſ. *Seruitus actus ex antiquitatibus illuſtrata.* S.

(b) Qui actum habet, et currum per eum ducere poteſt; id innuunt *L. 1. D. de S. P. R.* et *pr. I. de ſeru.* et PAVLVS *L. 7. D. de S. P. R.* plauſtri mentionem facit, quo non quidem onuſtum, alias via eſſet, ſed vacuum, in reditu forſan, eum intelligere, egregie obſeruat BYNCKERSHOLCK *Lib. IIII. obſ. 7.* Inde, qui currum ducunt, agitatores vocati, vid. *L. f. C. de Malef. et Math.* et OVIDIVS *Metam. II. 62.* agere currus dixit. Ex quibus perſpicitur, non opus eſſe, vt cum HOTOMANNO *L. II. obſ. 21.* in cit. *pr. I. de ſeru.* legamus: *Non etiam vehiculum ducendi.*

(c) *Agere* idem eſt ac ducere, vid. *L. 1. §. 1. D. de riuis,* neque tantum iumentis proprium eſt, ſed omnibus animalibus competit. Ita enim VIRGILIVS:

- - - - en ipſe capellas
Protinus aeger ago.

§. CCLXVIII.

Ius, per praedium alterius quodlibet vecturae genus ducendi, VIA in ſpecie (a); Generatim vero (b) VIA dicitur ius, eundi, agendi et vehendi per alterius praedium. *Via.*

(a) Ad hanc viae ſeruitutem quodlibet vecturae genus pertinet; ſiue enim quis rhedam, ſiue currum, onuſtum aut vacuum, bigatum aut quadriiugum, ſiue plauſtrum per illud ducat, perinde eſt; Hoc ipſo ſatis ab actu diſtinguitur via, licet in illa mentio plauſtri facta ſit, (§. praec. not. b.) quod tamen de vacuo plauſtro intelligendum eſt, id quod vel exinde confirmatur, quod in *L. 7. D. de S. P. R.* ei, qui viae, (non item qui actus) iure gaudet, concedatur facultas haſtam erectam

 ferendi,

ferendi, seu quod idem, tantum ei superne concedendum sit spatium, quod erectae ab eo hastae altitudinem excedat; Sed quamobrem hoc? Vt plaustrum, onustum grauiter, ducere possit.

(b) Hanc differentiam primus obseruauit NVBLAEVS ICt. *Parisiensis*, vid. MENAGIVS *Amoenit. iur. ciu. p.* 241. fundatam *L.* 1. §. 21. *sq. D. Ne quid in loc. publ.* Viam in genere definit VLPIANVS *L.* 7. *D. de S. P. R.*, quod sit *ius eundi et agendi*, addit Imperator *pr. I. de seru. ambuland.*. Equidem vocabuli *eundi* loco *vehundi* legendum putant CONNANVS *Comm. iur. ciu. c. XI.* DONELLVS, GROTIVS, BYNCKERSHOECK, HEINECCIVS atque ESTOR. DVARENVS *Anniu. Disp. Lib. I. c.* 31. eundi ius in actu esse voluntate paciscentium, in via ipso iure. MARCILIVS *ad Inst. h. l.* agendi vocem in definitione viae latius, in definitione actus strictius interpretandam esse. Sed neutrum ex his mihi placet. Ipsa nominis viae ratio tale spatium nobis sistit, quo vehiculo vel curru transire commode possumus. VARRO *de re rust. L. IIII.* satis breuis est dicendo, *actus* erat, qua agebant; qua vehebant, *via*.

§. CCLXVIIII.

Aquaeductus; Aquaehaustus.

Ius aquam per alterius praedium in nostrum deriuandi, AQVAEDVCTVS (a); ius aquam ex alterius fonte in vtilitatem praedii nostri petendi, AQVAEHAVSTVS (b) dicitur.

(a) *L.* 10. *D. de S. P. R.*, siue id fiat per riuos, *L.* 11. *§. f. D. Comm. praed.* siue per canales, *L.* 15. *D. de S. P. R.* Ita quidem sequiori aeuo; olim non duci aqua poterat, nisi ex ipsa featurigine, *L.* 1. §. 7. *D. de aqu. quot. et aestiu.* De magnifica aquaeductuum, etiam priuatorum, forma vid. VITRVVIVM *de Architect. Rom. Lib. VIII.* 7.

(b) Vtraque haec seruitus vel ad vtilitatem praedii vrbani, sc. in vsum fontium salientium, vel haustus, ad irrigandos flores, vel in vsum rustici praedii, v. g. si ducatur ad stabulum, vel hausta eo deferatur aqua, vt bubulum pecus bibat, constituitur. C. F. WALCH *de seruitute aquae hauriendae.* C. F. WINCKLER *de seruitute aquae.*

§. CCLXX.

§. CCLX.

Ius pecora nostra in alterius praedium mittendi, vt gramine et herbis nutriantur, SERVITVS PASCENDI (a); Ius, reciproco pacto constitutum, communia pascua habendi, IVS COMPASCVI (b) dicitur (c). *Ius pascendi; Ius compascui.*

(a) Hoc enim pascuum dici, vnde pabulum pecudibus quaeritur, patet ex *L. 30. §. f. D. de V. S.*

(b) Modo ita conueniatur, vt perpetuo iure hoc liceat; si mutuae familiaritatis gratia hoc permittatur, seruitus non est.

(c) Hae potiores vrbanae et rusticae seruitutes sunt, quarum natura generatim descripta est. In casu obueniente pacta, vel vsus patiente altero, legem faciunt. Minus frequentes in iuris Romani volumine neglexi.

§. CCLXXI.

ACTIO CONFESSORIA (a) est realis, competens ei, qui ius sibi aliquod competere in praedio alieno asserit, aduersus dominum eius praedii, ad hoc, vt confiteatur is, seruitutem in praedio suo competere. ACTIO NEGATORIA (b) est realis, data domino fundi, aduersus seruitutem in suo fundo quaerentem, ad hoc, vt praedium suum declaretur liberum (c). L. VIII. Tit. 5. *Actio confessoria; negatoria.*

(a) Ita IMPERATOR §. 2. *I. de Act. Aeque si agat quis, ius sibi esse, fundo forte, vel aedibus, vtendi fruendi, vel per fundum vicini aquam ducendi: in rem actio est. Eiusdem generis est actio de iure praediorum vrbanorum; Veluti, si quis agat, ius sibi esse, aedes suas altius tollendi, prospiciendive, vel proiiciendi aliquid, vel immittendi tignum in vicini aedes.* Dicitur autem confessoria, quod actor asserat, dari, competere sibi seruitutem, *L. 5. §. f. D. si vsusfr. pet. L. 2. L. 5. §. 2. si seru. vind.* velitque, vt reus confiteatur, seruitutem in fundo suo esse.

(b) Negatoria dicitur, quod actor neget praedio suo seruitutem adhaerere.

(c) *Vtilis* confessoria ac negatoria datur asserenti et neganti quodcunque ius sibi competere vel non.

§. CCLXXII.

L. VIIII. T. 1. vid. §. CCLXXV. L. VIIII. T. 2.

τὸ Suum; internum; externum; Laesio interna; externa.

Omne, quicquid ad alterum iure (a) pertinet (b), et quae ad perfectionem eius faciunt, τὸ SVVM, et quidem, quod statum internum perficit, INTERNVM, quod externum, EXTERNVM vocatur (c). Violatio τοῦ sui LAESIO, et quidem pro diuersitate τοῦ sui violati, EXTERNA vel INTERNA (d) est.

(a) Quocunque, siue naturale sit, siue ciuile.

(b) *Instructum esse*, obscurius vocabulum, adhibuit B. KOEHLERVS *Exerc. Iur. nat. IIII. §. 747.* Ego *pertinere* curatius dici puto, est enim hoc vocabulum generale.

(c) Koehleriana definitio τοῦ sui adaequata non est, quod notaui in Diss. *de Principio oblig. et non oblig. pacti per metum extorti §. XXII. Schol.* omittit enim iustitiam possessionis. Multa possidentur non iure, multa in perniciem nostram vergunt.

(d) Dicitur autem laesio interna, alio respectu, scil. ad leges internas s. imperfectam obligationem, et haec idem est, quod offensio. CICERO *de Offic. L. I. c. 28.: Iustitiae partes sunt, non violare* (h. e. laedere homines), *verecundiae, non offendere.*

§. CCLXXIII.

Damnum; commissionis; omissionis.

Malum (a), ortum ex laesione externa (b), DAMNVM (c) dicitur; quod, si contingit, dum alter actionem, nos laedentem, edit, DAMNVM COMMISSIONIS; si nobis non tribuit, quod tribuere debebat, DAMNVM OMISSIONIS (d) dicitur.

Malum.

(a) *Malum* est, quod statum nostrum deteriorem facit, v. g. e diuitibus pauperes, e sanis aegrotos etc. nos reddit.

(b) Inter-

(b) Internam laesionem ciuilis lex non vindicat; Sed obiicies: Lex Aquilia vindicat damnum iniuria datum, L. Aquiliae secundum caput iuxta mentem recentiores sententiam egit de seruo corrupto; Seruus corruptus dicitur, qui quoad animum deterior factus; Animi vitia internum statum absoluunt. E. lex Aquilia, adeoque lex ciuilis laesionem internam vindicat. Verum lex non vindicat corruptionem serui, nisi seruus corruptus damnum dederit.

(c) *Damnum*, si leges Romanas spectes, sumi deprehendes pro omni deminutione patrimonii, siue iure id fiat, siue iniuria. *L. 8. pr. D. de poen. L. 7. pr. D. de cond. furt.* Inde damnum etiam a deminutione, patrimonii scilicet, dici tradit PAVLVS *L. 1. D. de damn. inf.* Huic subscribit ISIDORVS *Etym. h. v.* MENAGIVS *Amoenit. iur. ciu. p. 275.* a verbo *dapinare* verius dici contendit. Illud autem sumtus impendere significat. PLAVTVS *Act. I. Sc. I.* HORAT. *Serm. II. 5.* speciatim vero damnum notat id, quod non iure infertur. *L. 151. D. de R. I.*

(d) Si quis rem meam, v. g. vestem, atramento, vel alio commacularit, equum deteriorem facit equitando, damnum infert commissionis. Si quis v. g. denegat reddere, quae mutuo ipsi dedi C. damnum committit omissionis.

§. CCLXXIIII.

Violatio iuris perfecti hic INIVRIA vocatur (*). *Iniuria.*

(*) Haec generalis iniuriae notio est, qua accipitur pro omni, quod non iure fit. *L. 1. D. de ini. ac fam. libell.* Ius perfectum autem illud est, quod cum coactione coniunctum. Hoc autem vt laedatur, multis modis contingere potest, 1) denegando id, quod alteri debetur, v. g. librum commodatum restituere, 2) auferendo, quod alterius est, v. g. furando, 3) inferendo sponte damnum, verberando etc.

§. CCLXXV.

Damnum a quadrupede datum (a) PAVPERIES (b) dicitur. L. VIIII. T. I. *Pauperies.*

(a) De

(a) De his in specie praeceperat L. XII. Tabul. vt videre est in *L. 1. pr D. si quadrup. paup.* etc. Bestiae vero omni ratione destituuntur, sicque involuntarie agunt, iniuriamque inferre omnino non possunt; Hinc est, quod *pr. I. et L. 1. §. 3. D. si quadrupes paup. fec. dic.* pauperies vocetur damnum sine iniuria facientis datum. FESTVS h. v. mecum sentit. Pauperies igitur supponit damnum a quadrupede datum. Has autem Romani non ex pedum numero aestimabant, sed ex eo, quod gregatim pascerentur, *§. 1. I. ad L. Aquil.* atque ita bestiae vox plerumque his iungitur; Curatius loqui volentes iumenta quadrupedum nomine venire credunt, vid. BYNCKERSHOECK *de reb. mancip. et nec mancip. VI. p. 119. sq.*

(b) *Pauperies* idem alias est, quod paupertas, id docet VIRGILIVS *Aeneid. L. VI. v. 437.*

Nunc et PAVPERIEM, *et duros perferre labores!*

CAPER *in Orthograph.* pauperiem a paupertate distinguit, illam damnum, hanc conditionem hominis notare putat.

§. CCLXXVI.

Actio quadrupedaria. ACTIO, qua pauperiei, contra naturam bestiae commissae (a), resarcitio a domino bestiae (b) petitur, QVADRVPEDARIA dicitur.

(a) V. g. Si hircus conclaue Caii intrat, suamque imaginem in speculo conspiciens, id cornibus petit. Secus, si hortum intrauerit oleribusque se pauerit, haec enim ipsi, non specula rumpendi, inest natura.

(b) Vid. *L. 1. §. 11. D. si quadr. paup. fec.*

§. CCLXXVII.

L. VIIII. T. 2. *Actio L. Aquiliae.* ACTIO, qua damnum iniuria datum ab eo, in quo ratio sufficiens est, cur datum sit (a), vindicatur, LEGIS AQVILIAE (b); actio, qua damnum, corporali actu non accedente datum, vindicatur, L. AQVILIAE VTILIS (c) dicitur.

(a) Siue v. g. quis fregerit vasa fictilia Chinensia, siue canem incitauerit, vt damnum mihi inferret.

(b) Nomen

(b) Nomen sortita suum ab AQVILIO; sed a quonam? Si varias circa hoc coniecturas desideras, adeas B. HEINECCIVM *Ant. Rom. L. IIII. Tit. 3. §. 4.* cui praeterea probabile videtur, L. AQVILIVM GALLVM, qui A. V. C. DLXXII. Tribunus plebis fuit, eum esse.

(c) Si quis v. g. alterius examen apum fumo necauerit, aut equo apud se deposito pabulum non subministrauerit, vt inde perire eum necesse fuerit. W. Omnino ad h. l. conferendus F. BALDVINVS *ad leges de iure ciuili, p. 156. sqq.* edit. Gundl. conf. etiam BYNCKERSHOECK *Obs. I. 15.*

§. CCLXXVIII.

Qui liquida collecta ex alto in terram prolabi patitur, EFFVNDERE; qui solida, DEIICERE dicitur. L. VIIII. T. 3. *Effundere; deiicere.*

§. CCLXXVIIII.

ACTIO DE EFFVSIS ET DEIECTIS est poenalis, qua damnum, effusione, vel deiectione datum, ab inhabitatore aedium, vnde effusum deiectumque, vindicatur (*). *Actio de effusis et deiectis.*

(*) Vid. *L. 1. pr. D. de his, qui effud. vel deiec. §. 1. I. de obl. quae quasi ex del.* W. Originem et indolem huius actionis explicui in Diss. *de seruit. alueus tollendi c. 1. §. 12. p. 19. sqq.* S.

§. CCLXXX.

Damnum, ab homine alieni iuris, vel animali datum, NOXIA (a); homo alieni iuris, vel animal nocens, NOXA (b) Romanis vocabatur. NOXAE DARE (c) est id, quod nocuit, ei, cui nocitum est, in solutum dare. L. VIIII. T. 4. *Noxia; Noxa.*

(a) Noxia generatim quidem omne delictum denotat; Id discimus ex PLAVTO *Mostell. Act. V. Sc. 2. v. 56.*

Quid grauaris? quasi cras non aliam commeream noxiam.

et CAIVS *L. 238. §. f. D. de V. S. Noxiae appellatione,* inquit, *omne delictum continetur;* Sed frequentior significatus

ficatus est, quo pro damno, ab homine alieni iuris, aut animali dato, accipitur. De hoc enim testatur id *L. 1. §. 1. D. si quadr. paup.* de seruo ac filiofam. *L. 5. §. pen. D. de O. et A.* et *L. 3. §. 4. D. de Nox. act.*

(b) Nec minus noxa delictum aliquando denotat, vid. *L. 4. L. 32. D. de Noxal. act.* TACITVS *Ann. L. XV. c. 34.* SENEC. *Ep. VIIII.* vsurpatur tamen etiam de subiecto nocente. Ita enim IMP. *§. 1. I de Noxal. act. Noxa autem est ipsum corpus, quod nocuit,* i. e. *seruus.* HOTOMANNVS et BALDVINVS TRIBONIANVM Latinae linguae imperitiae accusant. Sed TRIBONIANVS sequutus est VLPIANVM in *L. 1. D. de his, qui effud.* et CAIVM *L. 1. D. de Nox. act.*

(c) VLPIANVS *L. 1. §. 14. D. si quadr. paup. fec. Noxae dare, est animal tradere vinum.* Dicitur etiam ad noxam dare *L. 10. §. 19. D. de Noxal. act.* et in noxam dedere *cit. L. 1.*

§. CCLXXXI.

Pignoratio. PIGNORATIO est detentio bestiae nocentis, donec damnum resarciatur (*).

(*) Hoc quidem pignoratio, respectu ad hanc materiam habito, dicitur; Alias latior pignorationis notio patet, praesertim in casu celebris constitutionis de pignorationibus de An. 1548. cuius violationem vindicant suprema Imperii tribunalia. Hic enim notat detentionem quamlibet innocentis rei, vel personae, noui iuris acquirendi causa. Vid. latius de hac C. der C. G. O. *P. II. Tit. 23.*

§. CCLXXXII.

Actio noxalis. ACTIO NOXALIS est personalis, qua damnum a seruo datum vindicatur a domino.

§. CCLXXXIII.

Lib. X. T. I. *Fines; Arcifinia; Confinium.* Linea, per extrema praedii cuiusdam ducta, in se rediens, FINIVM nomine venit. Quodsi extrema praedii aut territorii sint montes, flumina aliaque egregiae limites naturae, ARCIFINIA (a); spatium, quod agros vicinos inter-

intercedebat, CONFINIVM (b) Romani dicebant.

(a) Ita ISIDORVS *Orig. Lib. XV. c. 13.* Alii ab hostibus captos agros ita dictos putant, vid. SICVLVS FLACCVS *de Cond. agr. p. 3.* alii intelligunt extremos territorii agros, hostium fines tangentes, atque ita ab arcendis hostibus dictos sibi persuadent. Vid. VARRO apud FRONTINVM *de re agrar. Goes. p. 38.*

(b) Lege Manlia cautum erat, vt agris contiguis omnibus spatium quinque pedum intercederet, finium confusionis vitandae ergo. Hoc spatium confinium appellabant. *L. 1. §. 2. D. de aqu. pluu. arc.* Dicebatur etiam terminus, *L. 13. D. fin. reg.* legitimum spatium, *L. 14. D. de S. P. R.* interuallum, *L. 1. C. de aedif. priu.* intercapedo, etc. Vbi tres possessores concurrebant, trifinium vocabatur. SICVLVS FLACCVS *c. l.*

§. CCLXXXIIII.

Instrumenta, quibus fines probantur, LITERAE TERMINALES; si fines publici, s. territorii, vernacula Bezirckbücher; si priuatorum, Fluhrbücher dicuntur (*) *Literae terminales.*

(*) IO. RVD. ENGAV *de librorum, quos* Grenz- Lager- bücher, Fluhrläufer, Erbbücher und Heberegister *appellare solemus, forma, continuatione, renouatione fideque varia.* Ien. 1756. S.

§. CCLXXXV.

ACTIO, qua finium confusorum restitutio et praestatio eius, quod interest, a possessore praedii vicini petitur, FINIVM REGVNDORVM dicitur (*). *Actio finium regundorum.*

(*) Vid. *§. 20. I. de Act. L. 1. pr. L. 2. §. 1. D. fin. reg.*

§. CCLXXXVI.

ACTIO, qua coheredes inter se vtuntur, ad obtinendam rerum hereditariarum diuisionem, FAMILIAE ERCISCVNDAE (*) vocatur. Lib. X. Tit. 2. *Actio familiae erciscundae.*

(*) 2

(*) *Familia* hic hereditatem notat, vid. *L. 195. §. 1. D. de V. S. L. f. C. eod. t. t. D. et C. fam. erc.* *Ercifcere* vero eft diuidere, dicitur enim ab ἑρκίζειν, quod idem eft ac diuidere. Vid. CICERO *de Orat. Lib. I. c. 56.* et APVLEIVS *Metam. VI. fub fin.* Ita hic: *Sed nos diuerfa tendentes, et in caufa finali de proprietate foli, immo viae ercifcundae contendentes, rapinis fuis onuftı deprehendunt ipfi latrones.* Hanc ercifcundi vocem ex antiquo XII. Tabb. ercto cito conflatam opinatus eft SALMASIVS *Exerc. Plin. p. 1162.* Vid. de hac notione elegantiffime differentem Ill. Dn. GEBAVERVM *in Diff. de Ercto cito in melius formando*, ad quam, vt chartae ac tempori parcam, B. L. remitto.

§. CCLXXXVII.

Lib. X. Tit. 3. *Actio comm. diu.*

ACTIO, qua agunt, qui communia (*) inter fe habuere quaedam, ad diuidenda ea, COMMVNI DIVIDVNDO dicitur.

(*) Praeter hereditatem, nam hereditariarum rerum communio tollenda petitur per actionem familiae ercifcundae.

§. CCLXXXVIII.

Lib. X. Tit. 4. *Exhibere.*

Rem alicui praefentem fiftere, EXHIBERE dicitur (*).

(*) *L. 22. D. de V. S. Exhibere eft praefentiam corporis praebere.* Idem eft ac edere, nifi quod hoc ad actionem documentaque reftringant, corporales res exhiberi dicere foleant.

§. CCLXXXVIIII.

Actio ad exhibendum.

ACTIO, qua res corporalis, in litem futuram deducenda, exhiberi petitur, ad EXHIBENDVM (*) vocatur.

(*) Sc. inepte quis deperditum annulum vindicaret a Caio, prius quam fciret eum annulum, et quidem hoc, quod amifit, annuli indiuiduum poffidere. Succumbens enim certiffime expenfas litis folueret. Huius vero rei vt certior quis fiat, ad exhibendum agitur, nempe, vt reus annulos fuos producat, mihique copiam eorum faciat, vt eligere ex iis poffim, quem vindicem.

§. CCXC.

§. CCXC.

INTERROGATIONES circa ius persequendum, vel possessionem, ante litis contestationem fieri solitae, IN IVRE vocabantur (*) Lib. XI. Tit. I. *Interrogationes in iure.*

(*) *In iure* id fieri dici, quod ante litis contestationem fieret, supra non vna vice obseruatum est; fuisse autem eiusmodi interrogationes necessarias, vel ex eo apparet, quod contra non possidentem rei vindicatio moueri nequiret, nec contra non coheredem actio familiae erciscundae. W. CHR. HENR. ECKHARD *de interrogationibus in iure apud Germanos.* Ien. 1746. IO. PH. CARRACH *de interrogationibus in iure, earumque defectu in foris Germ.* Hal. 1751. S. *In iure fieri.*

§. CCXCI.

Positiones, actoris vel rei exceptionem continentes, alterutri ad respondendum propositae, POSITIONES; Dans, PONENS, responsurus, PONATVS barbare dicitur (*). *Positiones; Ponens; Ponatus.*

(*) Introduxit ius Canonicum, vt contenta libelli, ad faciliorem litis exitum reddendum, in certas propositiones resoluerentur, reoque darentur ad respondendum; pari ratione reus actori per positiones exceptionem suam proponeret. Vid. *c. vn. X. de Lit. cont. c. 1. et 2. de confess. in 6.* Ponas casum, Titium conuenire Caium ex commodato, atque ab eo vasa argentea, ipsi ad ornandas epulas concessa, repetere. Positiones ex libello Titii forsan hoc modo possent formari:

1. Wahr, daß Ponat den 1. Jul. durch seinen Diener Jacob ihn, Ponenten, um sein silbern Service bitten lassen, solches auf einer Gasterey zu gebrauchen.

2. Wahr, daß er, Ponat, dabey versprechen lassen, solches den folgenden Tag wieder zu senden.

3. Wahr, daß er, Ponent, darauf dem Diener Jacob das Silbergeschirr anvertrauet.

4. Wahr, daß also Ponat solches auch erhalten.

5. Wahr, daß Ponat, da Ponent solches nach vier Tagen wieder fordern lassen, zurücke sagen lassen, er wolle es morgen senden.

6. Wahr, daß es dennoch bis dato nicht erfolget, ꝛc. Haec autem ſeruauit praxis, vt, quae ſint ſcientiae propriae, ponantur per voculam wahr, nicht wahr, quae alienae, per glaube wahr, glaube nicht wahr.

§. CCXCII.

Poſitiones irreſponſales; impertinentes; multiplices.

POSITIONES, ad quas ponatus reſpondere obligatus non eſt, IRRESPONSALES (a); quae praeſentem caſum, ſeu factum non concernunt, IMPERTINENTES (b); Propoſitiones compoſitae, MVLTIPLICES (c) dicuntur.

(a) Tales ſunt v. g. poſitiones iuris, communis nempe ac ſcripti, hoc enim aliunde certum eſt, nec confeſſione partium ei aliquid roboris accedit.

(b) Si quis v. g. ex emto ageret, atque hanc poſitionem immiſceret aliis: Wahr, daß eben, da der Kauff geſchloſſen, Ponatens Großmutter geſtorben, und er darum getrauret.

(c) V. g. Si quis ita poſitionem formaret: Wahr, daß Ponentens Vater Ponatens Garten gegen ſein am Marckt gelegenes Haus vertauſchet, und darauf 150. fl. herauszugeben, ſolche auch auf Zinſen, 5. a 100. als ein Darlehn zu behalten verſprochen. Haec poſitio multiplex eſt, continet enim quatuor propoſitiones, 1) aedes paternas ponentis cum horto ponati (ſit venia verbo) commutatas fuiſſe, 2) ponatum 150. fl. promiſiſſe, 3) promiſſos mutui titulo retinuiſſe, 4) vſuras ſolitas pollicitum fuiſſe. W. De vſu poſitionum in foris Germaniae adeundi S. P. GASSER *de inutilitate poſitionum cum iuramento dandorum et reſpondendorum*, rec. Hal. 1757. et GE. CHR. NELLER *de poſitionibus*. Düſſeld. 1757. S.

§. CCXCIII.

Lib. XI. T. 2.

Continentia cauſae.

Nexus litium diuerſi generis, quae ad idem forum pertinent, CONTINENTIA CAVSARVM dicitur (*).

(*) Vid. §. CCXXVIIII. Hereditas rerum allodialium defuncti Imperii Comitis C. petenda eſt. N. S R. I. Prin-

Princeps, atque Baro F. hereditatem ex testamento in firmato possident; ille Austregis gaudet, hic, quoniam imperio immediate non subest, forum domicilii sortitur; diuidenda igitur foret petitio, si vtriusque forum sequi vellet actor; hoc ne fiat, sancitum *Rec. Deput.* 1600. §. 23 Ad supremum igitur Imperii Tribunal itur. W. Conf. Io. PH. CARRACH *de foro continentiae caussarum exidemitate.* Hal. 1750. S.

§. CCXCIIII.

Actio, a reo conuento contra actorem in eodem iudicio mouenda, RECONVENTIO audit (*). *Reconuentio.*

(*) Ex eodem, quod §. praec. allegaui, principio, ne connexae causae diuidantur, constitutum est, vt reus conuentus, si aduersus actorem ipsi actio cuiuscunque generis suppetat, eam in eodem iudicio proponat. *L. 14. C. de sent. et interl.* Commodum ex eo hoc in reum resultat, quod opus non habeat, finito processu, forum actoris, dissitum aliquando, quaerere.

§. CCXCV.

CORRVMPERE hic, quoad animum deteriorem aliquem facere, notat (*). Lib. XI. T. 3. *Corrumpere.*

(*) *Corrumpere* licet in genere deteriorem facere significet; *L. 27. §. 13. D. ad L. Aquil.* hoc tamen loco, quo de seruo corrupto agitur, animus potissimum respicitur, idque vel ex ea ratione, quod alia corruptio Lege Aquilia vindicaretur. Innuit illud VLPIANVS *in L. 1. D. de seru. corrupt.* edictum Praetoris allegans: *Qui seruum, seruam, alienum, alienam, recepisse, persuasisseue quid ei dicetur dolo malo etc.* Si itaque persuaserit quis Seii seruum, vt ei se subduceret, aut pecuniam furaretur, eum corrupit.

§. CCXCVI.

ACTIO, qua dominus serui corrupti, damni, dati per seruum, duplum, a corrumpente eum, petit, DE SERVO CORRVPTO vocatur (*) *Actio de seruo corrupto.*

N 2 (*) Vid.

(*) Vid. *L. 1. pr. D. de seru. corrupt.* W. An et quatenus ad famulos nostros adplicari queat? disquirit BERNH. MAVR. HOFFMANN *de vsu practico vtilis remedii serui corrupti.* Alt. 1735. S.

§. CCXCVII.

Lib. XI. T. 4. *Seruus fugitiuus; Erro.*

SERVVS, qui a domino citra eius voluntatem discedit, absque animo redeundi, FVGITIVVS (a); qui discedit, atque per loca vagatur, animo tamen aliquando reuertendi, ERRO (b) dicitur.

(a) OPILIVS *L. 17. pr. D. de aedil. ed.* dicit FVGITIVVM, *qui extra domini domum, fugae causa, quo se a domino celaret, mansit.* CASSIVS *c. l. §. 2.* eum, *qui certo proposito dominum relinquit.* Optime vero CAELIVS *c. l. §. 1.* FVGITIVVM vocat, *qui ea mente discedit, ne ad dominum redeat.*

(b) LABEO *in L. 13. §. 14. D. de aedil. edict.* erronem definiturus, eum pusillum fugitiuum, fugitiuum vero magnum erronem dicit. An putaueris elegantiorem orbem circino vllo duci posse? VLPIANVS *c. l.* magis sapere videtur Labeone. Ille enim erronem dicit, qui non quidem fugit, sed frequenter sine causa vagatur, et, temporibus in res nugatorias consumtis, serius domum redit. Erro itaque v. g. erit, qui compotationibus ac Veneri indulgens per vicos vagatur, perque plures dies noctesque domo abesse, sed redire semper, consueuit.

§. CCXCVIII.

Lib. XI. T. 5. *Alea.*

ALEAM dicimus quemlibet actum, in quo fortuna dominatur (*).

(*) Ita non solum optimi auctores, sed et leges hanc vocem accipiunt, vid. *L. 8. §. 1. D. de C. E. V. L. 7. D. de hered. vel act. vend. L. f. §. 1. D. quar. rer. act. non datur.* et LIVIVS *Lib. XXXX. c. 59.* In specie vero pro ludi specie sumitur, de qua OVIDIVS *ex Pont. Ep. I. v. 46.*

Nec tenet incertas ALEA *blanda manus.*

quemque PERROTTVS et RADERVS *apud* SENFTLEBIVM *de Alea* fusiori calamo exposuere.

§. CCXCVIIII.

§. CCXCVIIII.

Pactum, de certa re, vel quantitate, ei danda, qui alterum, aut arte, aut fortuna, superauerit, LVDVS (a); si superet arte, ARTIS (b); si fortuna, FORTVNAE (c); si vtraque concurrit, MIXTVS (d) audit. *Ludus; artis; fortunae; mixtus.*

(a) Ludorum, si antiquitatem spectes, varia genera erant; aliqui enim cultui Deorum, alii captandae beneuolentiae populi inseruiebant, de quibus omnibus conferri meretur LIPSIVS *in Magn. Rom.* praesertim *Lib. II.* Hi ansam dederunt hominibus priuatis, vt et hi, posito in victorem praemio, varios ludos exercerent, v. g. aleam, qua festis praesertim diebus, otio destinatis, difficile supersedebant, quod docet SVETONIVS *Domit. c.* 21.

(b) Huc referas ludum latrunculorum, et abaculorum, in sphaeristerio tudiculario, etc.

(c) Ad hoc ludi genus pertinet Plistobalinda, et quae nomine la Bassette et Faro vulgantur.

(d) Mixtus ludus est, quando in alueo aleatorio, aut chartis ad artem luditur; in priori enim iactus aleae, in posteriori chartarum modificatio artificium determinat.

§. CCC.

Pactum super re dubia, de pretio aliquo ei, cuius opinioni responderit euentus, soluendo, SPONSIO (*) dicitur. *Sponsio.*

(*) V. g. Cneius contendit, Lucium, Glyceriam ambientem, repulsam laturum esse, Domitius defendit, illum domum docturum eam. Euentus incertus, ambobusque ignotus est; Conuenit iam inter eos, vt alter alteri, cuius sententiae responderit euentus, X. Ducatos soluat: Sponsio adest. Sunt, qui sibi persuadent, sponsionis, hoc saltim significatu acceptae, Romanas leges nullam mentionem facere, sed nescio, anne ex *L.* 17. §. 5. *D. de praescr. verb.* et *L.* 3. *D. de aleatoribus* contrarium appareat.

§. CCCI.

Lib. XI. T. 6. *Mensor.*

Qui quantitatem rei determinat, MENSOR dicitur (*).

(*) Licet mensorum nomine ii in specie indigitari solent, qui agros metiuntur, constat tamen, Romanos generali, quam dedi, vsos esse notione. Ita enim non solum mensorum aedificiorum meminit GRVTERVS *Inscript. p. DCXXIII. n. 8.*

A. SEMPRONIVS. LETVS.
MENSOR. AEDIFICIORVM.
SIBI. ET.
SEMPRONIAE. METHROTEAE.
VXORI.

sed et mensorum machinariorum (erant, qui agros machina quadam metiebantur). IDEM *p. LXXXXVIIII.*

M. AEL. M. F. RVSTICVS. RECTOR.
IMM. II. HON. III.
IN. DIEM. VITAE. SVAE.
MENSORIBVS. MACH. P. F.
QVIB. EX. SC. COIR. LIC.
CASTONES. D. D.
ET. OB. DEDICATIONEM.
DEDIT - - - -

Mensores frumenti nominat *L. 10. D. de iur. immun.* et *L. 26. D. de Excus.* mensores operum allegat PLINIVS *Lib. X. ep. 29.*

§. CCCII.

Lib. XI. Tit. 7. *Sepulcrum; publicum; priuatum; familiare; hereditarium; particulare; vniuersale.*

Locus, quo cadauer humanum reconditur, SEPVLCRVM (a); quod, si ad vniuersitatem pertinet, PVBLICVM; si ad homines priuatae sortis, PRIVATVM; si cadaueribus familiae destinatum, FAMILIARE (b); si omnium, qui heredes nobis sunt, HEREDITARIVM (c); quod, si ad solos heredes ab intestato pertinet, PARTICVLARE; si ad scriptos simul, VNIVERSALE (d) dicitur.

(a) Apud

(a) Apud Romanos sufficiebat, si ossuarium illatum esset; *L. 1. §. 5. D. de relig.* solebant enim ii corpora igne cremare, ossaque ac cineres in vascula huius nominis colligere, de quo ritu latius KIRCHMANNVS *de fun. Rom.* *Sepelire* enim verbum generale est omnibus modis cadauer humanum tractandi, siue terrae inferatur, s. comburatur, vid. CICERO *V. Verr. c. 16.* NEPOS *vit. Attic. in f.* CVPERVS *Obs. 1. 7.*

(b) Ita CAIVS *L. 5. D. de religios.: Familiaria sepulcra dicuntur, quae quis sibi familiaeque suae constituit.*

(c) Pergit CAIVS *c. l. 5. D. de relig.: Hereditaria autem, quae quis sibi, heredibusque suis constituit.* Indicabant haec Romani formula: *Hoc monumentum heredes sequitur*, vt videre est apud GRVTERVM *Inscr. p. DLXXXXIII. n. 3.*

AVR. GERMANICVS. AVG. LIB.
P. P. CELLARIS.
FECIT. SIBI. ET. MARCIAE.
CONIVGI. SVAE. ET.
INGENVAE. FILIAE. SVAE. ET.
MERCVRIO. FRATRI. ET.
MVSCAE. CONIVGI. EIVS. ET.
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. EORVM.
H. M. H. S.

(d) Erant Romanis sepulcra, quae recipiebant quoscunque heredes, siue fuerint sui, siue extranei, siue scripti, aut ab intestato, de quibus agit *c. l. 5. D de relig.*; erant iis alia, quae extraneos omnes excludebant, et alia rursus, quae scriptos tantum non recipiebant. Illorum formula erat: *Hoc monumentum exteros non recipit*, cuius exemplum ex GRVTERO *Inscr. p. CCCXI. n. 5.* afferam:

TEIAE. ASCLEPIADOTAE.
TEIAE. RVFINAE. V. V. LIB.
CONIVGI. CARISSIMAE. ITEM.
P. TEIO. RVFFO. FIL. DVLCISS.
TEIAE. ZOE. PARENTES. B. M.
FECERVNT. SIBI. LIBERTABVS.
QVE. EORVM. H. M. EXT. N. REC.

Vid. IDEM *p. CCCVIII. n. 7.* Huius vero exemplum suppeditat IDEM *p. DCCCCLXXII. n. 8.*

DOMITIA. I. L.
PROBA.
SIBI. ET.
DOMITIAE. D. L.
THALLVSSAE.
SORORI. ET.
AETHONI.
SORORIS. F.
V. F.
H. L. S. H. N. S.
i. e. Hic locus scriptos heredes non sequitur.

§. CCCIII.

Sepultura; honesta; inhonesta.

Ipsa cadaueris in sepulcrum illatio SEPVLTVRA dicitur, quae, si in honorem defuncti adhibitis cerimoniis (a) fit, HONESTA; sin cerimoniis, in dedecus defuncti vergentibus, expediatur, INHONESTA (b) vocatur.

Cerimoniae.

(a) *Cerimoniae* sunt signa eorum, quorum meminisse in propositi exsequutione oportet.

(b) Quando v. g. per carnificem cadauer trahae impositum per vrbem ducitur, et sub patibulo terrae mandatur, quae sepultura alias asinina dicitur. STRYCK *de iur. fun.* c. 1. §. 5.

§. CCCIIII.

Actio funeraria.

ACTIO FVNERARIA dicitur, qua is, qui sumtus in funus alicuius fecit, ab iis, quibus obligatio sepeliendi defunctum incumbebat (*), eos repetit.

(*) Vid. *L.* 14. §. 17. *D. de relig.* Ii vero, qui ad sepeliendum aliquem obligantur, sunt aut hi, quibus testator hoc testamento iniunxit, *L.* 12. §. 4. *D. eod.* aut alii ex quocunque capite in vniuersum ius defuncti succedentes, *L. cit.* 12. *et* 14. §. *f. D. eod.* aut, qui defuncto ad alimenta tenebantur, vid. STRYCK *V. M. Tit. de religios.* §. 42. W. Adde CHR. CONR. WILH. FRIDERICI *de re funeraria, origine sepulturae et sepulturarum veterum et nostrorum temporum differentia, iure et religione.* Ien. 1755. S.

§. CCCV.

§. CCCV.

Id, quod ex quacunque obligatione me alteri, aut alterum mihi, praestare oportet, DEBITVM; Id vero, quod ex quocunque iure personali (*) ab altero exigere possumus, CREDITVM; Cui incumbit obligatio praestandi quid, DEBITOR; cui ius personale exigendi quid ab altero competit, CREDITOR vocatur. Lib. XII. T. I. *Debitum; Creditum; Debitor; Creditor.*

(*) Ita quidem videtur; Obligationis enim correlatum est ius personale. Debitum vero, cum obligationem supponat, *L. 1. D. de pec. const.* aliter esse nequit, quam quod debitum ad ius personale se referat. Vid. MARTIALIS *L. II.*

Debet enim, si quis soluere iure potest.

Soluere autem supponit obligationem, neque me quicquam mouet secus sentientium multitudo, crediti vocem ita late extendentium, vt quodcunque ius, siue reale sit, siue personale, complectatur, neque praesidii quid hi in legibus opinioni suae inueniunt. VLPIANVS quidem in *L. 178. §. 3. D. de V. S.* scribit: *Verbum* DEBERE *omnem omnino actionem comprehendere, siue ciuilis sit, siue honoraria, siue fideicommissi persecutio.* Sed non putauerim, ICtum hic oculos aduertisse ad distinctionem actionum in reales et personales, sed potius ad ciuiles et praetorias attendisse, vti vel ex eo maxime apparet, quod idem in *L. 10. D. eod. in fin.* ad contractus restringat debere vocabulum. Clarius idipsum apparet, quod idem ille in *L. 1. §. 6. D. de pec. const.* scribat: *Debitum autem ex quacunque causa potest constitui,* i. e. EX QVOCVNQVE CONTRACTV, *siue certi siue incerti, et si ex causa emtionis quis pretium debeat, vel ex causa dotis, vel ex causa tutelae, vel ex alio quocunque contractu.* Omnibus casibus inest obligatio personalis. Neque CAIVS *L. 11. D. eod.* aduersatur nobis, dicens: *Creditorum appellatione non hi tantum accipiuntur, qui pecuniam crediderunt, sed omnes, quibus ex qualibet causa debetur.* Hanc enim legem 10. ex sequenti 12. explicandam voluere iuris Romani compilatores; Ita autem haec: *Vt si cui ex emto, vel ex locato, vel ex alio ullo debetur; sed etsi ex delicto debeatur, mihi videtur posse creditoris loco accipi.*

Subest enim obligatio personalis. Hoc vti certum est, ita idipsum vel maxime ex *L. 1. pr. D. de reb. cred. et ex L. 2. §. 3. D. eod.* vlterius expeditur. Quod ita in genere debitum et creditum dicitur, id in specie etiam ad mutuum quandoque solum restringitur, vid. *L. 2. §. 1. D. eod.*

§. CCCVI.

Debitum liquidum; illiquidum.

Debitum, de cuius qualitate et quantitate constat, LIQVIDVM (*), de cuius non, ILLIQVIDVM dicitur.

(*) *Liquere* idem est, ac constare, vid. *L. 1. §. 1. D. quib. ex caus. in poss. L. 2. §. 4. D quemadm. test. aper.* certum ac manifestum esse, TERENTIVS *Eunuch. Act II. Sc. 3. v. 39.*

Illum LIQVET *mihi deierare his mensibus.*

Vid. DONATVS *ad h. l.* Idem colligitur ex formula iudicantium de rebus dubiis: NON LIQVET. Vid. *L. 13. D de recept.* Constare autem non solum debet, *quid* debeatur, h. e. an equus, anne vero bos, aut centum in obligatione sint, sed et *quale*, h. e. ex quonam contractu, vel ex qua obligatione, vtrum ex emto, anne ex laesione, seu damno dato, et *quantum*, i. e. M. an D., vnus equus, anne plures.

§. CCCVII.

Mutuum.

Datio (a) rei fungibilis (b) in genere restituendae (c) MVTVVM (d) audit.

(a) Multiplex vocis *dare* significatus est, vid. AVSONIVS POPMA *de Diff. verb. edit. Hekel. p. 150.* maxime vero vulgaris is est, quo dominium transferre notat. Ita enim Imperator in *§. 14. I. de Act.: Nec enim quod actoris est, id ei dari oportet, scilicet, quia dari cuiquam intelligitur, quod ita datur, vt eius fiat.*

(b) Quaenam dicantur res fungibiles, exposui §. LXXXXII. indeque apparet, non pecuniam numeratam solum, sed et alias res, veluti vinum, farinam, frumentum, mutuo dari posse.

(c) Pr.

(c) *Pr. I. quib. mod. toll. obl.* In hoc enim differt a commodato, in quo res, vtenda concessa, in indiuiduo reddenda est.

(d) In determinanda mutui etymologia eruditorum digiti non deprehenduntur aequales. CAIVS *inst. Lib. III. Tit. 1. ex edit.* OISELII. TRIBONIANVS *pr. I. quib. mod. re etc.* PAVLVS *in L. 2. §. 2. D. de reb. cred.* et ISIDORVS *Etymol. 25.* inde dictum arbitrantur, quod ex *meo* fiat *tuum*, adeoque ex meotuum mutuum factum, sibi persuadent. Sed Stoice nimium. CVIACIVS *Lib. XI. Obs. 31.* et TVRNEBVS *Aduers. X. 25.* id deriuant a verbo *mutare*, eo, quod pecunia cum pecunia mutetur, i. e. alia nummorum indiuidua dentur, alia reddantur. Alii a Graeca voce, vel potius Sicula, μοῖτον, quod significat dare, vt reddatur. Id faciunt VARRO *de ling. Lat. Lib. IIII.* MENAGIVS *Amoenit. iur. ciu. p. m. 311.* OISELIVS *ad Caium l. c. p. m. 44.* B. HEINECCIVS *Ant. Rom. Lib. III. Tit. 15. §. 1.* et si dicendum, quod res est, non adeo inconcinne. Docet namque B. HEINECCIVS *cit. Ant. Lib. II. T. 14. §. 5.* rei pecuniariae, et quae cum hac connexa sunt, denominationes a Siculis petiisse Romanos. Ita vero μοῖτον in mutuum degenerasse putat MENAGIVS, vt μοι correptum μυ, et τον prolatum tuum fit. SCIPIO GENTILIS *Orig. ad D.* a μετρεῖσθαι, quod foenori accipere denotare, patet ex HESIODO *v. 349.* mutuum dici, autumat. W. Vniuersam de contractu mutui naturam et indolem feliciter emensus est I. F. KOBE *de pecunia mutuaticia tuto collocanda.* Goett. 1761. S.

§. CCCVIII.

AES omne nummorum genus notat (a); quod nos alii debemus, ALIENVM (b), quod alii nobis debent, SVVM (c) dicitur. *Aes alienum; suum.*

(a) Vti pecunia a pecudibus, ita aes ab aere dicitur, eo quod SERVIVS, Rex primus, aes, signatum imagine pecudis, pretium eminens constituerit, vid. PLINIVS *Hist. nat. XXXIII. 3.* Atque ita pro omni nummorum quantitate accipitur. Ita DORIO apud TERENTIVM *Phorm. Act. III. Sc. 2. v. 26.*

-- *Quam indignum facinus, ancillam* SVO AERE *emtam*,

(b) VLPIA-

(b) VLPIANVS *L. 213. §. 1. D. de V. S.:* AES ALIENVM *est, quod nos aliis debemus,* et CICERO *Lib. V. ep. 6. ad fam. Itaque nunc me scito tantum habere aeris alieni, vt cupiam coniurare, si quis me recipiat.*

(c) Idem VLPIANVS *c. l. 213. §. 1. D. de V. S.:* AES SVVM *est, quod alii nobis debent.* CICERO *Lib. XV. ep. 14. ad fam. Multi enim anni sunt, cum ille in* AERE MEO *est.* Dicitur autem meum, quod illa quantitas in pecunia mea numeretur.

§. CCCVIIII.

Mutuum palliatum. MVTVVM, simulato alio contractu initum, PALLIATVM dicitur (*).

(*) Huc referas contractum Mohatrae, quo res datur, vt, ea vendita, pecunia cedat in mutuum. Hoc filiorumfamilias ingenio debetur.

§. CCCX.

Mutuum conciliatum. MVTVVM, ab eo, qui contrahere non poterat, datum, et ab accipiente b. f. consumtum, CONCILIATVM dicitur (*).

(*) Scilicet, mutuum contractus est; requirit igitur habilitatem contrahentium. Ita vel ob deficiens iudicium infantes, furiosi, vel ob potestatem alterius in eos filiifamilias, pupilli, etc. prohibentur mutuum dare. Quodsi vero quis ab eiusmodi homine, filiofamilias v. g. nescius aut conditionis eius, aut iuris, mutuam sumserit pecuniam, eamque statim expenderit, nummi vindicari nequibunt, quippe non amplius exstantes, placuit igitur ex postfacto eiusmodi mutuum conualescere. *L. 13. §. 1. D. de reb. cred.* Vid. etiam *L. 12. et L. 19. §. 1. D. eod.*

§. CCCXI.

Expensilatio; Acceptilatio; Contractus nominis. Scripta datae pecuniae professio, EXPENSILATIO, acceptae pecuniae, ACCEPTILATIO; CONTRACTVS, qui expensi- et acceptilatione perficiebatur, NOMINIS (*) dicebatur.

(*) Vid.

(*) Vid. ASCONIVS PEDIANVS *in* CICERONIS *Verr. p.* 2848. CICERO *ad Attic. IIII.* 8. ID. *pro Roscio* 1. BRISSONIVS *de form. VI. p.* 516. SALMASIVS *de mod. vsur. c. XI. p.* 431. Creditor ac debitor quilibet aut ipse suos expensi et accepti seruabat tabulas, aut, si deessent ipsi ea, argentarium adibat, eius librum requirens; Creditor debitoris tabulae expensam summam, addito nomine, inserebat, debitor vero in tabula creditoris eamdem acceptam, nomine suo adiecto, confitebatur. Quodsi hae duae tabulae tempore motae actionis conspirarent, secundum eas pronunciabatur. Vid. SIGONIVS *de Iudic. I.* 1. *p.* 108. SLUTER *Diss. de Except. non numer. pec. non priuil.* §. 4.

§. CCCXII.

CONTRACTVS, quo quis scriptura sua post quinquennium (a) obligatur, CHIROGRAPHARIVS audit (b). *Contractus chirographarius.*

(a) Id quod IVSTINIANVS mutauit in biennium §. *un. I. de Lit. obl.*

(b) Hic contractus in locum contractus nominis successit. Naturam eius exponit §. *vn. I. de lit. obl.* Obligatio haec non oritur ex acceptatione pecuniae, sed ex scripta confessione. Id docet ASCONIVS PEDIANVS ad CICERONIS *Verrinam I. c.* 36.: *In syngraphis etiam contra fidem pactio venit, et non numerata pecunia, aut non integre numerata scribi solet.*

§ CCCXIII.

CONDICTIO CERTI (a) EX MVTVO est actio personalis, qua creditor rem fungibilem a debitore in genere restituendam (b) petit. *Condictio certi ex mutuo.*

(a) Condictiones, quibus certum petitur, plures dantur; *L. 9. pr. D. de reb. cred.* Sunt enim actiones personales omnes, condictiones, §. 15. *I. de Act.* ne itaque indeterminata haec maneat notio, addendum erat contractus, ex quo oriebatur, nomen, mutui scilicet.

(b) Vid. *L. 2. pr. §. 1. D. de R. C.*

§. CCCXIIII.

§. CCCXIIII.

Querela N. N. P.

QVERELAM NON NVMERATAE PECVNIAE dicunt actionem personalem, qua chirographum, spe accipiendi mutui datum, repetitur (*).

(*) Ita quidem hanc actionem ex *L. 8. L. 14. §. 4. C. de non num. pec.* exsculpunt ICtorum aliqui. Verum, si dicendum, quod res est, non nisi condictio sine caussa eadem est, idque vel ex *L. 7. eod.* haud difficulter intelligitur. W. Conf. HERM. ZOLLIVS *de except. non numeratae pecuniae.*

§. CCCXV.

Lib. XII. T. 2. *Iusiurandum.*

Prouocatio vindictae diuinae in casum mendacii (a) IVSIVRANDVM (b), vel IVRAMENTVM (c) audit.

(a) Ita fere HASSEN, *in Synops. Phil. moral. p. 144.* ARISTOTELI, *Rhet. ad Alex. c. 18.* iusiurandum est: Μετὰ θεία παραλήψεως φάσις ἀναπόδεικτος. *Effatum non demonstratum, cum assumtione quadam diuina.* CICERO *de Offic. Lib. III. c. 29.* id *affirmationem religiosam*, affirmare vero, *Deo teste aliquid promittere*, dicit: Inde STRAVCHIVS *Diss. ad Inst. XXV. 4* confessionem religiosam iusiurandum dicit, h. e. quod non solum inuocato Deo, sed et aliis rebus fit; At quamuis negandum non sit, reperiri in antiquis, vt sacro codice, *Rom. I. 9. 1. Thess. II. 10.* vt et recentioribus scriptis formulas inuocationum aliorum, praeter Deum, eas tamen pro obtestationibus potius, quam iuramentis habendas esse, determinata horum notio requirit. Neque eiusmodi obtestationes per creatas res iurisiurandi vim habere, vel ex *L. 33. D. de iureiur.* liquet. Formulam Deum hominesque obtestari habet BRISSONIVS *de form. Lib. VIII. c. 90.* Alias iurandi formulas vide apud PLAVTVM. *Milit. glor. Act. III. Sc. 1. v. 20. Cistell. Act. II. Sc. 1. v. 20. Mostell. Act. I. Sc. 3. v. 30.* SVETONIVM *Tiber. c. 25.* HORATIVM *Serm. Lib. I. sat. 9.* PROPERTIVM *Lib. II. Eleg. 15.* MARTIALEM *Epigr. 69. Lib. I.* CICERONEM *L. VII. ep. 1. etc. Acad. quaest. 1* FESTVM *h. v.* POLYBIVM *Lib. III.* GELLIVM *N. A. Lib. XVI. c. 4.* qui conferri possunt.

(b) Ius-

(b) Iusiurandum idem esse ac Iouis iurandum, plurimi volunt, ad APVLEIVM *de Deo Socratis* respicientes, vbi ENNIVS:

Fides alma, apta pennis, iurandum Iouis.

Et ipse, vt hoc credam, inducor, quod *iurandum* eodem significatu occurrat, quo iusiurandum, idque apud TACITVM *Annal. Lib. IIII.* et AMMIANVM MARCELLINVM, *Hist. Lib. XVI.* et quod Romanorum maximum iusiurandum fieret per Iouem. Conf. BRISSONIVS *de formul. Lib. VIII. c. 8.*

(c) *Iuramenti* vox barbara est, vid. CELLARII *Antibarb. p. 61.* idemque significat, quod iusiurandum. Nec nisi bis in iuris Romani volumine occurrit, et quidem *L. 14. §. 1. D. de iureiur. L. 25. §. 3. D. de prob.* Alii differentiam harum vocum, et quidem in eo, deprehendisse sibi visi sunt, quod iuramentum super re non controuersa, iusiurandum super re controuersa fiat, quos dudum refellit VVLTEIVS *Disc. VII. p. 70.* Sacramentum idem est, quod iusiurandum, vid. CICERO *Lib. IIII. ep. 18. ad fam.* HORATIVS *Lib II. carm. Od. 17.* W. Grauem de origine, vsu et abusu iuramentorum sententiam dixit GE. HENR. AYRER *de abusu iuramentorum e rep. proscribendo.* Goett. 1744. S.

§. CCCXVI.

IVSIVRANDVM, quo veritas facti affirmatum, ASSERTORIVM (a); quo futurum aliquid contenditur, PROMISSORIVM (b) est. *Iusiurandum assertorium; promissorium.*

(a) Tale est testium, de veritate facti deponentium.

(b) V. g. Si quis iuramento promittit, se velle, quae debet, proximis nundinis soluere.

§. CCCXVII.

IVSIVRANDVM, in iudicio praestandum, IVDICIALE, et quidem, si ea intentione vtriusque litigantis praestetur, vt secundum id iudex pronunciet, LITIS DECISORIVM (a); id, si alteruter litigantium alteri defert (b), VOLVN- *Iusiurandum iudiciale; voluntarium; necessarium; litis decisorium.*

VOLVNTARIVM (c); ſi iudex imponit, NECESSARIVM (d) dicitur.

(a) Hoc genus duorum ſequentium conſtituo, alii aliter, quos vide apud B. Dn. HEINECCIVM *Elem. Digeſt. P. III §. 21. in not.* Equidem LAVTERBACHIVS *Comp. Dig. Tit. de Iurei. p. 175.* aliud iudiciale iusiurandum adfert, nempe id, quod iudex initio muneris praeſtat, ſed id iusiurandum iudicis dicendum potius foret.

(b) Quid ſit iusiurandum deferre et referre, exponam §. CCCXXVI.

(c) Inde autem voluntarium dicitur, quod eius, cui delatum iusiurandum eſt, arbitrio relictum ſit, an iurare, anne vero iusiurandum referre, aut probatione vti velit. *L. 34. §. 7. D. de iurei.* Datur et aliud voluntarium iuramentum, extraiudiciale ſc., quod tamen vel ideo rariſſimum eſt, quod nemo facile in conſcientia alterius omne ſuum ponat.

(d) Recuſari enim vel referri non poteſt, niſi quis cauſa cadere velit.

§. CCCXVIII.

Iusiurandum calumniae; malitiae.

IVSIVRANDVM, quo quis promittit, ſe litem dolo malo non protracturum eſſe, CALVMNIAE (a); quo quis promittit, ſe veritatem in caſu propoſito dicturum, MALITIAE, ſ. CALVMNIAE SPECIALE (b) dicitur.

(a) Litem vero dolo malo producere, calumniari dicitur (§. CLXXXVI.); inde iusiurandum calumniae.

(b) Hoc iusiurandum calumniae ſpeciale antiquiſſimum eſt, ita enim, qui nouum opus alteri nunciauerat, iurare debebat, ſe id non calumniae cauſa facere; *L. 5. §. 14. De de nou. op. nunc.* item, qui iusiurandum alteri detulerat, iurabat, ſe non calumnioſe id deferre. *L. 37. D. iurei.* Has vero ambages praecidens IVSTINIANVS in principio litis generatim de calumnia iurare litigantes voluit, atque ita hoc iusiurandum calumniae ſpeciale introduxit. *Nou. XXXXVIIII.* c. I. Idque vel hodie praeſtatur in iudiciis in hunc modum, vt iuret litigans,

litigans, 1) se credere, iustam se fouere causam, 2) interrogatum se nolle diffiteri, 3) se nihil dedisse, quo calumnia alteri fieret, 4) se probationibus non nisi legitimis vsurum, 5) se nec petiturum dilationes superfluas, nec 6) litem protracturum, et denique 7) si animaduerterit, se iniustam defendere causam, ei statim renunciaturum. Vid. C. der C. G. O. *P. I. Tit. 87. et R. I. de 1654. §. 43.* Quum vero hoc calumniae iuramentum a litigantibus interdum non exigatur, vel a iudice remittatur, interim tamen calumniae suspicio oriri possit, ius canonicum *c. 2. §. f. de iur. cal. in 6.* speciale iusiurandum calumniae introduxit, malitiaeque nomen ipsi tribuit. W. Conf. ROCHVS FRID. COM. LINARIAE *de iurisiurandi calumniae moralitate, historia, Principumque Imperii ab illo immunitate.* Ien. 1729.

§. CCCXVIIII.

IVSIVRANDVM, quo quis promittit, se velle ad propositas positiones secundum scientiam respondere, RESPONDENDORVM; quo vero ponens asserit positionum veritatem, DANDORVM dicitur (*).

Iusiurandum dandorum; respondendorum.

(*) Vtrumque iurisiurandi malitiae species est, iurat enim vterque, se non dolo dare, nec respondere. Formulas vid. C. der C. G. C. *P. I. T. 89. et 90.*

§. CCCXX.

IVSIVRANDVM, quo quis asserit, sibi sententiam, a qua prouocauit, iniustam videri, APPELLATIONIS (*) vocatur.

Iusiurandum appellationis.

(*) Hoc non nisi iusiurandum calumniae de non friuole appellando est. Formulam suppeditat C. der C. G. O. *P. III. Tit. 38. in f.* Ita et nec iusiurandum restitutionis, vel reuisionis, aliud est, quam iurisiurandi calumniae species.

§. CCCXXI.

IVSIVRANDVM, quo quis negat, se instrumenti editi notitiam habere, DIFFESSIONIS audit (*).

Iusiurandum diffessionis.

(*) Sc. si quis executiue ex chirographo agit, reus aut recognoscere manum, aut iureiurando diffiteri tenetur; item, si quis documenta iudicialiter in vim probationis producat, itidem opus est aut recognitione aut diffessione iurata.

§. CCCXXII.

Iusiurandum suppletorium; purgatorium.

IVSIVRANDVM, quod is, qui semiplene probauit, praestat, ad perficiendam probationem, SVPPLETORIVM (*); id vero, quod praestat indiciis grauatus, vt liberet se ab eis, PVRGATORIVM dicitur.

(*) *C. f. X. de iurei.* Supplet enim id, quod deerat probationi. Quid semiplene probare dicatur, infra expositum est. W. Origines eius vtrum ex iure Romano repetendae? disquirit indolemque ipsius ostendit Io. GOTTL. HEINECCIVS *de lubricitate iurisiurandi suppletorii.* Hal. 1730. S.

§. CCCXXIII.

Iusiurandum perhorrescentiae.

IVSIVRANDVM, quo litigantium aliquis adfirmat, se metuere, ne iudex contra ius pronunciet, PERHORRESCENTIAE (*) vocatur.

(*) Vid. supra §. CCXXXVI.

§. CCCXXIIII.

Iusiurandum solemne, s. corporale.

IVSIVRANDVM, adhibitis cerimoniis praestitum, SOLEMNE (a) dicitur, vel etiam CORPORALE (b).

(a) Ob solemnes, qui adhibentur, ritus, v. g. ianuae fenestraeque aperiuntur, accenduntur cerae, masculi digitos coelum versus tendunt, mulieres pectori eosdem imponunt, et quae sunt reliqua.

(b) Quoniam corporales res in signa adhibentur.

§. CCCXXV.

§. CCCXXV.

Commonitio de vitando periurio, iuncta iurisiurandi praestandi interpretatione, AVISATIO; IVSIVRANDVM, ad praecedentem auisationem praestitum, AVISATVM (*) audit.

Auisatio; Iusiurandum auisatum.

(*) Germ. ein gelehrter Eyd.

§. CCCXXVI.

IVSIVRANDVM recitare, est IVRARE; Petere, vt alter iuret, IVSIVRANDVM DEFERRE; Petere, vt, qui detulit iusiurandum, ipse illud praestet, IVSIVRANDVM REFERRE est.

Iurare; Iusiurandum deferre; referre.

§. CCCXXVII.

AESTIMARE est pretium rei determinare IVSIVRANDVM, quo res, in iudicium deducta, a petente aestimatur, IN LITEM (*) dicitur.

Lib. XII. T. 3.

Aestimare; Iusiurandum in litem.

(*) *Litis* vocabulum hic ipsam rem in controuersiam vocatam notat. Vid. VARRO *de Lat. lingu. Lib. VIIII.* PLAVTVS *Rudent. l. c* et *L. 8. §. . D de inoff. test.* Aestimare vero litem est determinare pretium rei in controuersiam deductae. CAIVS *L. fin. D. de cond. tritic.: Si merx aliqua, quae certo die dari debebat, petita sit, velut vinum, oleum, frumentum, tanti litem aestimandam* CASSIVS *ait, quanti fuisset eo die, quo dari debuit*, id vero, quum iurato fiat, magis videtur id iusiurandum aestimatorium dici posse.

§. CCCXXVIII.

Status animae, voluptatem ex re aliqua capiendi, AFFECTIO vocatur; Haec vel ex rationibus communibus, aut singularibus oritur et tum est vel COMMVNIS, vel SINGVLARIS. Aestimatio, quae rei tribuitur propter affectionem singularem, PRETIVM AFFECTIONIS dicitur (*).

Affectio; communis; singularis; Pretium affectionis.

(*) Possideo horologium in Anglia confectum, quod adeo exacte diei horis minutisque conuenit, vt nihil supra, aliter esse nequit, quam quod delectationem ex eo capiam, sicque affectionem aliquam erga id habeam. Ast ratio, quae me commouet, communis est, quilibet enim eius possessor, horologia saltim amans, delectationem ex hoc indiuiduo caperet. Ex opposito, quando Sempronius gladium, ita rubigine, quam Turcico sanguine ex expeditione cruciata rubentem, a maioribus, non interrupto ordine, seruatum, tanta affectione persequitur, vt omnia potius custodiendo huic impendat, affectionis plane singularis exemplum habes.

§. CCCXXVIIII.

Iusiurandum in litem veritatis; affectionis; singularis interesse.

IVSIVRANDVM, quo rei in controuersiam vocatae verum pretium determinatur, IN LITEM VERITATIS (a); quo rei, dolo amissae, singulare pretium secundum affectionem petentis determinatur, IN LITEM AFFECTIONIS (b); quo damnum emergens et lucrum cessans determinatur, SINGVLARIS INTERESSE (c) audit.

(a) De hoc PAVLVS *L. 2. §. 1. D. de in lit. iur.*: *Interdum, quod intersit agentis, solum aestimatur, veluti cum culpa non restituentis, vel non exhibentis punitur.* Hoc iusiurandum non agnoscit FABER *Lib XVI. coniect 1. 13.* proque eo substituit iusiurandum necessitatis, quod in stricti iuris iudiciis, vbi de aestimatione quaestio est, praestandum putat.

(b) Iurisiurandi in litem veritatis et affectionis distinctionem impugnat HVBER *Prael. ad Digest. p. 881.* Sed negandum non est, eam argumento *L. 8. D. h. t.* firmari.

(c) Et hoc iusiurandum impugnat BORCHOLT. *ad h. t. c. 1. n. 15.* PRVESCHENCK *D. de iuram. in litem*, non attendentes ad *L. 3. D. h. t.* W. Veritatem et indolem vtriusque iuramenti a dissensionibus DD. liberauit Io. VLR. DE CRAMER Diss. II. 1) *de iuramento in litem affectionis et veritatis.* Marp. 1736. 2) *de iuram. in litem singularis interesse.* ib. 1741. S.

§. CCCXXX.

§. CCCXXX.

IVSIVRANDVM, quo res vi ablata, vel damnum vi datum aestimatur, ZENONIANVM (*); quo vero damnum, vi ablatiua, vel expulsiua datum, determinatur in foris Saxonicis, MINORATIONIS audit. *Iusiurandum Zenonianum; minorationis.*

(*) Ab Imperatore ZENONE nomen accepit, a quo quippe introductum *in L. 9. C. vnd. vi.* W. C. H. HORN *de sacramento Zenoniano.* Vit. 1701.

§. CCCXXXI.

Actio, ex certo determinatoque negotio competens, formula agendi carens (a), CONDICTIO in specie (b) dicitur. Lib. XII. T. I. *Condictio.*

(a) Vel, si mauis, dicas speciali nomine destituta.

(b) In genere vero condictionum nomine veniunt omnes actiones personales; *§. 15. I. de Act.* sigillatim vero, quibus speciale nomen, specialisque formula data non est, vt, quae proprium peculiareque nomen non habent, in suo nomine generali subsistant. *L. 7. §. 1. D. de pact.* Neque has condictiones confundas cum actionibus in factum, quae non ex determinato negotio, sed ex aequitate naturali, iure praetorio confirmata, oriuntur.

§. CCXXXII.

CONDICTIO, qua id repetitur, quod in certum finem licitum (a), non sequutum (b), datum (c) fuit, CAVSA DATA, CAVSA NON SEQVVTA (d), dicitur. *Condictio causa data, causa non sequuta.*

(a) Si illicitus fuerit finis, v. g. vt calumniosa lis altera moueatur, condictio cessat; etenim in pari turpitudine melior est condictio possidentis. *L. 4. pr. §. 1. D. de cond. ob turp. caus.*

(b) Vel ob casum, et alter existat locupletior, *L. 5. pr. §. 3. D. cit.* vel ob culpam accipientis, *cit. L. 5. §. 4. D.*

 (c) Atque

(c) Atque ita contractum innominatum supponit, quo datum quid fuit, vt vicissim daretur, vel fiat. Repetitur autem res cum omnibus fructibus et accessionibus, *L. 7. §. 1. L. 12. D. cit. tit.* ne ex mora lucrum sentiat quis.

(d) Vel etiam condictio ob causam datorum, *rubr. tit. C. de cond. ob caus. dator.*

§. CCCXXXIII.

Iniustum; turpe; Condictio ob turpem et iniustam causam. Quicquid contra leges impingit, INIVSTVM (a), quicquid contra regulas decori, TVRPE (b) dicitur. CONDICTIO OB TVRPEM ET (c) INIVSTAM CAVSAM est actio qua id, quod datum erat, ex causa, ratione accipientis iniusta et (d) turpi, repetitur.

(a) Iniurias in aliquem, qui nos non laesit, euomere, alterius res contrectare, calumniosam alicui litem mouere etc. iniusta sunt, lex enim ea prohibet.

(b) Lupanar saltem intrare, consuetudinem habere cum infima plebe, ad indecora facta refertur. Turpe alias vocabulum varia denotat; partim enim id, quod infamiam irrogat, partim quod contra bonos mores est, innuit. Hic decorum turpia limitat, virorumque grauium exempla in censum veniunt. *Conf. praef.* NEPOTIS *de viris ill. Imperat.*

(c) Duplicem hic actionem fingunt, alteram ob turpem, ob iniustam causam alteram, idque potissimum ob *L. 6 et 7. D. de cond. ob turp. caus.* neque omnino ab hoc rubrum tituli abhorret. Verum, si rem paulo curatius perpenderis, condictio ob iniustam causam eadem erit, quae condictio sine causa.

(d) Solum enim iniustum factum non sufficit, sed idem simul esse debet turpe, id quod exempla pecuniae lusu perditae, nec tamen condicendae, declarat Perill. Dn. BOEHMERVS *Doctr. de Act. Sect. II. c. 5. §. 23. not. b.*

§. CCCXXXIIII.

Lib. XII. Tit. 6. Si praestatur, quod in obligatione non erat, INDEBITVM SOLVI dicitur. Id, quod solu-

tum, vel plane in obligatione non fuit, aut in obligatione infirmata; illud INDEBITVM VERVM (a), hoc SECVNDVM QVID vocitur. Obligatio aut est naturalis, infirmata a iure ciuili, et tum CIVILE (b); aut est ciuilis, naturali iuri non conueniens, et hoc casu NATVRALE INDEBITVM (c) id dicimus. *Indebitum solui; Indebitum verum; secundum quid.*

(a) Ad id refertur omne id, quod persona ad contrahendum inhabilis, vtpote furiosus, infans etc. praestant idque in specie *premutuum §. 1. I. quib. mod. re contr. obl.* dicitur; fingit enim TRIBONIANVS mutuo datum esse, quod solutum fuit non debitum, id quod ex §. seq. clarius patebit. Pertinet huc quoque debitum sub conditione, id enim, antequam impleta fuerit ea, plane non debetur etc.

(b) Tale est v. g. quod ex nudo pacto debetur, id enim, licet naturali iure nitatur, ciuili actione exigi nequit, it. si filiusfamilias, inscio patre contrahens, solutionem ab eo impetrauit. *L. 10. D. ad SCt. Maced.*

(c) V. g. Si quid metu solutum, nudo pacto remissum, aut iuratum, nihil deberi. Pertinent huc etiam omnes peremtoriae exceptiones, naturali aequitate nitentes, quae debito obstant. Vid. *L. 38. D. de cond. indeb.*

§. CCCXXXV.

INDEBITI SOLVTIO est quasi contractus (a), quo, soluto, quod natura (b) non debebatur, accipiens ad id restituendum obligatur. Actio personalis, qua indebitum naturale, facti errore (c) solutum, qui ex eo laesus est (d), ab accipiente repetit, CONDICTIO INDEBITI audit. *Indebiti solutio; Indebiti condictio.*

(a) Etenim IMPERATOR *in §. 6. I. de obl. quae quasi ex contr.* indebiti solutionem in numerum quasi contractuum refert, idemque ex *L. 32. D. de reb. cred.* apparet; obligatur enim accipiens ex praesumto consensu, nolle se alterius damno locupletiorem fieri, (§. CXL. et not. c.) atque ita, ac si mutuum accepisset. *§. 1. I. eit.*

 (b) Id

(b) Id saltem, quod ne naturali quidem iure debebatur, solui sibi qui passus est, obligatur ad id restituendum. Veluti si soluam, quod compensare poteram; si ex transactio super re iudicata soluerim etc. Hoc probat CELSVS *L. 47. D. de cond. indeb.* scribens: *Condici posse indebitum, si iure gentium inarbitum solutum sit.*

(c) Requiritur error facti; Caius soluit Meuio C, quae parentem mutuo accepisse, scripto documento demonstrat is; facta solutione Caius reperit Meuii apocham, qua idem ante decem annos solutum docetur. Error hic adfuit facti, neque enim erratum fuit circa mutuum contractum, eiusque obligationem, sed circa factum solutionis. E. condicetur indebitum solutum. Vid. *L. 6. C. de cond. indeb.* Si vero Titius ac Meuia pro Sempronio fideiusserint, Titiusque, nescius beneficii mulierum, soluerit totum, errauit in iure, E. non condicet. Vid. *L. 48. pr. §. 1. D. de fidei.*

(d) Non enim solum soluenti, veluti pupillo, tutore inscio, nummisque consumtis, *L. 29. D. de cond. indeb.* vel tutori, pupilli nomine soluenti, *L. 57. pr. D. eod.* datur, sed et ei, qui per solutionem indebiti laesus est. V. g. Aulus, XVIIII. annorum, hereditatem Lucilii, sibi testamento delatam, adiit, Tullioque ac Seio legata indebite soluit, intelligens vero damnosam sibi esse hereditatem, quam adierat, ad implorationem suam restituitur contra aditionem eius hereditatis, nunc Apronio conferendae, Apronius, non Aulus, indebite soluta legata condicet. Ita decisum in *L. 5. D. de cond. indeb.*

§. CCCXXXVI.

Lib. XII. T. 7. *Sine causa existere; Condictio sine causa.*

Res SINE CAVSA apud aliquem EXISTERE dicitur, quando id, ex quo concipitur acquisitam fuisse, iniustum, aut iustum quidem, sed post infirmatum fuit (a). Actio personalis, qua res, sine causa acquisita, consumta, vel ex iusta causa, sed infirmata, apud aliquem existens, vel ipsa, vel aestimatio eius (b) repetitur, CONDICTIO SINE CAVSA dicitur.

(a) Duplici itaque ratione res sine causa apud aliquem esse dicitur, condictionemque parit; etenim aut iniusta

iniusto titulo acquisita fuit, consumta tamen, vt vindicari nequeat, v. g. pupillus, auctoritate tutoris non requisita, mutuum dedit, id sine causa acceptum fuit, pupillus enim contrahere omnino nequit, adeoque nummi vindicabuntur. *§. 2. I. quib. al. lic. vel non. L. 1. §. f. D. de verb. cred.* Quidsi vero consumti fuerint bona fide? condicentur; aut ex iusta quidem causa translata, quae tamen postea infirmata fuit, v. g. commodauit mihi Seius equum, vt Francofurto Hanouiam proficiscerer; in itinere equus, rabie agitatus, in terram deiecto me, per spatiosos campos, per densissimas siluas vagatur; Redux ego factus Seio pretium equi eo libentius soluo, quo maior nos intercedit amicitia, Seius iusto titulo equi pretium solutum a me accepit, accepto vero eo, et equum suum recipit, et ad interpellationem meam pretium restituere recusat, id vero nunc iniuste possidet, vtrumque, et equum et pretium, tenens, condictioni itaque locus erit. Conf. *L. 1. 2. D. de cond. sin. caus.*

(b) Id non ita intelligendum erit, ac si alternatiuae petitioni in hac actione locus esset, sed duplex petitum duplicem supponit casum. Etenim, si res sine causa data, consumta tamen fuit bona fide, petitur aestimatio, si adsit, ex iusta, sed post infirmata causa tradita, ipsa res reddi petitur.

§. CCCXXXVII.

CONDICTIO FVRTIVA est actio personalis, qua res furto ablata cum omnibus fructibus (a), vel, si perierit, aestimatio eius (b), per dominum, vel bonae fidei possessorem (c) a fure, et eius heredibus (d) repetitur. L. XIII. T. I. *Condictio furtiua.*

(a) Perceptis et percipiendis; *L. 8. §. 2. D. de cond. fur.* fur enim semper in mala fide est. *L. 3. in f. L. 8. pr. §. 1. D. eod.*

(b) Et quidem, quanti res vnquam plurimi fuit, *L. 8. pr. §. 1. D. cit. tit.* V. g. Lucius, furandi habitu pollens, abegit equum meum sellarem, cuius aestimatio eo tempore 60. thaleros aequabat; abacto eo, bellum in Gallos paratur, pretiumque equorum augetur, ita, vt qui 60. thaleris venditus fuerit, nunc 120. vendatur; composito felici euentu bello, equorum pretium

retro abiit, ita, vt vix 40. thaleri nunc soluantur; hoc tempore equum a Lucio condico, eoque non amplius existente, 120. thaleros solui mihi postulo; hoc enim summum, quo veniit interea equus, pretium fuit, neque, vt tantum soluatur mihi, iniquum videtur, si enim equum meum vendidissem in militiam profecturo, tantum lucratus fuissem, id quod ab abigeo impeditum est.

(c) V. g. per creditorem, cui pignus surreptum; et haec vocatur condictio *incerti*, daturque ad interesse, vid. *L. 12. in f. D. de cond. furt.* Ea vero, quae domino furtiuae rei soli competit, *certi* dicitur, haecque subintelligitur in *L. 1. D. cit.*

(d) Et quidem in solidum. *L. 9. D. cit.* Non enim haec actio ex delicto oritur, sed ex lege. Vid. Perill. BOEHMER *Doctr. de Action. sect. II c. 5. §. 14.* W. Conf. omnino CHR. WILDVOGEL *de condictionis furtiuae natura et vsu hodierno*, Ien. 1714. S.

§. CCCXXXVIII.

L. XIII. T. 2. *Condictio ex lege.*

CONDICTIO EX LEGE est actio personalis, qua id, quod ex noua aliqua lege (a), ad determinatum alias negotium non referendum (b), debetur, praestari petitur (c). Si obligatio ex praeceptis iuris canonici oritur, CONDICTIO EX CANONE (d); si ex consuetudine, CONDICTIO EX MORIBVS (e) vocatur.

Noua lex.

(a) NOVAM LEGEM dicunt, quae post leges XII. Tabb. promulgata, argumento *L. 7. pr. D de cap. minut.* vsi. Accuratius dixeris, quae post instructam formularium iurisprudentiam lata. Etenim, si noua obligatio lege aliqua induceretur, formula agendi persequendique, quod exinde debebatur, suppetebat nulla, hinc extraordinaria condictione opus erat. Legis vox praetorium ius excludit. *L. 11. D. de praes. verb.*

(b) Si enim obligatio certum ac determinatum negotium respicit, ex quo agendi formula suppetit, ex ea potius agendum erit. Hac ratione emphyteusis, cambium, donatio propter nuptias, non condictione ex lege,

lege, sed actione ex iis contractibus petuntur. Inde est, quod addi soleat, lege noua cautum non esse debere, qua actione experiundum sit, seu, quod idem, determinatum negotium subesse non debere.

(c) V. g. donauit mihi Caius C neque tradidit eadem, immo traditionem de die in diem pr fert. Donatio pactum est, adeoque ex ea agendi formula nulla dabatur. Postquam vero Imperator IVSTINIANVS *L. 35. §. f. C. de don.* huic pacto vim singularem efficacemque obligationem attribuit, ad consequendam rem donatam agitur ex lege cit. 35.

(d) Ius canonicum, iuramento nonam obligationem, etiam actui alias nullo, conciliari posse, docet, *c. 2. de pact. in 6.* Ex actu itaque alias nullo, iuramento tamen firmato, agendum foret condictione ex canone.

(e) Et hae omnes actiones sunt, quae ex pacto oriuntur, quae iure Germanico obligationem non solum, sed et actionem producunt.

§. CCCXXXVIIII.

Actio arbitraria (a), qua res quaelibet, non quantitas (b), ob moram, vel casum non amplius praestanda, aut in subsidium eius aestimatio (c) petitur, CONDICTIO TRITICIARIA (d) dicitur. L. XIII. T. 3. *Condictio Triticiaria.*

(a) Actionem arbitrariam infra definiam §. DCCVI.

(b) Ita VLPIANVS *L. 1. pr. D. de cond. tritic.: Et generaliter dicendum est, res res per hanc actionem peti, si quae sint praeter pecuniam numeratam, siue in pondere, siue in mensura constent: siue mobiles sint, siue soli.*

(c) Non alternatiue. Formula enim huius actionis ad ipsam rem directa erat. *L. 1. et 2. D. de cond. tritic.* quando vero res praestari nequibat, aestimatio eius petenda, ex natura actionum arbitrariarum. Sed numne hoc actione, ex ipso contractu, ex quo res debetur, resultante, peti potest? In negotiis bonae fidei expedita haec res est, in his enim, si res praestari nequit, aestimatio in quaestionem venit, petenda actione ex contractu, id quod nos docet *L. 1. pr. L. 11. D. de act. emt. vend.*

vend. *L.* 1. §. 10. 47. *D. depos.* In negotiis vero stricti iuris non item, in quibus, quod non expressum erat, non debebatur, ideoque peculiari actione hac opus erat, postea ad alia negotia extensa. Vid. Perill. Dn. BOEHMERVS *Tr. de Act. Sect. II. c.* 5. §. 51.

(d) Nominis rationem praetermitto, nec studiose inquiro, vtrum a TRITICIO quodam Praetore, anne potius ex edicti verbis initialibus petita ea sit. Insignis vtilitas e decisione huius controuersiae non speranda.

§. CCCXL.

L. XIII. T. 4. *Actio de eo, quod certo loco etc.*

ACTIO arbitraria, qua id, quod ex contractu stricti iuris certo loco praestandum, nec solutum, cum omni eo, quod interest, petitur, DE EO, QVOD CERTO LOCO DARI OPORTET (*), dicitur.

(*) Promiserat solutionem pretii emtorum a CAIO equorum LVCIVS, interposita stipulatione, eamdemque Lipsiae nundinis vernalibus faciendam. Existente tempore, solutioni destinato, LVCIVS, non item CAIVS, Lipsiam venit, adeoque ille impensis, in iter factis, et spe adipiscendae solutionis cadit. Aequum omnino est, vt alio loco conueniatur CAIVS ad id, vt pretium emtionis soluat, damnumque datum resarciat.

§. CCCXLI.

L. XIII. T. 5. *Constitutum.*

CONSTITVTVM est pactum, quo quis id, quod ipse vel alius debet, se soluturum promittit (*).

(*) *Constituere* idem est ac firmare, stabilire. Constituens enim veterem obligationem firmat, et, vt nouas vires accipiat, efficit. *L.* 18. *D. de const. pec.* Sic, qui nudo pacto promiserat, naturaliter quidem, non vero ciuiliter obligabatur; si vero constitueret, naturalis obligatio vires accipiebat, ciuilique aequipollebat. §. 8. *I. de Act.* Differt autem constitutum a fideiussione Romanorum, quae interposita stipulatione fiebat; a nostra, quae principale debitum respicit, sed constitui etiam potest accessoria obligatio. *L.* 1. §. 5. *D. de const. pec.*

§. CCCXLII.

§. CCCXLII.

ACTIO DE CONSTITVTA PECVNIA est personalis, qua debitum ex constituto petitur (*). *Actio de constituta pecunia.*

(*) Vid. *§. 8. et 9. I. de Act.*

§. CCCXLIII.

Concessio vsus rei nostrae gratuita (a) ad vsum definitum (b) COMMODATVM vocatur. Qui rem vtendam tradit, COMMODANS; qui vtendam recipit, COMMODATARIVS dicitur. L. XIII. T. 6. *Commodatum; Commodans; Commodatarius.*

(a) Si pro vsu merces praestetur, locatio conductio erit.

(b) In hoc differt a precario, quod ad vsum indefinitum concedatur. *L. 1. D. de precar.* Ita v. g. commodantur gemmae ad exornandam sponsam in nuptialibus sacris. Aliam hic non respicio differentiam; res siue mobilis sit, siue immobilis, fungibilis, siue non fungibilis, perinde erit. Equidem LABEO in ea fuit opinione, vt putauerit rem mobilem commodari, immobilem concedi vtendam; VLPIANVS vero ac CASSIVS contrarium defenderunt. Dissidii huius caussa fuit, quod Praetor, in edicto de commodato, commodati, PACVVIVS vtendi fecerit mentionem. Sed superfluam omnem distinctionem esse docet *L. 1. §. 1. D. commod. L. 8. §. 5. L. 15. §. 2. D. de precar.* Eximi a commodato saltim res fungibiles ex *§. 2. I. quib. mod. re etc.* et *L. 1. §. 6. D. h.* argumentaberis; Sed memineris et nummos vel ad ostentationem commodari posse.

§. CCCXLIIII.

ACTIO COMMODATI DIRECTA est personalis, qua commodans, aut eius heredes, rem commodatam a commodatario, vel eius heredibus, repetunt (a). ACTIO COMMODATI CONTRARIA est personalis, qua commodatarius, eiusue heredes, indemnitatem *Actio commodati.*

tem (b) intuitu rei commodatae a commodante, vel eius heredibus, praestari postulant.

(a) *§. 2. I. quib. mod. re contr. oblig.*

(b) Multis modis contingere potest, vt commodatario damnum adferatur per commodatam rem. V. g. commodauit mihi equum muco infectum Titius, ad hoc, vt Francofurtanis nundinis intersim. Nescius ego conditionis ac morbi commodati equi, in stabulum deferri patior eundem, atque eo ipso efficio, vt omnes in hoc equili detenti equi contagii aliquid contrahant. In ius vocor, dicta causa ad damnum resarciendum condemnatio fit. Soluo, soluti pretii quantitatem a Titio repetiturus. Vid. *L. 18. §. 3. L. pen. D. commod.* It. commodauit mihi Caius rhedam suam biiugem, vt Coloniam profecturus ea vterer. Hora itineris instat, quum Caius commodatam rhedam biiugem repetit, proprio vsui adhibendam; Damnum hoc ipso mihi infertur, dum cursu extraordinario, satis magnis impensis, opus nunc sit, si negotiis meis, dilationem non recipientibus, defungi velim. Impensas restituet Caius actione commodati contraria conuentus, vid. *L. 17. §. 3. D. commod.*

§. CCCXLV.

Diligentia; Dolus; Culpa; lata, leuis, leuissima; Culpam praestare.

Vsum virium nostrarum aliarumque rerum, ad finem propositum sufficientium, DILIGENTIAM; non vsum vero virium nostrarum, fini inseruientium, deliberatum, DOLVM; indeliberatum, CVLPAM; non vsum memoriae ac imaginationis LATAM CVLPAM; non vsum intellectus ac rationis LEVEM CVLPAM; non vsum ingenii ac acuminis LEVISSIMAM CVLPAM dicimus. PRAESTARE vero CVLPAM est damnum culpa datum compensare (*).

(*) Haec luce aliqua indigere videbuntur. Animae nostrae vnica vis, multifariam determinata, quamplurimos admittit gradus. Is aut inferior, superior, aut supremus est. Istum cum brutis habemus communem, aut saltim ad ea proxime illo accedimus; expectationem

nem casuum similium, imaginationem atque memoriam intelligo. Illo a brutis in totum differt homo, et absoluitur intellectu atque ratione. Hoc hominum indiuidua inter se differunt, ingenio sc. ac acumine. Quicunque igitur ingenii ac acuminis specimina in actionibus suis conspicienda praebet, *maxime diligens*, qui non, *minimum culposus* dicitur; inde etiam segnities, negligentia, desidia etc. dicitur *L. 25. D. pro soc. L. 5. C. de poen.* Qui ratione praelucente agit, licet ingenium atque acumen in actionibus suis non conspiciatur, *minus diligens*, qui non, *magis culposus* audit; qui ne ratione quidem vtitur, aut, brutorum instar, ne quidem similes casus attendit, *minimum diligens* et *maxime culposus* vocatur. Constabit huius rei veritas ex eo, quod quilibet animae suae vires, quantum possibile est, augere teneatur. Romani priorem speciem *leuissimam*, alteram *leuem*, posteriorem *latam culpam* dixere. Videamus harum omnium exempla, vt veritas dictorum inde eluceat. *L. 25. §. 7. D loc.* sistitur casus leuissimae culpae, in eo se exserentis, quod columna in alium locum transferenda, cuidam locata, fracta fuit iniuria ministerium operamque praebentium. Adhibuit diligentiam simul et commisit culpam conductor. Is enim, cui soli vires deficiebant, quae ad transferendam columnam requirebantur, alios, et quidem tot, quot operi huic sufficere iudicauerat, socios acciuit; E. rationis edidit specimen. Verum neque ad vnguem vniuscuiusque vires explorauit, nec in eas sedolo inquisiuit, nec easdem ad onus ferendum comparauit, iustam proportionis rationem ineundo, possibilem itaque nexum non attendit, E. nec ingenio fuit vsus ac acumine, proindeque leuissimae culpae fuit arguendus. Et nunc leuis culpae exemplum: Tectorum strator, tecto insidens, tegulamque in plateam, in qua hominum commercium infrequens, non tamen omnino nullum esse compertum habet, deiiciens, atque homini praetereunti vulnus infligens, leuem culpam committit, *L 31. D. ad L. Aquil.* Ratione vsus non fuit is, nec introspexit nexum actionis suae cum circumstantiis, quae erant praesentes. Sequitur latae culpae specimen: Titius in custodienda pecunia apud se deposita adeo negligens est, vt claues, cistae, in qua depositi seruantur nummi, reserandae aptatas, in omnium

omnium conspectu, loco hominibus affluenti deponat, et subsequatur furtum, latae culpae reus erit; similium casuum expectatione ac memoria fuit destitutus. Facessere hinc iussi peruulgatum simile a patrefamilias desumtum, quum nec gradus diligentiae huius aliter, quam ex tradito principio sint determinandi. Dolum, defectum a rectitudine actionis, quoad facultatem appetitiuam superiorem, Perill. WOLFIVS dicit, sed hoc verbum non capiunt omnes. Facultas appetitiua superior *voluntas* est; quoties E. defectus a rectitudine, i. iustitia actionis ratio in voluntate agentis est, toties is actionem, quam perpetrat, malam esse scit, nihilominus tamen eam ad finem suum scienter adhibet. Referas huc caedem destinato consilio factam, circumuentionem in contractibus praemeditatam. Idem est non vsus virium deliberatus; Dolose enim agens, rationem praelucentem sequi non vult. W. Difficilem hunc et controuersum de culpa locum philosophico ingenio dignaque luce collustrauit FRID. ES. DE PVFFENDORF in comment. *de culpa.* Lemgou. 1740. S.

§. CCCXLVI.

Casus; Vis maior.

Quicquid in suscipiendo negotio extra nexum probabilem est, CASVS (a); Casus, nullo hominis studio auertendus, VIS MAIOR (b) dicitur.

(a) Titius, mandatum Caii exsequuturus, tempore locoque alias securo in latrones incidit; Meuii aedes a Sempronio conductae, fulmine tactae, in fauillas rediguntur; casus sunt, quos prouidere nemo poterat; E. extra nexum probabilem erant, h. e. probabile non erat, hoc futurum. Casui vtplurimum epitheton fortuiti additur, eo, quod fortuito accidat, vid. FESTVS *de Verbor. signif. h. v.* Probe hoc perspexit VLPIANVS *L. 2. D. de administr. rer. ad ciu. pertin.* casum fortuitum vocans, *quem nullum consilium humanum praeuidere potest.* Exempla plura in *L. 18. D. commod. L. 24. D. de D. R. I.* allegantur.

(b) CAIVS *in L. 25. §. 5. D. loc.* scribit: *Vis maior, quam Graeci Θεοῦ βίαν appellant,* i. e. ea, quae consilio humano neque prouideri, neque vitari potest. Huc pertinent insolitus calor, inopinatum frigus, tempestas, cet.

§. CCCXLVII.

§. CCCXLVII.

Res, creditori, in securitatem crediti, a debitore obligata, PIGNVS (a) dicitur. ACTIO PIGNORATITIA DIRECTA est personalis, qua is, qui pignus obligauit, vel eius heredes, obligationem solui intendunt (b); CONTRARIA, qua indemnitas (c) intuitu pignoris petitur. L. XIII. T. 7. *Pignus; Actio pignoratitia.*

(a) Haec pignoris definitio latius infra (§. CCCCVIII.) explicabitur.

(b) Vid. *§. 2. I. quib. mod. re contr. obl.* W. Indolem eius eleganter expressit Io. CASP. HEIMBVRG *de praescriptione actionis pigneraticiae directae.* Ien. 1756.

(c) V. g. Lucius Caio ignoranti pignoris nexu obligauit Meuii vasa argentea, ab eo postea vindicata; damnum datum est Caio a Lucio resarciendum. Sempronius Iauoleno cuprea vasa argento obducta, nescius tamen, pignori dedit; iamque de materia et de ignorantia Sempronii constat; actioni pignoratitiae contrariae locus est.

§. CCCXLVIII.

ACTIO HYPOTHECARIA est realis, qua creditor possessionem pignoris a quocunque detentore postulat (*). *Actio hypothecaria.*

(*) *§. 7. I. de Act.* Ponas creditorem, cui obligatum erat pignus, eius possessionem amittere, tertiumque eam arripere; ius agendi illi erga hunc est. Pignus tribuit ius in re, hoc actionem realem producit, quae dicitur hypothecaria. Est haec actio hypothecaria vel SERVIANA, quae datur locatori praedii, ad persequendas res coloni, pignoris iure sibi obligatas; vel QVASI SERVIANA, omnibus creditoribus hypothecariis accommodanda. *cit. §. 7. I. de Act.*

§. CCCXLVIIII.

EXERCITOR dicitur, qui reditus nauis percipit (a); cuius curae nauis commissa, MAGISTER NAVIS (b) vocatur. L. XIIII. T. 1. *Exercitor; Magister nauis.*

(a) *Exercitor* generali significatu quemlibet, qui lucrum percipit, significat. Ita exercitorum argentariae mensae *L. 4. D. de edend.* mentio fit, et exercere idem quod acquirere est TERENTIO *Heaut. Act. I. Sc. I. v. 90. sq.*

- - - - - - qui opere rustico

Faciundo facile victum EXERCERENT *suum.*

Hic exercitor dicitur, qui reditus ex naui percipit. IMP. *§. 1. I. quod cum eo, qui etc.* hunc in modum differit: *Exercitor is appellatur, ad quem quotidianus nauis quaestus pertinet.* Germ. dicitur: Rheder.

(b) Vid. *L. 1. D. de exerc. act.*

§. CCCL.

Exercitoria actio. EXERCITORIA ACTIO est personalis, qua ii, qui cum magistro nauis in utilitatem exercitoris contraxere, contractum ab hoc (a) impleri desiderant (b).

(a) Actio ex contractu datur aduersus contrahentem, non tertium. Sed haec datur aduersus exercitorem, qui non contraxit, neque contrahere expressis verbis iussit. Hoc singulare, et idipsum est, quod ICti *nouam qualitatem* dicunt, qua aucta sit haec, cum similibus actionibus. *Noua qualitate auctum.*

(b) Fingas nauim, quae signo trium coronarum ab aliis dignoscitur, Gothoburgo abientem, ad portum Liburnum iter suum dirigere. Sit huius nauis exercitor Iauolenus, magister Mucius; Cogites nunc, freto Herculeo superato, a piratis Algeriensibus eam infestari, globulisque perforatam ac misere dilaceratam ad portum Malagensem appellere, Superbum Mucio credere pecuniam reficiendae naui sufficientem. Actio illi h. e. competet exercitoria aduersus Iauolenum.

§. CCCLI.

L. XIIII. T. 2. *Haueria; communis; grossa.* Pactum praesumtum (a), de praestanda indemnitate, ei, cui damnum contigit ob communem salutem nauigantium, HAVERIA (b); si damnum alicui contingit ob salutem nauis quamcunque, COMMVNIS (c); sin ob mercium iactum, GROSSA (d) vocari consueuit.

(a) Prae-

(a) Praesumitur namque consensus ex regula iuris naturae: Neminem cum alterius damno locupletiorem fieri debere.

(b) *Hauariam* a voce Germanica Haven deducunt, atque huius rei rationem inde repetunt, quod contributio facienda post reditum nauis, seu postquam portum ingressa nauis, nachdem das Schiff in den Haven eingelauffen. WEIT *in Tr. de Auaria*, deriuat eam a Graeca voce ἄβαρος, compositam ex particula ἀ, absque, et βάρος, quod onus significat. Sed contorte admodum. W. Diuersas hauariae species optime recenset IVST. WEDDERKOPF in *introduct. in ius naut. IV. 1. p. 113. sqq.* S.

(c) Quae etiam minor dicitur, si contributionis et lucri proportio est eadem, nec maior, vt 1. ad 100. Huc pertinet id, quod soluitur iis, qui nauem in portum ducunt, aut viam monstrant, ne in syrtes impingat, denen Piloten, Lootzen.

(d) Haec enim maioris momenti est, dum saepe ingens mercium vis abiicienda.

§. CCCLII.

INSTITOR est procurator (a), ad negotiandum datus (b). L. XIIII. T. 3. *Institor.*

(a) Hoc iis displicet, quibus IMP. in *L. 5. §. 10. D. de inst. act.* contrarium docere videtur. Distinguit ille *quasi-procuratorem* a *quasi-institore*; et optime. Oportet enim speciem distinguere a genere. Procurator namque vt quaeuis mandantis negotia exsequitur, ita institor negotiatione tantum commodum mandantis quaerit. In *c. L. 5.* fullo non quasi institorem, sed quasi procuratorem, i. e. mandato praesumto reliquerat, quippe qui non emeret aut venderet, sed tironibus inuigilaret. W. Conf. VLR. AB EYBEN *de constitutione et iuribus factorum s. institorum.* Marp. 1684. S.

(b) Institoris ideo notio generalis est, omneque negotiationis genus respicit. *L. 3. D. de inst. act.* Vid. HVBER. *Prael. ad Digest. p. 921.* sic calendario praepositus institor vocatur *L. 5. §. 1. D. de inst. act. L. 37. D. de administr. tutel.* Nomen suum institor sortitus est a verbo

instare, ἐφίςαϑαι, vrgere negotium. Vnde *instare mercaturam* NONIVS *in Atellan.*

Instas mercaturam. Spero rem faciet: frugi est homo.

§. CCCLIII.

Actio institoria. ACTIO perſonalis, qua is, qui cum inſtitore contraxit, contractum a mandante impleri contendit, INSTITORIA (*) vocatur.

(*) *§. 2. I. quod cum eo, qui in al.* Qui E. merces inſtitori credidit, aut pecuniam, inſtitoria actione vtitur aduerſus dominum.

§. CCCLIIII.

L.XIIII. T. 4. *Actio tributoria.* ACTIO perſonalis, qua creditores filiifamilias, aut ſerui, agunt contra patremfamilias, aut dominum, negotiationem iis permittentem, inique diſtribuentem, ad emendandam laeſionem, TRIBVTORIA dicebatur (*).

(*) Vid. *§. 3. I. quod cum eo. L. 1. et pen. D. trib. act.*

§. CCCLV.

Lib. XV. T. 1. *Peculium.* Bona, de quibus diſponendi ius homini alieni iuris competit, PECVLIVM (*) dicuntur.

(*) *Peculium* dictum a pecudibus, in quibus quippe veterum patrimonium conſiſtebat. ISIDORVS *Etymol. Lib. XV. c. 27.* Latiam vocis peculii originem in dubium vocauit, eamdemque a Gallis repetiit D. GODOFREDVS *in not. ad L. 9. §. 5. D. de iur dot.* VLPIANI auctoritate niſus, ſcribentis: *Ceterum, ſi res dentur in ea, quas Graeci παράφερνα,* GALLI PECVLIVM *appellant.* Sed Latio, quaſi poſtliminio, reſtituit eamdem MENAGIVS *Amoenit. iur. ciu. c. 3.*

Sed pecuniae nomen deriuatum a pecudibus fuiſſe conſtat. Inde VLPIANVS *in L. 5. 4. 3. D. de pecul.* peculium *pecuniam*, et quum eadem, intuitu patrimonii paterni, vel dominici, non ſatis ingens ſit, *puſillam* dixit. W. Vniuerſam de iure peculii materiam optime explicuerunt I. T. CARRACH in *diff. iur. Rom. et Germ.*

Germ. in peculio, et in primis filiorumfamilias; et CHR. LVD. CRELL *de peculio personarum sui iuris*. S.

§. CCCLVI.

Bona, in quae homini alieni iuris ius disponendi competit, ideo, quod intuitu militiae acquisiuerit, PECVLIVM MILITARE (a) s. CASTRENSE; si studiis liberalioribus, aut eorum intuitu acquisiuit, QVASI CASTRENSE PECVLIVM (b) audit. *Peculium castrense; quasi castrense.*

(a) Non solum ea, quae praedae filiofamilias cessere, sed et quae ipsi, in militiam se conferenti, apparatus instar, concessa sunt, vestimenta militaria, equus bellator, arma, rel. modo militiae se addixerit postea, huc pertinent. Memini casum, quo pater filio insignem concesserat apparatum, pecuniaeque non contemnendam vim, vt castra Imperatoris aduersus Turcas sequeretur propriis sumtibus; Nondum limina patriae suae egressus erat, quum Bacchus ac Venus eum irent depraedatum; reuersus domum, nouos recipit apparatus, iterumque abiit, neque tamen feliciori euentu. Ad Hungariae quidem fines appropinquauit, verum omnibus vlterius excurrendi mediis orbatus. Abdicata militari veste, agriculturae se addixit demum. Mortuo patre, collationem postularunt fratres; excepit, peculium castrense concessum sibi esse, noster: At reiecta exceptione, collatio iniuncta ipsi fuit sententia Halensium ICtorum.

(b) Particula *quasi* similitudinem notat. Vid. V. C. DIETERICI, ICti, amici optimi, *Diss. de quasi notione iuridica*. Et quasi castrense peculium dictum, quod ad similitudinem castrensis peculii introductum esset. *§. vlt. I. de test. mil.* Vita Romanorum olim tota fuit militaris, omnesque ciues Romani militiae studere debebant, donec eloquentiae studium, dein artes ingenuae reliquae, inualuere. Iam domi esse opus erat, qui his studiis incumberent, atque sic a subeundo militari onere immunes erant; hinc quasi militare dicebantur: IMPP. in *L. 14. de aduoc. diuers. iudic.* : *Nec enim solos nostro imperio militare credimus illos, qui gladiis, thoracibus ac clypeis*

 nituntur,

nitantur, sed etiam aduocatos. Militant namque causarum patroni, qui gloriosae vocis confisi munimine laborantium spem, vitam et posteros defendunt.

§. CCCLVII.

Peculium paganum; profectitium; aduentitium, ordinarium, extraordinarium.

PECVLIVM extra militiam acquisitum PAGANVM (a); si pater aut dominus rationem iuris disponendi, quod filiusfam aut seruus habet, continet, PROFECTITIVM (b); si extraneus, ADVENTITIVM, idque ORDINARIVM (c), si et pater iure aliquo in illud gaudet; sin nullo, EXTRAORDINARIVM (d) dicitur.

(a) *Paganus* opponitur militi, *L. 50. D. loc. L. f. D. ad L. Falc.* et egregie TACITVS *Hist. Lib. III. c. 24. n. 4. Vos, nisi vinceritis,* PAGANI *estis.* Omnes namque ciues Romani, vti dixi, militiae studere, eamdemque, si opus, sequi debebant, relictis domi, qui ius colerent. Inde ortam denominationem putauerim. Vid. VIGLIVS *ad T. Inst. de test. milit.*

(b) In peculio profectitio, quod aut pater filiofam. concessit, aut is ob parentis v. g. benemerita acquisiuit, huic dominium et vsusfructus competit, *arg. L. 4. pr. §. 2. L. 8. D de pecul.* Memini filiofamilias cuidam ab Imperante concessam praebendam in Capitulo aliquo celebri, idque ob parentis benemerita, et memini simul, ICtos Halenses parenti ius percipiendi reditus ex praebenda ista addixisse. Parentes mercaturam facientes filiis concedere solebant merces vendendas, eo ipso autem peculium ipsis constituebant, sed plerumque pluris vendebant, quanti a patre essent aestimatae eaedem, atque sic lucrum faciebant insigne. Detegit hanc fraudem ipse CHARINVS filiusfam. apud PLAVTVM *Mercat. Act. I. Sc. I. v. 90. sq.*

Lucrum ingens facio, praeterquam mihi meus pater
Dedit aestimatas merces, ita PECVLIVM
Confecio grande.

(c) Ad hoc referas bona materna, *L. 1. 2. C. de bon. mat. etc.* In his filiusfam. dominium, paterfam. vsumfructum habet. *§. 1. I. per quas person. etc.*

(d) V. g.

(d) V. g. donata a Principe, *L. 7. C. de bon. quae lib.* aut ea, quae ex hereditate fratris filiofamilias, cum patre concurrenti, cessere. *Nou. CXVIII. c. 2.* Huius plenaria atque omnimoda administratio filio competit, vid. *Nou. CXVII. c. 1.*

§. CCCLVIII.

ACTIO personalis, qua contrahens cum filiofamilias, aut seruo, de peculio profectitio (a), ex eo implementum contractus praestari a patre vel domino (b) poscit, DE PECVLIO dicitur. *Actio de peculio.*

(a) De peculio alio si contraxit filiusfamilias, actione directa conueniendus erit, de eo enim disponendi libera facultate est instructus.

(b) Ipse alienae potestati subiectus conueniri nequit, quippe qui personam standi in iudicio non habet.

§. CCCLVIIII.

IN REM alicuius VERSVM dicitur, quicquid perfectionis eius causa impensum est (*). Lib. XV. T. 3. *In rem versum.*

(*) Titius a Caio mutuo sumit C. vt reficiat Meuii aedes, quodsi refecerit, in rem Meuii versa sunt C. a Caio mutuo sumta.

§. CCCLX.

ACTIO personalis, qua contrahens cum filiofamilias vel seruo (*), in vtilitatem patris vel domini, ab his implementum contractus poscit, DE IN REM VERSO dicitur. *Actio de in rem verso.*

(*) Filiusfam. ac seruus conueniri non possunt; hinc est, quod Praetor nouam hanc qualitatem addiderit huic actioni.

§. CCCLXI.

IVSSVS est mandatum, personae alieni iuris praescriptum, ab eo, in cuius potestate est. ACTIO vero, qua creditor contractum, a per- Lib. XV. T. 4. *Iussus, Actio quod iussu.*

ſona alieni iuris celebratum, iuſſu eius, in cuius poteſtate eſt, ab eodem impleri deſiderat, QVOD IVSSV dicitur (*).

(*) *§. 1, I. quod cum eo, qui in al. pot.*

§. CCCLXII.

L. XVI. T. 1. *Intercedere.*

INTERCEDERE dicitur, qui alienam (a) obligationem, vel in totum (b), vel pro parte (c), recipit.

(a) Qualis ſit, parum refert, realis, an literalis, aut verbalis, vid. *L. 2. §. 4. D. ad SCt. Velles.* Conf. *L. 8. §. 1 D. et L. 18. C. eod.* CICERO *Epiſt. 14. Lib I. ad Atticum: Accerſiuit ad ſe, promiſit*, INTERCESSIT, *dedi.* ID. *Philippic. II. Orabat, vt te contra ſuum patrem, ſi ſeſtertiûm ſexageſies peteret, defenderem, tantum enim pro te* INTERCESSISSE *dicebat.*

(b) Per expromiſſionem ſc., v. g. nouationem, *L. 8. §. 8. D. ad SCt. Velles.*

(c) Per fideiuſſionem ad certam quantitatem. W. Varias interceſſionum ſpecies hac tabella facili negotio repraeſentatas dabimus. Eſt ergo *Interceſſio* actus, quo quis ſuſcipit *obligationem* alienam

- vel contrahendam
  - *Mandatum qualificatum.*
- vel iam contractam
  - vel principaliter, vt prior debitor ex nexu dimittatur
    - *Expromiſſio.*
  - vel minus principaliter, vt ſcil. prior debitor adhuc obligetur; quod fit
    - vel verbis ſollemnibus
      - *Fideiuſſio.*
    - vel minus ſollemnibus
      - *Conſtitutum.* S.

§. CCCLXIII.

§. CCCLXIII.

Notitiam iuris cuiusdam alicui facere CERTIORARE (*) dicunt. *Certiorare.*

(*) Haec vox, quam vix apud probatos auctores inuenies, ad eas pertinet, quae ius ciuitatis Latinae ICtis debent. Idem notat, quod alias manifestum reddere, indicare, certiorem reddere aliquem, vid. VLPIANVM *in L. 29. pr. D. mand. L. 1. in f. D. de act. emt. vend. L. 21. §. 1. qui test. fac. poss. L. 1. §. 33. D. dep.*

§. CCCLXIIII.

COMPENSATIO (a) est liberatio a debito, per collationem huius, ad creditum factam (b). L. XVI. T. 2. *Compensatio.*

(a) Omne pretium, omnisque quantitas quum apud Romanos olim ad pondus reuocaretur, vid. VARRO *Lib. IIII.* inde orti sunt termini expensilationis et compensationis, s. pensationis, *L. 7. §. 1. D. de compens.* etc.

(b) MODESTINVS in *L. 1. D. de compens.* COMPENSATIONEM *debiti ac crediti inter se contributionem* vocat, id quod valde displicet HOTOMANNO *Comment. verb. iur.* TREVTLERO *Vol. I. Disp. 25. th. 5.* SCHILTERO *Exerc. ad Dig. XVIII. §. 16.* idque propter tropicam *contributionis* loquutionem. Sed effectum magis, quam ipsam rem ob oculos habuisse videtur ICtus. Exemplum habebis: Caius Titio M. thaleros mutuo dedit; acceptis igitur nummis, Titius Caio debet M. Posthaec Caius testamento Lucii heres scribitur, Titioque legatum M. thalerorum relinquitur eodem; iam Caius Titio ex testamento debet M. Debitum Caii aequale est debito Titii, et creditum huius istius credito, E. vtriusque fit liberatio, mutua collatione, h. e. compensatur debitum vtriusque. Breuius alii compensationem solutionem breui manu factam, sed metaphora adhibita dicunt.

§. CCCLXV.

Denegata debiti, ob creditum, restitutio, RETENTIO audit (*). *Retentio.*

(*) Sempronius ad bibliopegum libros defert, ab ipso compingendos; compactis istis solutionem differre

 conatur,

conatur, quo ipso, si bibliopegus Sempronio libros compactos reddere detrectat, eos *retinere* dicitur. Bibulus Nathani, circumcisae gentis egregio indiuiduo, vestes suas festiuales pignoris nexu obligat, acceptis ab eo mutuo XX. thaleris. Post aliquod tempus aliud mutuum X. thalerorum, credente eodem, contrahit, pignore nullo constituto. Accepto annuo, Nathani XX. soluit, pignusque reddi sibi vult; recusat iste, donec et soluta fuerint X. Retentionis ius exercuit Nathan. Haud raro retentio compensationem significat. *L. 4. L. 20. D. de compens. L. 30. D. de emt. vend.*

§. CCCLXVI.

L. XVI. T. 3. *Depositum; Deponens; Depositarius.*

Res mobilis (a), alteri gratis (b) custodienda data DEPOSITVM (c) dicitur. Tradens, DEPONENS: recipiens, DEPOSITARIVS audit.

(a) Quodsi res immobilis custodienda committitur, mandatum est. *L. 1. §. 1. D. de praesc. verb.* coll. *L. 3. in f. D. de acqu. vel amitt. poss. L. 11. D. de peric. ac commod. rei vendit* Conuenit cum verbo deponere quidem vocabulum commendare, *L. 14. D. depos. L. 186. D. de V. S.* immobilibus tamen magis applicatum; commendatur potius cura. GVNDLINGIVS *in via ad verit. P. III. c. 14. §. 32.* distinguit inter verbum et rem, illud immobilibus non conuenire, hanc maxime, tradens.

(b) Quodsi quid pro custodia praestetur, locatio conductio erit, aut contractus innominatus.

(c) VLPIANVS depositum deducit a particula *de* et *ponere*; illa significatum auget, vt amo, deamo, propero, depropero, vid. MENAGIVS *Amoen. iur. ciu. p. 277.*

§. CCCLXVII.

Depositum miserabile.

Res, ob metum amissionis (*) alicui gratis custodienda commissa, DEPOSITVM MISERABILE vocatur.

(*) V. g. incendio flagrante vrbe; belli furore per prouinciam grassante, etc. vid. *L. 1. §. 1. 2. et 3. D. depositi.*

§. CCCLXVIII.

§. CCCLXVIII.

DEPOSITVM, in mutuum mutatum, IRREGVLARE (*) dicitur. *Depositum irregulare.*

(*) Sed praeter necessitatem haec noua fingitur depositi species. Sempronius apud Meuium deponit pecuniam non obsignatam, atque sic rem fungibilem; hanc in vsus suos conuertit Meuius, E. in genere nunc restituenda pecunia erit. Sed hoc dicebatur mutuum. E. depositum irregulare mutuum est. Conf. *L. 24. 25. et 26. D. depos. L. 24. D. loc.* W. De eius natura, et vtrum depositi indolem seruet? certatum est a DAN. NETTELBLADT *de deposito irregulari.* Hal. 1750. et IO. LVD. IVL. DEDEKIND *de contractu, quem irregulare depositum perhibuerunt, qui vero non est depositum, vel in alium contractum degenerat.* Guelph. 1753. Victoria tamen, sin a verborum tricis discesseris, penes NETTELBLADTIVM stetisse videtur. S.

§. CCCLXVIIII.

ACTIO personalis, qua deponens depositum a depositario restituendum postulat, DEPOSITI DIRECTA (a); qua vero depositarius indemnitatem intuitu depositi praestari desiderat, DEPOSITI CONTRARIA (b) dicitur. *Actio depositi.*

(a) Vid. *§. 3. I. quib. mod. re contr. oblig.*

(b) *L. 5. pr. D. depos.*

§. CCCLXX.

Res litigiosa, deposita apud tertium, SEQVESTRVM (a); tertius ille, apud quem deposita est, SEQVESTER; si res consentiente vtraque parte tertio committitur custodienda, SEQVESTRVM VOLVNTARIVM; sin auctoritate iudicis, NECESSARIVM, f. IVDICIALE (b) vocatur. *Sequestrum; voluntarium; necessarium; Sequester.*

(a) MODESTINO *L. 110. D. de V. S.* SEQVESTER dicitur, *apud quem plures eamdem rem, de qua controuersia est,*

est, deposuerunt. Sequestrum ab eo, quod, qui deponunt rem litigiosam, eius, apud quem deposita est, *fidem sequantur*, dictum putarunt GELLIVS *Noct. Attic. Lib. II. c.* 20. et ISIDORVS *Etym. L.* 10. *h. v.* MENAGIVS *Amoenit. iur. ciu. p. m.* 147. *sq.* sequutus MODESTINVM *l. c.* ab eo, quod occurrenti, vel sequenti quasi eos, qui contendunt, committatur; CVRTIVS Ἱκασῶν apud Celeb. OTTONEM *Thes. iur.* ab eo, quod quasi *secet* medius. Eligas, cui dicas: Tu mihi sola places.

(b) V. g. Caius a Titio vindicat horologium aureum portatile, hoc cauere recusante, res vindicanda sequestro datur. *L. 7. §. 2. D. qui satisd. cog.*

§. CCCLXXI.

Actio sequestraria. ACTIO personalis, qua victor rem depositam a sequestro tradi sibi postulat, SEQVESTRARIA DIRECTA (*); qua sequester indemnem se seruari contendit, CONTRARIA (*) dicitur.

(*) Vid. *L. 5. §. 1. L. 12. §. 2. D. depos.*

§. CCCLXXII.

L. XVII. T. I. *Mandatum; Mandans; Mandatarius.*

Pactum, de negotio aliquo alieno nomine perficiendo, MANDATVM (*); qui perficit, MANDATARIVS, cuius nomine perficitur, MANDANS vocatur.

(*) *Mandare* licet haud raro imperatiuum significatum habeat, hic tamen precarium obtinet, vt apud VIRGILIVM *Aeneid. Lib. VI. v.* 116.

Idem orans MANDATA *dabat.*

Amicorum enim est mandare et mandata exsequi; Hinc mandatum dictum ab eo volunt, quod veteres, mandata dantes, recipientesque, manus inuicem, idque in signum fidelitatis, dare consueuerint. Vid. ISIDORVS *Orig. Lib. IIII. c.* 4. Nescio, anne huic opinioni roboris aliquid accedat ex eo, quod Graeci mandare vocauerint ἐγχειρίζειν.

§. CCCLXXIII.

ACTIO perſonalis, qua mandans a mandatario implementum negotii ſuſcepti requirit, MANDATI DIRECTA; quae vero mandatarius indemnitatem (*) intuitu negotii ſuſcepti poſtulat, CONTRARIA dicitur. *Actio mandati.*

(*) V. g. ſumtus in iter, vel in ipſum negotium factos. *L. 12. §. 9. D. mand.*

§. CCCLXXIIII.

Pactum (a), de rerum, aequali iure poſſeſſarum, lucro damnoque eodem modo ferendis, SOCIETAS BONORVM (b); Paciſcentes, SOCII dicuntur. L. XVII. T. 2. *Societas bonorum; Socii.*

(a) Noli mirari, me contractus definire per pacta; Pactum commerciis hominum inſeruiens contractum dixi §. CLIII.

(b) Datur et ſocietas perſonarum, coëuntium ſcilicet ad communem finem effectui dandum. Exemplum ſocietatis bonorum habes in §. IIII. not. b.

§. CCCLXXV.

Ius plurium, rem vnam eamdemque ad proprios vſus adhibendi, COMMVNIO BONORVM (a); Alternus vero rei communis vſus vernacula vocatur die Mutſchierung (b). *Communio bonorum;* Mutſchierung.

(a) Talis, ſecundum Germanorum iura, in ſocietate coniugali conſpicitur. W. Cuius fontes et iura recenſui in *Elem. iur. Germ. §. 468. ſqq. p. 548. ſqq.* S:

(b) V. g. Seius et Mucius agrum poſſident communem, primo quinquennio eumdem colit fructusque recipit iſte, altero hic, tertio iſte, quarto hic, et ſic porro.

§. CCCLXXVI.

SOCIETAS, de omnibus ad certum genus ſpectantibus bonis inita, GENERALIS (a); de certis vero ac determinatis rebus, PARTICVLARIS (b) eſt. *Societas generalis; particularis.*

(a) Talis

(a) Talis eſt negotiatoria, in qua ſunt omnia, quae ad mercium genus referri poſſunt, non alia. Inde nec vxores, licet quandoque venales.

(b) V. g. linum, bombycinum pannum, pileos, rel. in hanc ſocietatem deducere licet.

§. CCCLXXVII.

Societas aequalis; inaequalis; leonina.

SOCIETAS, in quam tantum vnus, quantum alter confert, AEQVALIS; in quam alter maiorem, alter minorem quantitatem, aut alter rem, alter operas confert, INAEQVALIS; qua alter damnum, alter lucrum recipit, LEONINA (*) vocatur.

(*) Ita vocatur in *L. 29. §. 2. D. pro ſoc.* Denominationis ratio deſumta e Fabula V. Lib. I. PHAEDRI, quam egregie illuſtrat Io. GE. ESTOR *de ſocietate Leonina.* Ien. 1738.

§. CCCLXXVIII.

Actio pro ſocio.

ACTIO perſonalis, qua ſocius implementum ſocietatis a ſocio poſtulat, PRO SOCIO dicitur.

§. CCCLXXVIIII.

L. XVIII. T. I.

Venditio; Venditor; Emtio; Emtor; Emtio venditio.

Translatio iuris (a) noſtri in alium, pro determinato pretio (b), VENDITIO; qui transfert, VENDITOR; Acquiſitio iuris, quod alter habuit, EMTIO; acquirens EMTOR; Translatio et acquiſitio iuris pro certo pretio, EMTIO VENDITIO dicitur.

(a) Hoc magis placuit, quam notio dominii, quum non ſemper dominium transferatur in emtione venditione, ſed tale ius, quo venditor erat inſtructus. Conferas titulum pro emtore. Qui ab eo, qui dominus non eſt, rem emit, non dominium, ſed vſucapiendi conditionem acquirit. *L. 33. §. 1. D. de vſucap.*

(b) MENCKENIVS in *Diſſ. de Reſciſſ. emt. vendit. ex tunc et ex nunc,* §. 3. veteri Philoſophiae ſtudens, emtionem vendi-

venditionem dicit contractum consensualem, nominatum, bonae fidei et iuris gentium, quo merx cum pretio permutatur. Sed permutationem contractum innominatum cit. §. fassus idem.

§. CCCLXXX.

Quantitas, qua res ad relationem inter se aptae fiunt, PRETIVM (a); quodsi ea quantitas per legem determinata sit, LEGALE (b); si paciscentium voluntate, CONVENTIONALE vocatur. *Pretium; legale; conuentionale.*

(a) Pretii igitur generalis notio est, non emtioni venditioni tantum accommodata, quod voluisse videtur VARRO *de lingu. Lat. Lib. IIII.* Sic pretii conductionis in *L. 28. §. 1. D. loc.* et operae pretii in *L. 51. D. pro soc.* mentio fit. BRVMMERVS tamen *de loc. cond. p. 4 1.* pretii et mercedis differentiam defendit. Facessere hinc iubemus VARRONEM *c. l.* pretium a periteis deriuantem.

(b) Ita ab iis, quibus Politiae cura incumbit, determinatur pretium comestibilium ac potulentorum, publiceque proponitur tabula tale exhibens.

§. CCCLXXXI

Res (a) aestimabilis (b) in emendo vendendoque MERX vocatur. *Merx.*

(a) Ad personas hoc non extenditur, *L. 207. D. de V. S.* vnde, qui homines mercantur, *Mangones* proprio nomine dicuntur, ipsi vero homines venditi, *venalitia. L. 203. D. eod. L. 73. §. pen. D. de leg. 3.*

(b) Non quaelibet res vendenda merx dicitur, sed aestimabilis sit necesse est. *L. 1. D. de contr. emt. vend. L. 1. D. de permut.* E. libertas non est merx.

§. CCCLXXXII.

Quando de merce ac pretio in emtione venditione constat, PERFECTA (*) E. V.; tradita merce ac pretio soluto, CONSVMMATA dicitur. *Emtio venditio perfecta; consummata.*

(*) Caius

(*) Caius promittit, se soluturum 70. thaleros, et Capito, se tradere velle illi cantherium suum discolorem, quinque annorum, origine Anglum.

§. CCCLXXXIII.

E. V. publica; privata. EMTIO VENDITIO, iudicis auctoritate celebrata, PVBLICA (*); contrahentium voluntate sola inita, PRIVATA vocatur.

(*) Talis est, quae fit sub hasta, aut quae regesto iudiciali mandatur.

§. CCCLXXXIIII.

Emtio spei. Promissio determinatae quantitatis, pro merce, cuius qualitas, aut quantitas a futuro casu determinabitur, EMTIO SPEI (*) audit.

Spes. (*) *Spes* est expectatio futuri boni. Qui E. emit aliquid, quod incertum ac futurum est, spem potius, quam ipsam rem emere dixere. Insigne huius emtionis exemplum habes in iactu retis, quem emerat Milesia pubes a piscatoribus Cois, qui loco piscium tripodem reti extraxere. Vid. VALERIVS MAXIMVS *Dict. factor mem. L. IIII. c. 1.* Conf. *L. 8. §. 1. D. de cont. emt. vend. et L. 12. D. de act. emt. vend.*

§. CCCLXXXV.

Weinkauf; Leykauf; Arrha, der Gottespfening. Quantitas, ex consuetudine Germaniae, perfecta emtione venditione, testibus huius numerata, vernacula Weinkauf (a); vxoribus ac liberis venditoris data, Leykauf (b); ecclesiae vero, vt testimonium factae emtionis venditionis recipiat, ARRHA, der Gottespfenning (c), dicta est.

(a) Datur namque ad bibendum, atque vel sic connatum vitium maiores nostri dissimulare ipsi noluere.

(b) Addunt rationem: Vt vxor ac liberi venditam rem eo lubentius dimittant. Felictores fuere sequioris aetatis homines Iustiniano, duplicem acquirendi modum

modum tantum callenti; Innumeros tenent. Hipponacte hic opus foret.

(c) Fontes huius iuris recensui in *elem. iur. Germ.* §. 582.

§. CCCLXXXVI.

Quicquid emtor venditori dat in signum aut perfecti, aut perficiendi contractus, ARRHA (*) dicitur. *Arrha.*

(*) Mire se torquent ICti in determinanda hac notione, nescii, vtrum perficiendi, an perfecti contractus signum sit arrha; Sed vtrumque significatum sustinet, pro diuerso, in quem datur, fine. In *pr. I. de emt. vendit. L. 35. pr. D. de contr. emt. vend.* perfecti, *in L. 13. C. de fid. instr. et L. 38. D. de R. N.* perficiendi negotii signum est. Iauolenus pactum init cum Seio, de tradendo sibi corpore iuris ciuilis, editionis Gothofredi, solutis 9. florenis; perfecta haec emtio est, constat namque de merce ac pretio. Quodsi Iauolenus soluerit florenum, addita conditione, vt, soluto postridie residuo, corpus iuris sibi tradatur, arrha in signum perfecti contractus data fuit. Peroriga quidam admissarium Lucii videt, valde ipsi placentem; Vendendum hunc sibi postulat, annuit Lucius, sed de pretio conuenire nullo negotio possunt; Differtur in aliud tempus negotium, atque Peroriga Lucio Ducatum soluit, ne intra hoc tempus equum alii vendat; data fuit arrha in signum perficiendi contractus.

§. CCCLXXXVII.

EMTIO VENDITIO quantitatis indeterminatae, PER AVERSIONEM (*); determinatae vero, AD QVANTITATEM dicitur. *E. V. per auersionem; ad quantitatem.*

(*) Quando sc. magna vis frumenti, in granario servata, simul venditur, constituto in singulis modiis pretio vnius floreni, mensuratio vero differtur in aliud tempus, emtio venditio per auersionem celebrata fuit. Vid. plura exempla in *L. 4. §. 1. D. de peric. rei vend. L. 35. §. 5. D. de contr. emt. vend.* AVGVSTINVS *Emend. Lib. III. c. 3. auersionem* dicit, *cum pretium, aut numerus, aut pondus non dicitur.* Galli dicunt: *En gros et en bloc.*

§. CCCLXXXVIII.

Ruta caesa; Fixa iuncta. Res mobiles, rei emtae non accedentes, RVTA CAESA (a); Res immobiles rei emtae accedentes, FIXA IVNCTA (b) dicuntur.

(a) Haec ICti coniungunt, *L. 38. §. f. D. de act. emt. vend. L. 5. D. ad exhib.* atque *rutacaesa* scribunt, licet duo vocabula sint, quorum cuilibet determinatus significatus respondet. RVTA dicuntur a verbo ruere, quae sc. ruere, eruere aut mouere licet, vt in fundis cretam, arenam, etc. CAESA vero, quae caeduntur, vt arbores, virgulta, etc. Q. MVTIVS SCAEVOLA *L. 241. D. de V. S.* dicit ea esse, *quae terra et opere structili, tectorioue continentur.* FESTVS *de verb. signif. quae venditor possessionis, sui vsus gratia, concidit, ruendoque contraxit.*

(b) FIXA a figo, IVNCTA a iungo dicuntur, atque opponuntur rutis caesis, *L. 38. D. de act. emt. vend.* Vernacula dicimus: Was Erd- Nied- und Nagelfest ist.

§. CCCLXXXVIIII.

Pactum de retrouendendo. PACTVM, quo emtor promittit, se velle rem emtam emtori restituere, refuso ab hoc pretio, DE RETROVENDENDO (*) dicimus.

(*) Vid. *L. 2. C. de pact. inter emt. et vendit.* Dici idipsum a particula *retro*, i. e. rursus, *L. 4. D. de oper. seruor.* et *vendere*, quilibet perspicit. Sed multis videri hoc poterat pignus, qui non satis adcurate distinguere didicerunt. His vt obuiam eatur, notandum: 1) Emtorem rei emtae dominum fieri, si pleno iure eadem ad venditorem pertinuit; in pignore vero numquam transferri dominium. 2) Emtorem, retrouendita re, rationes non reddere de fructibus, ex re emta perceptis; hoc vero onus incumbere ei, qui pignus antichreticum tenet. 3) Tempore retrouenditioni adiecto effluxo, nec oblato pretio, res penes emtorem manere, in pignore hoc reprobatum esse. Vid. omnino THOMASII *Diss. de vsu pract. accurat. distinct. inter emtionem cum pacto retrouend. et pignus.* et STRYCK *in Caut. contract. Sect. II. Tit. 4. §. 31. sq.*

§. CCCXC.

§. CCCXC.

Pactum inter emtorem ac venditorem, de non perficienda emtione, vel perfecta rescindenda, si intra certum tempus melior conditio (a) allata fuerit, ADDICTIO IN DIEM (b. et quidem EXPRESSA; si lex hanc conditionem paciscentibus praescribit, TACITA (c) dicitur.

L. XVIII. T. 2. *Addictio in diem; expressa; tacita.*

(a) S. quod alius maius, aut idem pretium, sed statim, soluat, aut fideiussores eius constituat, quod alter post aliquod temporis interuallum, aut absque fideiussore promiserat. Vid. *L. 1. D. de addict. in diem. L. 2. §. 4. D. pro emt.*

(b) *Addicere* est proprium facere. Ita CAESAR *de bello ciuili. L. II. c. 8. Eorum bona in publicum addicebat.* Ideoque in diem addicere est, proprium alicui constituere, vel post definitum tempus, vel ad definitum tempus. Ad prius alludit HEGIO, parasitum ad coenam inuitans, apud PLAVTVM *Captiu. Act. I. Sc. 2. v. 78. sqq.*

H. *Age sis roga.* P. *Emin' tu?* H. *Nisi qui meliorem afferet*

P. *Quae mihi atque amicis placeat conditio magis?*
Quasi fundum vendens meis me ADDICAM *legibus.*

(c) Qualis in fiscalibus venditionibus reperitur, vid. *L. 22. §. f. D. ad L. municip.*

§. CCCXCI.

PACTVM, quo emtio venditio nulla declaratur, si intra certum tempus pretium non soluatur, COMMISSORIVM (*) audit.

L. XVIII. T. 3. *Pactum commissorium.*

(*) *Committere* saepissime denotat ob factum illicitum alicui aliquid abiudicare, vt commissa vectigalia, commissa stipulatio etc. v. BRISSONIVS *de verb. signif. h. v.* HVBERVS *Prael. p. 979.* Pactum hoc commissorium etiam dicitur lex commissoria, *t. t. D. de lege commiss.* quae confusa sunt in *c. 7. X. de pign.* vbi pacti legis commissoriae mentio fit.

§. CCCXCII.

Ius protimiseos. IVS, rem aliquam acquirendi prae alio, idem pretium offerente, PROTIMISEOS (*) dicitur.

(*) Προτίμησις enim praelationem significat. Differentiam eius a iure retractus eleganter ostendit GE. SAM. MADIHN *de iure protimiseos eiusque a iure retractus discrimine.* Hal. 1758.

§. CCCXCIII.

L. XVIII. T. 4. *Cessio; Cedens; Cessionarius.* Translatio iuris nostri in alterum per pactum CESSIO (*); qui transfert, CEDENS; in quem transfertur, CESSIONARIVS dicitur.

(*) Cedere actione, mandare, praestare, exhibere, transferre actionem, promiscue vsurpantur. *L. 75. §. 1. in f. de leg.* 1. *L.* 14. *D. mand.* Caius mihi ex chirographo debet C. thaleros, ego Sempronio totidem; Quodsi solutionis loco chirographum Caii, cum omni, quod ex eo competit, iure, in Sempronium acceptantem conferam, cessisse chirographario credito dicor. Grammatici solent certare de eo: Vtrum cedere actionem, an actione dicendum sit? Prius omnia fere iuris ciuilis volumina defendunt, posterius sola Florentina, idemque TVLLII genio magis respondet.

§. CCCXCIIII.

Assignatio. Pactum, de alio substituendo recipiendoque, sed absque periculo, debitore, ASSIGNATIO (*) audit.

(*) *Assignare* proprie notabat militibus captos ab hoste agros viritim distribuere. Vid. SICVLVS FLACCVS *de condit. agror.* apud RIGALTIVM *p.* 3. Inde ad alia tractus significatus, vt denotet idem, quod attribuere, *L. 1. §. 24. D. de vent. in poss.* et VARRO *de ling. Lat. L. IIII.* *adsignatam pecuniam* dicit *attributam*, it. locum vel personam certam signare, *L. 22. §. 1. D. fam. erc.* vt igitur adsignatio sit demonstratio personae, quae soluere debeat. Ponas: Meuium Seio debere D. florenos; hoc vrgente solutionem, illum Mecium nominare, solutio-

nem

nem facturum; acceptante Seio; assignatio aderit. Quodsi Mucius aut non sit soluendo, aut nolit soluere, eo ipso Seii ius crediti aduersus Meuium exstinctum non erit. E. periculum ille non sentit. *L. 27. §. f. D. de leg. 2.* In hoc a cessione differt adsignatio.

§. CCCXCV.

RESCISSIO est negotii validi, ex causa superueniente, dissolutio (*). L. XVIII. T. 5. *Rescissio.*

(*) Emtio venditio valida sic rescindi dicitur, quando post celebratam eam laesio enormis apparet. *L. 2. C. de resc. vend.*

§. CCCXCVI.

ACTIO personalis, qua emtor, vel eius heredes, mercem cum omni commodo praestari a venditore, vel eius heredibus, desiderant, EMTI (a); ACTIO vero personalis, qua venditor, heredesque eius, pretium ab emtore aut eius heredibus exigunt, VENDITI dicitur (b). L. XVIIII. T. 1. *Actio emti; venditi.*

(a) Vid. *L. 1. pr. et §. 1. D. h. t.*
(b) Vid. *L. 13. §. 19. D. de act. emt. vend.*

§. CCCXCVII.

Concessio vsus rei nostrae, vel operarum, pro certa mercede, LOCATIO; Vsus rei alienae, vel operarum, CONDVCTIO; Concedens LOCATOR, vtens CONDVCTOR audit. Qui opus aliquod faciendum ab altero conducit, REDEMTOR OPERIS (*) dicitur. L. XVIIII. T. 2. *Locatio; Conductio; Locator; Conductor; Redemtor operis.*

(*) Locationis conductionis notio facillima, ipse contractus frequentissimus est. Locat aedes suas, vel equum, etc. qui alteri pro certa mercede vtendum concedit; conducit eadem, qui vtitur ac mercedem soluit. Sed redemtoris idea non statim liquebit. Redemtor non est nisi conductor. Probat hoc CICERO *de diuinat. L. II. c. 21.* scribens: REDEMTOR, *qui columnam a Torquato* CONDVXERAT *faciendam.* Atque eodem signi-

 ficatu

ficato occurrit in legibus nostris, *L. 59. D. de R. V. L. 51. §. f. D. loc. L. 12. §. 5. D. de actisf. priu.* Sempronius, fabro murario ichnographiam ac orthographiam domus exstruendae ostendens, cum eo contrahit de perficiendo hoc negotio, perfectoque, de soluendis ipsi DCCC. thaleris. Faber murarius h. e. domum exstruendam redimit.

§. CCCXCVIII.

Locatio conductio irregularis.

Quoties naturalia locationis conductionis mutata vides, toties LOCATIO CONDVCTIO IRREGVLARIS dicitur (*).

(*) Quaenam naturalia contractuum sint, exposui §. CL. Horum quaedam si deficiunt, irregulare negotium adest. Naturale locationis est, vt merces praestetur nummis; hinc, si colonus partiarius loco pensionis fructuum partem praestet, irregularis locatio conductio est. Item, naturale est, vt opus, quod conficiendum alteri locaui, mihi in specie reddatur. Idem obtinet, si aurifabro argentum conflatum dederim, vt poculum ex eo conficiat, is vero non idem, sed aliud argentum poculo adhibeat. Vid. *L. 31. D. loc.*

§. CCCXCVIIII.

Inquilinus; Colonus; partiarius; adscriptitius; originarius; colonariae conditionis.

Conductor praedii vrbani, INQVILINVS (a); rustici, COLONVS (b) dicitur. Hic, si loco mercedis fructuum partem praestet, PARTIARIVS (c); si praedio perpetuo addictus seruili quodammodo conditione, ADSCRIPTITIVS (d); ab hoc procreatus, eadem conditione vtens, ORIGINARIVS (e); qui per 30. annos talem se exhibuit, COLONARIAE CONDITIONIS vocatur.

(a) Inquilinus, f. incolinus, alienas aedes v. g. incolit, *L. 57. D. de acqu. vel amitt. possess.* atque hic natiuus eius significatus est, APPIANVS *L. 1. de bello ciuil.* licet ISIDORVS *Etym. Lib. VIIII. c. 4.* incolentes aliena simpliciter incolas dicat, et MARCIANVS *L. 112. sq. D. de leg. 1.*

leg 1. operariis fundum perpetuo colentibus hoc nomen tribuat. Vid. CVIACIVS *ad h. l. p.* 660.

(b) V. g. agrum, conducitur autem, vt colatur; Inde colonus dicitur. Vid. COLVMELLA *de re rust. L. I. c.* 7. *L.* 19. *C. de agric. L.* 10. *§.* 3. *D. de instr. legat.* *Colere* enim proprie agros dicimus, quod docet VLITIVS ad GRATIVM *v.* 69. *p.* 123.

(c) Colonus partiarius societatis interdum iure magis colit agrum, quam ex conducto, maxime, si pro determinata parte, quae plerumque dimidia est, eum colit. *L.* 25. *§.* 6. *D. loc.* Inde Graecis dicitur *μορίτης*.

(d) *Adscriptitii* dicti, quod fundo ita sint addicti, vt ab eo discedere omnino nequiuerint, et cum illo vendti sint mancipatione. Vid. TVRNEBVS *Aduers.* XV. 16. Sed cur hoc ita vocarint Romani, miraberis? Dicam. Qui agrum colit, soluta pensione, colonus est; Adscriptitii colebant agrum, et quidem perpetuo, soluto capitis censu domino praedii, vnde *censiti* vocantur in rubr. *Tit. C. de agric. et censit.* et *capite censi*, it. *tributarii* *L.* 6. *C. eod.* Erant igitur neque serui, quum actio iis contra dominum prodita esset, neque liberi, quum seruirent.

(e) Patre namque colono adscriptitio natus erat. Vid. *L.* 21. 23. *C. de agric.*

§. CCCC.

Locatio conductio pecorum, pro viliori mercede, cum receptione periculi a conductore, CONTRACTVS SOCIDAE (*) vocatur. *Contractus Socidae.*

(*) Vernacula Eisern Vieh, cuius numerus perpetuo idem manet, nec minuitur. W. Est hic contractus ex emtione venditione et locatione mixtus. Io. OTTO TABOR *de contractu socidae. T. I. opp. p.* 127. *sqq.* S.

§. CCCCI.

Conductio redituum prouinciae, pro annua mercede, ADMODIATIO (*) dicitur. *Admodiatio.*

(*) A Gallica voce *ammodier*, verpachten; Huc pertinent telonia, cursus publici etc.

§. CCCCII.

Actio locati; conducti.

ACTIO personalis, qua implementum contractus aut indemnitatem (a) a locatore postulat conductor, CONDVCTI; qua idem locator a conductore exigit, LOCATI (b) dicitur.

(a) Conductor aut rem conduxit vtendam, aut opus faciendum; priori casu vel vsum rei promissae praestandum, vel, si hoc non possit, interesse postulat, *L. 33. D. loc.* vel, si re conducta, v. g. equo muco laborante aut calcitroso, damnum conductoria [illegible]tum, ad id resarciendum, *L. 19. §. 1. D. loc.* aut, si impensas in rem fecerit, ad indemnitatem; *L. 55. §. 1. D. eod.* posteriori casu ad operas praestandas, vel, si culpa locatoris praestari nequeant, ad id, quod interest, agit. *L. 15. §. 6. D. eod.*

(b) In locatione rerum ad mercedem debito tempore soluendam, aut ad damna data resarcienda, *L. 28. D. loc.* vel finita locatione ad restituendam rem in specie.

§. CCCCIII.

L. XVIIII. T. 3. *Contractus aestimatorius.*

CONTRACTVS innominatus (a), quo rès aestimata (b) alicui traditur vendenda (c), AESTIMATORIVS dicitur.

(a) Dubitabis hunc contractum esse innominatum, dum nomen habet; Sed nec hoc sufficit, deficit namque actio cognominis (§. CLIIII.), neque actionis aestimatoriae mentio fit in corpore iuris ciuilis, sed actionis praescriptis verbis aestimatoriae. *Rubr. D. eod. Tit. et §. 28. I. de act.*

(b) H. e. ad certam quantitatem determinata, quae igitur cum ipsa re alternat. V. g. Si propolae corpus iuris ciuilis pro 6. Thaleris vendendum tradiderim, contractus aestimatorius est.

(c) Ad plerosque contractus nominatos accedit proxime aestimatorius contractus, ab omnibus tamen differt, et 1) quidem ab EMTIONE VENDITIONE, quae consensu perficitur, hic autem non nisi traditione rei vendendae; *L. vn. pr. D. de aestimat.* 2) a MANDATO, hoc enim gratuitum est, aestimatorius contractus

tractus non item; *L. 11. D. de praesc. verb.* 3) a LOCATIONE CONDVCTIONE, in qua vltra mercedem, de qua conuenit, exigi nihil potest, propola vero omne lucrum, aestimationem excedens, percipit; 4) a SOCIETATE, in qua lucri spectatur aequalitas, vel comparatiua saltim. Praeterea animus contrahentium inspiciendus, personaeque veniunt attendendae. Vid. *L. 52. §. 7. D. pro soc.* W. Varias DD. super indole huius contractus controuersias recensuit I. H. BOEHMER *de translatione dominii in contractu aestimatorio. T III. exercit. p. 538. sqq.* S.

§. CCCCIIII.

ACTIO personalis, qua is, qui rem aestimatam alteri vendendam tradidit, eamdem, aut pretium conuentum reddi sibi petit, AESTIMATORIA dicitur (*). *Actio aestimatoria.*

(*) Vid. *L. 1. §. 1. D. de aestimat.*

§. CCCCV.

Rerum, diuersorum dominorum, aequipollentis valoris (a), inuicem facta traditio, PERMVTATIO (b) dicitur. L. XVIIII. T. 4. *Permutatio.*

(a) Sufficit valor imaginarius, aut affectionis.

(b) Melius commutationem dici volunt rerum, permutationemque loci attributum. Sed fallunt. Ita TERENTIVS *Eunuch. Act. V. Sc. 6. v. 5.*

Vbi satias coepit fieri, COMMVTO *locum.*

et CICERO *de offic. Lib. II. c. 4. in f. Atque vt dando et accipiendo*, PERMVTANDISQVE *facultatibus et commodis, nulla re egeremus.* Caius possidet equum, Titius portatile horologium argenteum, vterque aequali pretio rem suam aestimat, fit vtrinque vtriusque translatio. Adest permutatio.

§. CCCCVI.

Contractus do vt des (*), do vt facias, facio vt des, facio vt facias, facem sibi ipsis praeferunt, hinc earum explicatione supersedebo. L. XVIIII. T. 5.

 (*) Id

(*) Id saltim notandum erit, contractum do vt des plerumque cum permutatione coincidere, esse tamen hac latiorem. Vid. Ill. Dn. BOEHMER *Tr. de actionibus Sect. II. cap. 9. §. 10.*

§. CCCCVII.

Actio praescriptis verbis. ACTIO, quae ob deficientem formulam a Praetore praescribebatur, PRAESCRIPTIS VERBIS dicebatur (*).

(*) ICti olim actionum formulas proponere solebant, a Praetoribus edictis suis propositas. Accommodatae erant eaedem negotiis frequentioribus. In iis vero, quae minus erant vsitata, Praetor iudicii formulam praescribebat, v. g. SI PARET MEVIVM DEDISSE C. CAIO, VT REM SVAM SEMPRONIO COMMENDET, NEQVE IS COMMENDAVERIT, TVM EVM CONDEMNA. Nominis rationem tradit CELSVS in *L. 2. D. de praescr. verb.* scribens: *Cum deficiunt vulgata atque vsitata actionum nomina*, PRAESCRIPTIS VERBIS *agendum est*. Ita IN FACTVM ACTIONES dicuntur, quarum itidem formula deficiebat, eius vero loco factum erat recensendum. W. Conf. de earum origine MEISTERVS *de in factum actionibus, c. 2. §. 28. sqq.*

§. CCCCVIII.

Lib. XX. T. I. *Pignus; Hypotheca.* Res, creditori in securitatem debiti a debitore obligata, PIGNVS (a) generatim dicitur. Quodsi ea res tradita fuerit creditori, PIGNVS in specie; si non, HYPOTHECA (b) vocatur.

(a) Pignoris a pugno deriuatio, quae est CAII in *L. 238. D. de V. S.* mihi nunquam arrisit. Generalis autem pignoris conceptus, qui ad immobilia etiam extenditur, vel apud TERENTIVM videre est, qui *Phorm. Act. IIII. Sc. 3. v. 56.* scribit:

Ager oppositus est PIGNORI.

(b) Ita ICtus *in L. 4. D. de pign.* distinguit, hypothecam proprie eius rei dici, quae conuentione sola obligatur, pignus traditione. Et optime. Atque vel sic fallit

fallit MARCIANVS *L. 5. §. 1. D. eod.* pignus et hypothecam non nisi nominis sono differre, statuens. Conf. Perill. Dn. BOEHMER *de diuerso pignoris ac hypothecae iure.* Caius a Titio mutuo accepit C. thaleros, atque in securitatem debiti argentea vasa, eousque detinenda, donec reddantur C. huic dedit. Pignus hoc ipsum est. Quodsi vero in securitatem debiti agrum, aut supellectilem librorum obligauerit, possessionemque retinuerit, hypotheca erit. Sed, quum res mobiles facilius de loco in locum transferri possint, creditor non satis securus est, nisi ipsi mobilia obligata tradantur. Res immobiles vero quum loco moueri non possint, in iis cessat metus translationis, adeoque traditione opus non est. Inde factum, vt ad spurium hunc characterem attenderint ICti, putauerintque pignus in re mobili, hypothecam in immobili constitui, quos inter reperio CAIVM in *L. 238. D. de V. S.* Sed hunc et alios refellit IMP. *§. 7. I. de act.* Vid. *L. 1. pr. D. de pignorat. act.* Hypotheca dicitur ab ὑποτίθεσθαι, subiicere, quasi obligationi subiecta res.

§. CCCCVIIII.

PIGNVS consensu domini constitutum VOLVNTARIVM; quod dissentiente eo obligatur, NECESSARIVM (a) dicitur, s. PVBLICVM (b). *Pignus voluntarium; necessarium.*

(a) Huius species sunt legale, praetorium et iudiciale, de quibus ad §. sequ.

(b) Datur et aliud, quod *quasi-publicum* dicunt, scil. quod coram tribus testibus constitutum. *L. 11. C. qui pot. in pign.* *Quasi-publicum.*

§. CCCCX.

PIGNVS, quod lex creditori addicit, LEGALE (a), s. TACITVM (b), et quidem PVRVM (c), si factum hominis specificum non concurrit; si concurrit, MIXTVM (d) dicitur. Si Praetor edicto vel decreto suo rem alterius pignoris nexu obligabat, PIGNVS PRAE- Lib. XX. T. 2. *Pignus legale; tacitum; purum; mixtum; prae-*

torium; iudiciale. PRAETORIVM (e); si iudex, causa cognita, sententia sua idipsum faciat, IVDICIALE (f) vocatur.

(a) Talia lex vxori addicit in bonis mariti sui ob dotem, *§. 29. I de act. L. un. § 1. C. de R.V. A.* et pupillo, in bonis tutoris, *L. 20. C. de adm. tut.*

(b) Tacitum dicitur, quod praesumatur consensus debitoris; hinc potius praesumtum dicendum foret, non enim concurrit factum specificum, creditoris consensum declarans.

(c) Vid. allegata not. a.

(d) Eiusmodi pignus est, quod locatori in bonis inquilini, si quae intulit in domum, competit, *L. 4. D. in quib. caus. pign.*

(e) Huc referas missionem in possessionem. *t. D. quib. mod. in poss. eatur. L. 2. C. qui pot. in pign.*

(f) Iudiciale pignus ob contumaciam eius, qui rei iudicatae parere recusat, immissione in bona constituitur. *L. 3. D. de reb. eor. etc. L. 9. D. de minor.* Vid. COSTANVS *ad Dig. c. 19.*

§. CCCCXI.

Fiducia. Pignus, creditori mancipatum, vel in iure cessum, FIDVCIA (*) dicebatur.

(*) Vid. ISIDORVS *Orig. Lib. V. c. 32. p. 932.* Sed haec erat modus transferendi dominium. Notes igitur, eo sensu fiduciam dici pignus, quo sensu pignora iuris Germanici, in quibus dominium transfertur, domino priori vero ius reluendi seruatur; Est emtio cum pacto de retrouendendo, sed ob debitum. W. Omnem de *contractu fiduciae* indolem eiusque originem et vsum duabus dissertationibus elegantissimis persequutus est F. C. CONRADI. Helmst. 1733. S.

§. CCCCXII.

Lib. XX. T. 5. *Hyperocha.* Quicquid vendito pignore, detractoque debito, debitor recipit, HYPEROCHA (*) dicitur.

(*) S. quantitatis pignoris, ad crediti quantitatem relatae, differentia. Sed pignus semper creditum excedit, ni enim hoc, securitatem creditori non tribueret,

E. hy-

E. hyperocha creditum superat. Haec vox Graeca est; ὑπεροχὴ enim excrescentiam denotat, quod vocabulum felici emendatione voci hypothecae *in L. 10. D. qui pot. in pign.* substituit CVIACIVS *Obs. III. 21.* Iauolenus a Mucio, traditis gemmis, accipit M. thaleros, sub pacto vsurarum quincuncium; Lapso quinquennio, gemmae aut volente Iauoleno, aut ex necessitate venduntur pretio MD. thalerorum. Deducta sorte = M. et vsuris quincuncibus quinquennii, = CCL. thal. Iauolenus recipit CCL. residuos, qui dicebantur hyperocha.

§. CCCCXIII.

Vsusfructus pignoris, in compensationem vsurarum, ANTICHRESIS (a); PACTVM de vsufructu pignoris in compensationem vsurarum, ANTICHRETICVM; quod, si expresso consensu constitutum, EXPRESSVM; sin tacito, TACITVM (b) dicitur. *Antichresis; Pactum antichreticum; expressum; tacitum.*

(a) Ab ἀντὶ et χρῆσις, quod mutuum vsum significat, dictum. Huic etymologiae inhaerens MARCIANVS, antichresin per mutuum pignoris vsum definiuit, cui definitioni quae obuertit SALMASIVS *de modo vsurarum*, refutauit NOODT *Lib. II. Obs. 9.* Dabo antichreseos exemplum: Seio pignori datum est pratum a Caio, pro ducentis, quos mutuo ab eo sumsit, thaleris. Vsuras simul stipulatus est Caius. Harum in compensationem ius pascendi in prato oppignorato exercet Seius, simulque alia commoda, foenum ex eo colligendo, percipit, donec mutuum restituatur. Antichresis est. Verum, hac ratione, hanc differre ab emtione cum pacto de retrouendendo, negaueris; Sed conf. §. CCCLXXXVIIII.

(b) V. g. CAIVS TITIO mutuo dedit D. flor. vsurarum mentione nulla facta; Constituitur tamen hortus Titii pignori, simulque traditur possessio eiusdem: Tacite h.e. conuentum videtur, vt ad modum vsurarum fructibus vtatur creditor. Vid. *L. 8. D. in quib. caus. pign. tac. conf.*

§. CCCCXIIII.

§. CCCCXIIII.

L. XXI. T. I. *Redhibitio.*

Receptio rei vitiosae venditae, a venditore, REDHIBITIO (*) dicitur.

(*) *Redhibere* est facere, vt rursus venditor habeat, quod habuerit antea; et quia non nisi redditione, vel restitutione fiebat id, redhibitionem quasi redditionem appellatam esse vult VLPIANVS *in L.* 21. *D. ad aedil. edict.* Vid. MENAGIVS *Amoen. iur. p. m.* 339. De ea PLAVTVS *Mercat. Act. II. Sc.* 3. *v.* 85. *sqq.*

Quidsi igitur reddatur illi, vnde euicta est.
D. Minime gentium.
C. Dixit: Se REDHIBERE, *si non placeat.*

Exempla redhibitionis quotidie occurrunt. Venditus a Meuio lanioni porcus, qui grandinibus laborare postea perspicitur, redditur Silano, Meuiusque pecuniam solutam recipit ex edicto aedilitio. W. Moribus Germanorum passim vitia pecorum, quae redhibitioni locum dant, curatius determinata sunt, tempusque redhibitionis arctioribus limitibus circumscriptum. CHR. GOTTL. BVDER *de vitiis pecorum venalium.* GOTH. MASCOV *de redhibitione equorum.* S.

§. CCCCXV.

Actio redhibitoria; Actio aestimatoria, s. quanti minoris.

ACTIO personalis, qua emtor rei vitio affectae eam a venditore redhiberi desiderat, REDHIBITORIA dicitur; Actio vero personalis, qua idem restitutionem pretii, excedentis quantitatem rei vitio laborantis, exigit, AESTIMATORIA (*), seu QVANTI MINORIS vocatur.

(*) *L.* 18. *pr. L.* 44. *§.* 2. *D. de aedil. edict.* v. g. vendito praedio, reticetur seruitus, quae pretium iure minuit.

§. CCCCXVI.

L. XXI. T. 2. *Euincere; Euictio;*

EVINCERE (a) est rem nostram, a tertio non iure alienatam, vindicatione (b) obtinere. Vindicatio ipsa dicitur EVICTIO; Pretium euictae

euictae rei reddere, est EVICTIONEM PRAESTARE (c). *Euictionem praestare.*

(a) *Euincere* latiori interdum significatu denotat actione reali rem repetere. Ita *L. 11. §. 1. de querel. inoff.* hereditas per querelam inofficiosi testamenti euicta dicitur.

(b) *Vindicare* quum sit iure dominii rem repetere, actione coram iudice mota, patet, extraiudicialem, s. propria auctoritate factam euictionem non dari. Ei, qui vindicationis naturam perspicit, haec sufficiunt, nec opus est, vt, quod fecerunt aliqui, huic addantur superfluae determinationes: *in iudicio, per iudicem, iudicis sententia etc.*

(c) S. indemnem seruare eum, cui res euicta est. *L. 8. §. 1. D. de pignor. act.* Lucius a Capitone equum emit pro 50. thal. Aliquot annis post emtionem effluxis, equus emtus a Mucio vindicatur atque euincitur, tum Capito, indemnem qui praestet Lucium, quum obligatus sit, refusis ipsi 50. thal. euictionem praestat.

§. CCCCXVII.

Is, a quo rem, vel ius, acquisiuimus, AVCTOR (a); eum in iudicio allegare, LAVDARE AVCTOREM (b); auctor vero iudicium renuens, id DEFVGERE (c) dicitur (d). *Auctor; laudare auctorem; iudicium defugere.*

(a) Sic v. g. qui vendidit rem, auctor est. CICERO *Verrin. VII. L. 4. §. 1. D. de act. emt. vend.* Dicebatur autem hic auctor primus, secundus vero fideiussor, euictionis praestationi datus, *L. 4. D. de euict.* Alio, eoque excellentiori significatu, auctor dicitur, qui opus aliquod cum erudito orbe communicauit, qualem post plenam pubertatem nondum vocari, nostris moribus, nefas habetur.

(b) *Laudare* idem esse, quod nominare, GELLIVS *Noct. Attic. Lib. II. cap. 6.* docet.

(c) Vid. *L. 39. in f. D. de euict.*

(d) Marius domum vendidit Saufeio, post vindicatam ab Aulo; quodsi Mario, auctori, litem nunciauerit Saufeius, laudasse eum dicitur, et Marius, litem non suscipiens, defugere.

§. CCCCXVIII.

L. XXII. T. I. *Causa.*

Vtilitas accidentalis (a), quam occasione rei cuiusdam percipimus, CAVSA (b) dicitur.

(a) Essentialis, s. necessaria vtilitas pertinet ad fructus. Vid. §. sq.

(b) *Causae* significatus infinitus est. Retinebimus hunc, quem forsan innuit PLAVTVS *Asinar. Act. III. Scen. I. v.* 17.

Vbi quiesco, omnis familiae CAVSA *consistit tibi.*

dabimusque exempla iuris Romani et hodierni: Legatum Plauto, seruo, relictum accidentalis eius est accessio, non enim ex natura eius colligitur talis; E. causa est, & cum eo ad dominum vindicantem transit. Vid. *L.* 20. *D. de R. V.* quam egregie explicat CVIACIVS *ad h. t.* Acquiritur fundo Titii ius eundi per fundum Plinii, aedibus Silani exemtio a contributione, Catuli praedio ius venandi etc. omnes causae sunt, sunt enim commoda accidentalia.

§. CCCCXVIIII.

Fructus; Foetus; Partus; Fruges.

Quae ex essentia (a) rei cuiusdam proueniunt, generatim (b), ex re inanimata, in specie (c) FRVCTVS; ex animali irrationali, FOETVS (d): ex homine, PARTVS (e); ex agro, FRVGES (f) dicuntur.

(a) Vsurae E. fructus non sunt, non enim ex natura rei proueniunt.

(b) Quod ex §. seq. clarius patebit.

(c) V. g. locarium ex aedibus perceptum, *L.* 19. *D. de vsur.* aedes enim exstruuntur, vt inhabitemus eas; fructus arborum.

(d) *§.* 35. *I. de rer. diuis.*

(e) V. g. partus ancillae. *§. cit. I.* Hunc ad fructus pertinere, de iure Romano certum est, vindicandum enim eum vna cum ancilla, eo tempore, dum seruiuit alii, enixa, leges demonstrant, in vsumfructum tamen dari eum, negat CAIVS *L.* 28. *§.* 1. *D. de V. S.* Idem verum, si operas seruorum ab vsufructu distinguas.

(f) F. g.

(f) E. g. auena, hordeum, legumina; Latius excurrit Paulus *L. 17. D. de vsur. siluas caeduas, aliaque terrae nata* huc referens; neque negandum terrae fructus haec esse.

§. CCCCXX.

FRVCTVS, qui ex rei natura, nulla adhibita cura, proueniunt, NATVRALES (a); qui curam et culturam desiderant, INDVSTRIALES (b) dicuntur (c). *Fructus naturales; industriales.*

(a) Huc referas poma, reliquosque arboris fructus, pecudum foetus, lac, lanam, pilos etc. Posteriores quatuor ad industriales refert VINNIVS *ad Inst. p. m 196.* quod pro modo subministrati pabuli augeantur, minuantur.

(b) *Qui diligentia ac opera eius prouenerunt,* scribit PAVLVS *L. 48. D. de A. R. D.* Sunt autem tales, de quibus tantum occamus, quantum serimus, omnes itaque agri fructus, quos proprie fruges dicimus, omnia olera, legumina etc. Vid. *L. 45. D. de vsur.*

(c) Addunt alii ciuiles fructus, quos naturalibus opponunt, eosque dicunt, qui non ex natura rei proueniunt, sed occasione eius acquiruntur, vid. VINNIVS *ad Inst. p. 169.* ad quos referunt vsuras, pensiones, reditus annuos; forsan quod AFRICANVS *L. 88. §. f. D. ad L. Falc.* vsuras fructus nominauerit, et PAPINIANVS in *L. 55. D. de cond. indeb.* pensionum mentionem iniiciens, subiungat, fructus posse condici. Causa potius sunt. Vid. §. CCCCXVIII.

§. CCCCXXI.

FRVCTVS, a re, ex qua proueniunt, nondum separati, PENDENTES (a); quos separatos in patrimonio suo habet dominus, PERCEPTI (b); quorum perceptio possibilis (c), PERCIPIENDI (d) dicuntur. *Fructus pendentes; percepti; percipiendi.*

(a) Si poma in arboribus, frumentum, in agro exsurgens, cogitabis, fructus pendentes cogitas. Posteriores etiam dicuntur stantes. *L. 7. §. 15. D. sol. matrim. L. 26. D. de furt.*

 (b) Non

(b) Non enim ad hoc, vt fructus dicantur percepti, sufficit, vt a solo sint separati, vel arbore, sed opus est, vt in custodiam redigantur. Differre perceptos fructus ab iis, qui a solo separati sunt, docebit te *L. 25 §. 1 D. de vsur. L. 48. pr. D. de A. R. D.* Vid. PERRENON *Variar. obseru. L. I. c. 5.* ap. *Cel.* OTTONEM *Thesaur. iur. Rom. Tom. I.*

(c) Non absolute, sed secundum quid, i.e. statum, conditionem, tempus, rel. possessoris.

(d) Silius, possessor praedii, villis maxime instructi, idipsum Meuio pro 2000. fl. locat, quum ipse, si agrum coluisset, 3000. percipere potuisset. Fructus percipiendi igitur aequant 1000. flor.

§. CCCCXXII.

Fructus exstantes; consumti.

FRVCTVS, qui ad patrimonium nostrum numerantur, EXSTANTES (a); qui in patrimonio esse desierunt, CONSVMTI (b) dicuntur.

(a) V. g. frumentum in granario nostro.

(b) Licet non a nobis. Sic vendita lana, venditum lac, frumentum etc. fructibus consumtis annumerantur.

§ CCCCXXIII.

Lucrum cessans; Damnum emergens.

Bonum, quod quis acquirere impeditur, LVCRVM CESSANS (a), malum, quod contraximus, aut quod imminet nobis, DAMNVM EMERGENS (b) dicitur (c)

Bonum.

(a) *Bonum* est, quod statum nostrum perfectiorem facit, hoc ipsum obtinere si impedior, lucrum praetermitto. V. g. Caius virginem bene dotatam in matrimonium ducere intendit, iamque in eo est, vt ducat, sed Titii clandestinis consiliis efficitur, vt soluantur sponsalia repudio dato; amittit dotem speratam Caius, sicque lucrum cessans. Vitus, qui equis locandis lucrum quaerit, commodauit Cethego caballum, ad duorum dierum vsum, is vltra octo dies abest; Interea Seius equum a Vitio conducere voluit. Lucrum hoc cessans est.

Malum.

(b) *Malum* vocatur, quod statum nostrum deteriorem reddit; id, si nobis imminet, emergens dicimus damnum.

damnum. Sed nec excluditur positiuum (§.CCLXXIII.) per *L. 59 D. de furt.* V. g. Librarius quidam librorum magnum numerum apud Caium deponit, hos humido loco recondit hic, vt humectati corrumpantur; damnum hic culpa dedit, quo deterior alterius conditio facta est.

(c) Id, quod interest, interdum denotat 1) vsuras, vid. *Rec. Depat. Spirens. de 1600. §. 151.* 2) ipsam rem petitam comprehendit, *L. 9. D. de relig. L. 15. §. 7. D. quod vi aut clam.* 3) solum commodum, aut damnum solum. *L. 19. D. de furt.* Sed omnium maxime communis significatus is est, quo nos vocem hanc accepimus, quemque probat PAVLVS *L. 13. D. ratam rem hab.* scribens: *in tantum competit, in quantum mea interfuit, i. e. quantum mihi abfuit, quantumque lucrari potui.*

§. CCCCXXIIII.

Obligationis perfectae exsequendae iniusta (a) retardatio, MORA; Si finiendae obligationi dies constitutus est, EX RE (b); Si non, et debitor monitus sit, EX PERSONA (c); Monitio creditoris de soluendo INTERPELLATIO vocatur. *Mora; ex re; ex persona; Interpellatio.*

(a) H. e. ad quam debitori ius nullum competit. Quodsi huic desint vires, aut facultas soluendi, ex eo tamen nulla differendae obligationis oritur ius. Iniustam dixi retardationem, quoniam, qui iuste differt solutionem, in mora non est, v. g. qui exceptiones habet, qui testes, qui numerationi adfuere, adesse etiam vult solutioni. *L. 21. D. de vsuris.*

(b) Mutuo Caio dedi C. thal. sub auspiciis proximi anni soluendos, quodsi id neglexerit CAIVS, mora ex re est. *L. 45. C. de Episc. et cleric.*

(c) Hinc PAVLVS *L. III. sent. in f.* scribit: Moram fieri, cum postulanti non datur, et MARCIANVS *L. 32. D. de vsur.* si interpellatus opportuno loco non soluerit. *L. 23. D. de V. O.* W. Conf. CHR. FR. GE. MEISTERI *notio iuridica morae.* S.

§. CCCCXXV.

Vſura; Sors.

Compenſatio vſus rei, lege vel pacto dari debitae, VSVRAE (a); Quantitas, pro cuius vſu vſurae ſoluuntur, SORS (b) dicitur.

(a) Vſurae nomine olim cuiuscunque rei vſus veniebat. PLAVTVS *Amphitr. Prolog. v.* 108.

VSVRAMQVE *eius corporis cepit ſibi.*

Vid. ID. *Trinum. Act. I. Sc.* 2 *v.* 144. VARRO *de Lat. lingu.* ISIDORVS *Etymol. V.* 25. Poſtea vſus compenſatio dicta fuit vſura. Eam, quae *c.* 6. *C.* 14. *q.* 1. legitur definitio, refellit Perill. Dn. BOEHMER *Inſt. iur. can. p.* 665.

(b) *Sors* h. l. quantitas dicitur, pro cuius vſu vſura ſoluitur, das Capital, der Hauptſtul. Ita PLAVTVS *Moſtell. Act. III. Sc.* 1. *v.* 121.

Quatuor quadraginta illi debentur minae,
Et SORS, *et foenus.*

Vid. *L.* 38. *D. ad SCt. Trebell.*

§. CCCCXXVI.

Vſurae punitoriae; compenſatoriae; lucratoriae.

VSVRAS, quae ſoluuntur ob fidem in contractu non ſeruatam (a), PVNITORIAS (b); quibus compenſatur vtilitas, creditori decedens, debitori vero accedens, COMPENSATORIAS (c); quibus iniquum lucrum paratur creditori, LVCRATORIAS (d) dicunt.

Fidem ſeruare.

(a) Implere, quod promiſſum eſt, dicitur *fidem ſeruare.* Qui promiſit ſe ſoluturum proximis nundinis Francofurtanis, nec tamen ſoluit, fidem non ſeruat. Hoc autem diximus moram (§. CCCCXXIIII.), E. ob moram etiam debentur vſurae. *L.* 32. *§.* 4. *it. L.* 34. *D. de vſur.*

(b) Punitoriae, quas dicunt, non ipſo iure, ſed ex pacto creditoris cum debitore, contractui adiecto, debentur. Sunt igitur poena conuentionalis, et praeſtandae, etiamſi creditoris nihil interſit. *L.* 38. *§.* 17. *D. de V. O.* Exulat igitur hic compenſatio, vt potior vſurae notio. Inde eſt, quod ego hanc vſurarum ſpeciem nequaquam admittere, nec, niſi poenae conuentionalis

tionalis nomine, allegare queam eamdem. POENA enim CONVENTIONALIS est malum, quod alteruter contrahentium, pacti conditiones non obseruans, ex conuentione sustinere debet. V. g. Aufidius paciscitur cum Laelio, vt solutis statim CC. aedes suas, venditas sibi, post mensis decursum tr dat, aut decem soluat. Malum adest respectu Laelii, fit enim conditio eius per solutionem X. deterior; adest delictum, licet naturale, fides non seruata. E poenam hic obserues conuentionalem. Neque quicquam impedit, quo minus poena conuentionalis aequalis constitui possit quantitati vsurarum, quantitas enim, vt accidentale, naturam rei non mutat. Fingas Seruium Silio mutuo dare C. solutionem promitti post anni decursum, eaque non praestita, in singulos, vsque dum soluatur, annos, V. Obseruabis poenae, non vsurarum loco, solui V. non debentur enim compensationis ergo, sed ob retardatam solutionem, nec primo anno quicquam soluitur. Ad quod si animum attenderis, nunquam in determinandis duabis his notionibus errabis. *Poena conuentionalis.*

(c) Hanc solam speciem retinere fas est, quippe quae cum suppeditata supra definitione vsurae vnice conuenit. Vid. *L. 60. pr. D. pro soc* Reliquas et STRAVCHIVS *Diss. ad Inst. XVIII.* ac THOMASIVS iam olim resecuerunt.

(d) Si quis ab egeno, aut, qui ipse lucrum nullum ex sorte habet, vsuras exigit.

§. CCCCXXVII.

CENTESIMAE VSVRAE sunt, si pro sorte C. thaleros aequante singulis annis XII. soluantur (a); si vnitas, VNCIARIAE (b); si duo, SEXTANTES; si tres, QVADRANTES (c); si quatuor, TRIENTES (d); si quinque, QVINCVNCES (e); si sex, SEMISSES (f); si septem, SEPTVNCES; si octo, BESSES (g); si nouem, DODRANTES; si decem, DEXTANTES; si vndecim, DEVNCES (h) dicuntur. *Centesimae vsurae; vnciariae; sextantes; quadrantes, trientes; quincunces; semisses; septunces, besses; dodrantes; dextantes; deunces.*

(a) Centesimae dicuntur ab eo, quod centum mensibus sortem aequarent, atque sic singulis mensibus vncia debea-

debeatur. Vid. ANT. AVGVSTINVS *Emend. II. c.* 10. CVIACIVS *ad Pand. p.* 109. GRONOVIVS *de pec. vet. III.* 13. Inde *centesimare* IVL. CAPITOLINVS dicit, pro animaduertere in centesimum militem. OPIT. MACRIN. c. 12. *L.* 2. *C. Theod. de vsur. Nou.* 130 Haec quidem antiquior centesimae notio fuit, cum pro centesima sortis parte venit. *L.* 4. *§. f. D. de naut foen. L.* 1. 2. *C. de vsur. rei. iud.* Recentiori vero epocha centesimas vsuras dixere, si de C. soluerentur XVI½, vel de 72. 12. HARMENOPVLVS *Epitom.* 3.

(b) *L.* 47. *§.* 4. *D. de administr. tut.* COSTANVS *quaest. mem. Cap.* 1. *§.* 20. *apoth. V.*

(c) *L.* 21. *§.* 4. *D. de ann. legat.*

(d) *L.* 26. *§.* 1. *C. quand. dies legat. L.* 3. *§. f. ad L. Falc.*

(e) *L.* 17. *D. de vsur. L.* 7. *§.* 10. *D. de adm. tut. L.* 15. *D. de adm. legat.* PERSIVS *Satyr. V. v.* 145.

(f) *L.* 30. *pr. D. de adm. leg. L.* 3. *D. quod iuss. L.* 24. *D. de praescr. verb.*

(g) *L.* 26. *§.* 1. *C. de vsur.* VITRVVIVS *de Architect. Rom. L. IIII. c.* 1. CICERO *ad Attic. L. IIII. Ep.* 15. *L.* 7. *§.* 10. *D. de administr. tut.*

(h) Vid. PERSIVS *Satyr. V. v.* 749. *sq.*
Quid petis? vt nummos, quos hic quincunce modesto
Nutrieras, auidos pergant sudare DEVNCES?

§. CCCCXXVIII.

Anatocismus; coniunctus; separatus.

Vsurae, pro retentione vsurarum soluendae, ANATOCISMVS (*), et quidem, si vsurae sortem augent, CONIVNCTVS; sin separatam sortem constituunt, SEPARATVS dicuntur.

(*) S. Anatochia, ab ἀνὰ et τόκος, vel τοκισμὸς, quod foenus denotat. Vid. CICERO *Ep. ad Attic. Lib. V. ep.* 21. SALMASIVS *de mod. vsur. c.* 3.

§ CCCCXXVIIII.

Interusurium.

Id quod ex anticipata solutione quantitatis in diem debitae debitori accedit, creditori vero decedit, INTERVSVRIVM (*) dicitur.

(*) S.

(*) S. est differentia inter pecuniam in certum diem debitam, et praesentem eius valorem, s. quanto plus petat, qui tempore plus petit, et quanto minus soluat, qui, post aliquod tempus debiturus, nunc soluit. Conf. B. LEIBNITIVM *in Act. erud. Ann.* 1683. *p.* 475. Alii interusurium tempus intelligunt, quo vsurae non soluuntur, nitentes *L.* 66 *ad L. Falc.* et *L.* 9. *§. f. D. de pecul.* Sic *Interordinium* pro vacuo loco inter ordines, IVL. COLVMELLA *L. III. de re rust. c.* 15. *Intercolumnium* pro spatio vacuo inter columnas dicitur. CVRTIVS Ἐκλεγῶν *L. II. c.* 10. In citatis legibus vero non ipsum interusurium, sed spatium differentiae indicatur. Casus interusurii habes *in L.* 24. *§.* 2. *D. sol. matr. L.* 17. *D. quae in fraud. credit. L.* 31. *§.* 6. *D. de donat. int. vir. et vxor. L.* 22. *D. mand. L.* 66. *D. ad L. Falcid.*

§. CCCCXXX.

Vsuras sorti aequales ALTERVM TANTVM (*) dicunt. *Alterum tantum.*

(*) Vid. *L.* 9. *D. de public. L.* 3. *§. f. D. de iur. fisc. L.* 47. *§.* 1. *D. eod.* Idem est, quod tantumdem. *L.* 13. *pr. D. de lib. exhib.* Interdum duplum significat, vt in *L.* 10. *C. de vsur. §.* 19. 26. *I. de act.* W. Indolem vsurarum vltra alterum tantum crescentium et vtrum iure Rom. et Germ. praestari debeant? ostendit Io. PETR. DE LVDEWIG *de vsuris, praecipue vltra alterum tantum.* Hal. 1740. S.

§. CCCCXXXI.

Quantitas determinata (a), ex quantitate alia (b), alteri vendita (c), mihi obueniens, ANNVORVM REDITVVM nomine venit. *Annui reditus.*

(a) Quantitas determinata etiam vsura est, E. reditus vsuras dixit SCAEVOLA *L.* 30. *pr. D. de adim. vel transf. legat.* Sed non hauriendus annuorum redituum conceptus ex iure ciuili, quem potius iuri canonico debemus, vid. *c.* 12. *Extrauag. comm. de emt. vend.* Sunt tamen, qui vsuras palliatas annuos reditus interpretati sunt, differunt vero ab vsuris annui reditus, 1) quod hi emtione venditione, illae stipulatione s. pacto constituan-

ſtituantur, 2) hi ſint merx, illac commodum ſortis, 3) hi ſint principale, vſurae acceſſorium ſortis, 4) hi reuocari nequeant, illae ſint reuocabiles.

(b) Atque hoc ipſo ab aliis reditibus diſtinguuntur, qui alias res complectuntur, hocque ſenſu, quicquid ex re obuenit, determinatum aut indeterminatum, creſcens et decreſcens, *L. 5. §. 9. D. de reb. eor. L. pen. D. de vſu et vſufr. leg.* de quibus OVIDIVS *ex Ponto Lib. II. Ep. 3. v. 17.*

At REDITVS *iam quisque ſuos amat, et ſibi quid ſit*
Vtile, ſolicitis ſupputat articulis.

(c) Emtio venditio ex mente iuris canonici character diſtinctiuus eſt.

§. CCCCXXXII.

Foenus. FOENVS (*) dicitur vſura ſortis, lucrifaciendi animo mutuo ſumtae.

(*) Foenus haud raro idem denotat, quod vſura. *L. 24. D. de vſu et vſufr. leg.* Vid. etiam PLAVTVS *Aſin. Act. I. Sc. 1. in f.*

Nam, ſi mutuas non potero, certum eſt, ſumam FOENORE.

Mutuum enim gratuitum erat, foenus vſuras requirebat. NONIVS MARCELLVS *V. 70.* Foenus vſuram eſſe, omni caret dubio. Ita enim PAVLVS *L. 67. §. 1. D. pro ſoc. Si vnus ex ſociis, qui non totorum bonorum ſocii erant, pecuniam communem* FOENERAVERIT, VSVRASQVE *perceperit.* Vid. etiam *L. 1. pr. D. de vſur.* In hoc enim ab vſuris differt foenus, quod illae quaeſtum non reſpiciant, vt PAVLVS *L. 17. §. 3. D. de vſur.* dicit: *Vſuras non propter lucrum petentium, ſed propter moram ſoluentium infligi.* Foenus vero lucrum reſpicere docet *t. t. D. de foen. naut.*

§. CCCCXXXIII.

L. XXII. T. 2. *Pecunia traiectitia.* Quantitas, quam negotiatori, trans mare vecturo, noſtro periculo credimus, PECVNIA TRAIECTITIA, ſ. NAVTICA (*) dicitur.

(*) *L. 1. D. de naut. foen.*

§. CCCCXXXIIII.

§. CCCCXXXIIII.

Vſurae pecuniae traiectitiae NAVTICVM FOENVS dicuntur (*). *Foenus nauticum.*

(*) Titius, mercator Hamburgenſis, Burdegalam naui vecturus, lucrumque coemendis vinis ſibi comparaturus, a Caio duo millia ea lege mutuo ſumit, vt, ſi ſortem integram detulerit Burdegalam, ſingulis menſibus XXX. foenoris loco ſoluat, ſi vero perierit, neque ſortem nec vſuras recipiat Caius. Foenus nauticum dicitur.

§. CCCCXXXV.

Receptio periculi rerum, de loco in locum (a) transuehendarum, accepto, ſi translatae fuerint, praemio, ASSECVRATIO (b); Inſtrumentum contractus aſſecurationis POLIZZA dicitur. *Aſſecuratio: Polizza.*

(a) Mari an terra fiat, perinde eſt. W. Huc etiam pertinet obligatio ad redimendos captiuos ſuſcepta. PETR. MULLER *de redemtione captiuorum.* De cetero ſuper vniuerſa adſecurationum, praeſertim maritimarum, indole, adeundus IVST. WEDDERKOPP in *introd. ad ius naut. III, 7. p. 98. ſqq.* Scripta huc pertinentia indicaui in *Elem. iur. germ. §. 599. p. 702.* S.

(b) Barbara haec vox eſt, pro praeſtatione ſecuritatis, vel magis indemnitatis, Romanis ignota, licet res ipſa cognita iis fuerit. Vid. LIVIVS *Hiſt. Rom. Lib. XXIII. c. 49.* et SVETONIVS *in Vita Claudii c. 18.* Ponam caſum: Lucius, Amſtelodamenſis, Vliſſipona nauim mercibus bene onuſtam expectat, periculum nauis et mercium in ſe recipiente Seio, addito pacto, de ſoluendis huic aliquot millibus, ſi nauim appulerit iſta. Redit nauis, et Lucius promiſſa millia Seio ſoluit, quum perdita naui Seius Lucio aeſtimationem et nauis et mercium praeſtare debuiſſet.

§. CCCCXXXVI.

MVTVVM, magiſtro nauis vel exercitori datum, ſi carina nauis redierit, cum foenore conuento reddendum, BODMERIA (*) dicitur. *Bodmeria.*

 (*) Di-

(*) Dicitur a carina nauis, vom Boden des Schiffs; Sempronius, Lubecensis, aromatibus negotiationem exercens, nauim in orientalem Indiam ad conquirenda ea mittit; eget autem hoc tempore pecunia; mutuam eam a Caio sumit sub vsuris maioribus, hac adiecta conditione, vt, si pars nauis inferior appulerit, soluantur vsurae, sin minus, pecunia periculo credentis sit; Bodmeria hoc ipsum negotium est. W. Addi debebat in definitione: in casu nauis non redeuntis sortem et vsuras amitti. Cf. WEDDERKOPP *l. c. III. 11. p. 145. sqq.* S.

§. CCCCXXXVII.

Vitalitium. Acceptio vsurarum maiorum ad dies vitae sub periculo sortis, VITALITIVM (*) dicitur.

(*) Anicius Tuberoni summam 10000. thal. concedit nunquam restituendam; hoc addito pacto, vt hic illi quotannis 500. soluat; Anicius cum Tuberone vitalitium contractum celebrauit. Germ. dicitur Leibrenthen. W. Caussas rescindendi hunc contractum recensent DE PVFENDORF *T. I. obs. 60.* et GE. H. AYRER *de rescissione contractus vitalitii.* Goett. 1750. S.

§. CCCCXXXVIII.

L. XXII. T. 3. *Probatio; Reprobatio; Veritas; Falsitas.* Demonstratio rationis sufficientis veritatis alicuius, PROBATIO (a); Demonstratio rationis sufficientis falsitatis eius, quod alter probare voluit, REPROBATIO (b); VERITAS autem conuenientia propositionis, vel iudicii nostri cum obiecto, FALSITAS vero disconuenientia propositionis, vel iudicii nostri cum eodem dicitur.

(a) Ponas: Titium adfirmare, aedes, quas ego vt meas possideo, suas esse. Negante me idipsum, illi incumbit probatio. Probaturus allegat rationem, ob quam easdem suas dixit Titius, hereditario iure ad eum deuolutas, testatorem eas emisse a Seio, patrique meo easdem locasse. Demonstrat hanc rationem; i. e. nexum, vel conuenientiam propositionis cum re ipsa ostendit, atque quoad prius producit testamentum Auli, quoad

quoad alterum, instrumentum emtionis venditionis a Seio subscriptum, quoad tertium vero, duos honestos viros, sua fide atque iuramento testantes, patrem Titii meo parenti dictas aedes locasse; Probauit adsertum suum Titius.

(b) Vel potius refutatio, vt dicitur *Not. LXXXX.* Quodsi ego in casu not. praec. demonstrauerim, testamentum nouiori testamento sublatum esse, instrumentum emtionis venditionis, quod alter venditat, non nisi nudos tractatus, nomenque venditoris manu tertii additum fuisse, testes esse suspectos, actorisque consanguineos, reprobaui aduersarii propositionem.

§. CCCCXXXVIIII.

Demonstratio veritatis facti per ratiocinationem ex eodem, PROBATIO ARTIFICIALIS (a); Demonstratio veritatis facti ex circumstantiis extrinsecis, PROBATIO INARTIFICIALIS (b); Probatio iurium DEDVCTIO (c) dicitur. *Probatio artificialis; inartificialis; Deductio.*

(a) V. g. Mucius Seium conuenit mutui C. thalerorum, patri eiusdem Sempronio MDCCVIIII. dati. Seius demonstrat patrem suum MDCCVI. obiisse, atque subsumit: E. tres annos post obitum suum contrahere nequiuit. Probatio haec artificialis est, ratiocinatus namque Seius erat ex facto aliquo, tempore sc. mortis parentis sui.

(b) Huc referas testes, instrumenta, etc. de quibus suis locis.

(c) Aulus demonstrat ius venandi in silua aliqua sibi competere, atque euincit, idem non esse regale. Seius demonstrat sibi competere ius succedendi in feudo aperto, idque ex natura feudorum femininorum.

§. CCCCXL.

Demonstratio aut dubium aliquod oppositi relinquit, aut nullum. Hoc casu PLENA (a), illo vero MINVS PLENA dicitur PROBATIO. *Probatio plena; minus plena;*

Du-

semiplena maior; minor. Dubium, quod remanet aut aequale est demonstratae veritati, aut ea maius aut eadem minus. Isto casu PROBATIO SEMIPLENA (b), illo SEMIPLENA MAIOR (c), hoc SEMIPLENA MINOR (d) vocatur (e).

(a) Titius ac Caius, homines probi ac integrae famae, testantur se vidisse solutam a Caio Meuio esse summam D. thalerorum, ex contractu emtionis venditionis debitam; Dubium nullum est, rem ita se habere, quum error h. c. metuendus non sit, duo quum idem se vidisse testentur, vterque vero integerrimi homines sint.

(b) Aufidius testatur idem, isque solus; Idem illaesae existimationis vir est, omnibus requisitis ad veritatem dicendam instructus, Aufidius semiplene probat, potuit enim errare in ratione vel caussa solutionis. Huius igitur probatio vt plena fiat, alia huic aequipollens requiritur probatio.

(c) Quodsi Aufidio accesserit Titius, sed Caii consanguineus, eaque propter suspectus, probatum magis quam semiplene.

(d) Caelius, homo inconstans, partium studio celebris, si testatus fuerit aliquid, fidem non magnam meretur, adeoque minus quam semiplene probatum dedit assertum suum.

(e) Ne te offendat adhibitum demonstrationis rigorosum vocabulum, memineris et ex principiis probabilibus et possibilibus posse demonstrari.

§. CCCCXLI.

Notorium. Omne, quod ob perspicuitatem suam probatione non indiget, NOTORIVM dicunt (*).

(*) Sed vereor, ne notio haec, praesertim, si de facti notorietate quaeratur, inanis sit. Notorium allegante altera parte, altera notorium esse negabit. Probandum E. esse notorium. Probato hoc, ipsum factum probatum est. Alias factum tale dicunt *manifestum*, id vero, quod iudici ex actis patet, *liquidum*. W. Forte notio *notorii* ita definiri potest, vt comprehendat actus, de quibus iudici vel ex officii ratione aliunde constare debet,

debet, vel qui in oculis omnium euenerunt, vt, sine stupbris notione, neminem latere potuerint. Io. SAM. STRYCK *examen doctrinae de notorio.* Hal. 1706. S.

§. CCCCXLII.

Assertio facti, ob rationes probabiles, PRAESVMTIO (a); rationibus probabilibus si lex accedit absolute, PRAESVMTIO IVRIS et DE IVRE (b), si secundum quid, donec scilicet contrarium fuerit probatum, PRAESVMTIO IVRIS (c), si ratio probabilis ex facti circumstantiis eruitur, PRAESVMTIO HOMINIS (d) dicitur. *Praesumtio; iuris; hominis; iuris et de iure.*

(a) CICERO *Verrin. IIII.* existimationem vocat.

(b) Exemplum, omnibus notum, est in *c.* 12. *X. de praesumt.* Seius cum Titia, Titii vxore, in eodem lecto nudatis corporibus decumbentes deprehenduntur; Titius diuortium petit et obtinet, praesumitur namque adulterium, omni reprobatione exclusa. W. Vulgo has probationem contrarii admittere negant; quam opinionem sub examen vocauit G. L. MENKEN *de praesumtionibus iuris et de iure contrariis probationem admittentibus.* S.

(c) Qualis est praesumtio pro libertate naturali, quae contrarii probatione excluditur.

(d) Quorsum pertinet status, vel alia conditio personarum, ex quibus probabili modo colligitur: Vtrum furtum fecerit Caius, Sempronium occiderit Lucius etc.

§. CCCCXLIII.

Scriptura, in rei gestae memoriam fidemque confecta, INSTRVMENTVM (a) vocatur. Quodsi a personis, quibus auctoritas atque fides imperantis voluntate concessa (b), aut in causis, salutem reipublicae respicientibus (c) confecta sint, PVBLICA; Si a personis, quibus ab imperante auctoritas ac fides speciatim non concessa, L. XXII. T. 4. *Instrumentum; publicum; priuatum; quasipublicum.*

cessa, aut de τῷ suo ciuium confecta, PRIVATA (d); Priuata instrumenta, a tribus viris honestis subscripta, QVASI PVBLICA (e) vocantur.

(a) Et quidem in significatu strictiori, quem IVSTINIANO *Imp. L. 1. C. de eur. propt. cal.* placuisse videmus; Separauit enim ab instrumentis alias literas. Conf. insuper *L. 4. 5. 6. D. L. 6. 10. C. de fid. instr. L. 14. 29. D. et L. 7. 24. §. 12 - 14. C. de prob.* Latiori significatu instrumentum omne id denotat, quod causam instruit, s. quod facit ad distinctum facti conceptum, atque ideo et testes complectitur. Vid. *L. 1. D. de fid. instrument.* W. Omnes de instrumentorum notione ac diuisione controuersias docte percensuit GE. KREKEMEYER in diatribe *de instrumentorum definitione, diuisione, fide, recognitione ac diffessione.* Goett. 1743. S.

(b) Eiusmodi personae sunt Iudices, Notarii, Actuarii iudicii etc.

(c) V. g. quae aguntur in comitiis, vel Deputationibus Imperii, in pacificationibus etc. E. Recessus Imperii, Deputationum, Visitationum, Instrumenta pacis, publica instrumenta sunt.

(d) V. g. Chirographa, Syngraphae, Apochae etc.

(e) Vid. *L. 11. C. qui pot. in pign.*

§. CCCCXLIIII.

Instrumentum guarantigiatum.

INSTRVMENTVM, per omnia liquidum (a), dicitur GVARANTIGIATVM (b).

(a) Liquidi notionem vid. supra §. CCCVI.

(b) Alias executiuum, confessatum. W. Generatim dicitur *instrumentum guarentigiatum*, ex quo primo obtutu adparet, quid? quale? quantum? debeatur. S.

§. CCCCXLV.

Instrumentum indiscretum.

INSTRVMENTVM, quod rationem sufficientem, cur quis debeat, non exhibet, INDISCRETVM (*) dicitur.

(*) L. 25.

(*) *L. 25. §. f. D. de prob.* Dicitur etiam *indeterminatum. c. 14. X. de fid. instr.* Sic v. g. si quis chirographo inseruisset: Ich zu Ende benannter bekenne hiermit, daß heute dato dem Herrn N. 100. Rthlr. schuldig worden bin ꝛc. dubium foret, vtrum ex mutuo, an ex emto vendito, vel alio contractu deberetur. W. *Indiscretum* dicimus *instrumentum*, in quo caussa debendi non exprimitur. GE. ENGELBRECHT *de instrumentis indiscretis*. S.

§. CCCXLVI.

Instrumentum, a Principe, aut eius nomine datum, DIPLOMA dicitur (*). *Diploma.*

(*) Idque a voce διπλόω, quod bis complicari solet, ne sigillum laedatur. In specie illud, quo olim exules restituebantur, CICERO *ad famil. Lib. VI. Ep. 12.* et quae cursoribus publicis dabantur, quaeque vernacula Post-zettul dicimus, Diplomatum nomine veniebant, *L. 27. §. 2. D. ad L. Cornel. de fals. L. 137. D. de verb. oblig.* Specialissimo significatu rescriptum gratiae ita vocari consueuit W. Falsum est, quod AVCTOR adserit, *diplomatis* nomine tantum instrumenta, Principum nomine condita, insigniri, cum potius ex vsu praesertim medii aeui, et hodierno denotent omnia instrumenta, in memoriam rerum vel factorum ciuilium consignata. Conf. IO. CHR. GATTERERI *elem. artis diplom. vniuers. T. I. §. 4. p. 4. sq.* S.

§. CCCCXLVII.

Instrumentum priuatum, de negotio vnilaterali confectum, CHIROGRAPHVM (a); de negotio bilaterali vero, SYNGRAPHA (b); in quo solutionem factam creditor profitetur, APOCHA (c); in quo eamdem a se iure factam esse fatetur debitor, ANTAPOCHA (d) appellatur. *Chirographum; Syngrapha; Apocha; Antapocha.*

(a) Chirographum in genere quodlibet instrumentum, vel quamlibet scripturam authenticam notat; compositum enim est ex voce χεὶρ, quod manum, et vocabulo γράφειν, quod scribere significat. Conf. *L. 30. D. qui*

D. qui test. fac. poss. L. 24. D. de prob. In specie verò ad vnilaterales contractus, mutui v. g. se refert chirographum. Vid. *L. 44. D. de leg. 1. L. 59. D. de leg. 3.*

(b) Optime ASCONIVS *in Ciceronis Verrin. I. c. 36. Inter* SYNGRAPHAS, inquit, *et caetera* CHIROGRAPHA *hoc interest, quod in caeteris tantum, quae gesta sunt, scribi solent: in syngraphis etiam contra fidem veritatis pactio venit, et non numerata pecunia, aut non integre numerata, pro temporaria voluntate hominum scribi solet, more instituteque Graecorum; et caeterae tabulae ab vna parte seruari solent: Syngraphae signatae vtriusque manu, vtrique parti seruandae traduntur.* Syngrapha itaque ad contractum v. g. emtionis venditionis, locati conducti etc. pertinet.

(c) Vid. *L. 24. §. 2. C. de non num. pec. L. f. §. 2. D. de condict. indebit.* Vernacula dicitur eine Quittung.

(d) Vid. *L. 19. C. de fid. instr.* Germ. eine Gegen-Quittung.

§. CCCCXLVIII.

Instrumentum mortificationis.

INSTRVMENTVM, quo aliud, tempore prius, aboletur, MORTIFICATIONIS vocatur (*).

(*) Sed barbare admodum. Germ. ein Mortifications-Schein.

§. CCCCXLVIIII.

Inuentarium.

Instrumentum, bonorum cuiusdam consignationem exhibens, INVENTARIVM (*) dicitur.

(*) Minus latinum vocabulum, ac voce repertorii emendandum esse, vel VLPIANVS *L. 7. pr. D. de adminiſtr. et pericul. tut.* monuit, scribens: *Tutor, qui* REPERTORIVM *non fecit, quod vulgo* INVENTARIVM *appellatur etc.*

§. CCCCL.

Protocollum.

Prima eorum, quae in iudicio, aut coram Notario acta fuere, consignatio, PROTOCOLLVM (*) audit.

(*) Dici-

(*) Dicitur a voce πρῶτος et κόλλος, primo glutine, quod olim in agglutinata charta scriberetur. Vid. SALMASIVS *Historia August. p.* 703. et conf. *Nou.* XXXIIII. *c.* 7. S. STRYCK *de iure protocolli.*

§. CCCCLI.

Producere instrumenta in iudicio, eum in finem, vt alter eadem legat, aut describat, EDERE (a); eorum vero summam confiteri, RECOGNOSCERE eadem (b) dicitur. *Edere; Recognoscere instrumenta.*

(a) Vid. §. CXXXV. Ita GAIVS *L.* 10. *§.* 2. *D. de edend. Edi autem ratio ita intelligitur, si a capite edatur, (nam ratio, ut inspiciatur, intelligi non potest) sc. vt non totum cuique codicem rationum - - - sed, vt ea sola pars rationum, quae ad instruendum aliquem pertineat,* INSPICIATVR *et* DESCRIBATVR.

(b) VLPIANVS *L.* 56. *D. de V. S. Cognoscere instrumenta est relegere et recognoscere.* Recognoscere vero esse scripta agnoscere, patet ex *L.* 15. *D. ad L. Cornel. de fals.* W. Haec recognitio quoque per testes et comparationem litterarum peragi potest. I. F. WAHL *de recognitione instrumentorum per testes et comparationem litterarum.* Goett. 1750. S.

§. CCCCLII.

INSTRVMENTVM, propria eius, cuius interest, manu scriptum, vel subscriptum, AVTHENTICVM (a); ex authentico descriptum, EXEMPLVM (b), s. COPIA; ex Protocollo Notarii descriptum, TRANSSVMTVM; Exemplum, cum authentico a Notario collatum, VIDIMATVM (c) dicitur. *Instrumentum authenticum Exemplum; transsumtum; vidimatum.*

(a) It. das Original. IMPP. *in L.* 5. *C. de diuers. rescript.* ita rescripsere: *Sancimus, vt* AVTHENTICA *ipsa, atque* ORIGINALIA *rescripta et nostra etiam manu scripta, non* EXEMPLA *eorum, insinuentur.* Authenticum enim in specie dicebatur scriptura principis. Vid. §. XVII. Vid. praeterea *L.* 2. *D. de fid. instr. L. f. D. quemadm. testam. aper. L.* 8. *D. fam. ercisc.*

(b) Vid.

(b) Vid. *LL. not. praeced.* alleg. et CICERO *ad Attic. Lib. VIIII. ep.* 13.

(c) Barbara dictio, a subscribentis Notarii formula: *Vidimus, concordare vidi etc.* repetenda.

§. CCCCLIII.

L. XXII. T. 5. *Testes; instrumentales; exceptione maiores.*

Personae, quorum effatis ratio sufficiens veritatis assertae probatur, TESTES; eorum recognitione si instrumenti subscriptio probatur, INSTRVMENTALES; quorum personis nihil opponi potest, TESTES EXCEPTIONE MAIORES dicuntur.

§. CCCCLIV.

Terminus probatorius.

Dies, probationi peragendae praefixus, TERMINVS PROBATORIVS audit.

§. CCCCLV.

Articuli probatoriales; Producens; Productus; Interrogatoria; generalia; specialia.

Propositiones, quarum veritas a testibus adferenda, ARTICVLI PROBATORIALES; qui eos proponit, vt testes eos afferant, PRODVCENS; contra quem proponuntur, PRODVCTVS (a); Propositiones a producto articulis additae, vt testes et ad eas respondeant, INTERROGATORIA; quae, si statum ac personam testium respiciunt, GENERALIA (b), si rem ipsam, SPECIALIA (c) dicuntur.

(a) Inconcinne satis. Testis, non is, contra quem probatio fit, producitur.

(b) V. g. Wie Zeuge heisse? Wie alt er sey? Wo mit er sich nähere? Ob er einem oder dem andern Theil mit Freundschafft zugethan? ꝛc.

(c) V. g. Woher Zeuge solches bejahen könne? Ob Zeuge solches selbst gesehen habe?

§. CCCCLVI.

§. CCCCLVI.

Deſignatio articulorum, ad quos quilibet teſtium reſpondere debet, DIRECTORIVM TESTIVM (*) vocatur. *Directorium teſtium.*

(*) Hoc ita diſponitur:
Teſt. 1mus ad art. 1. 2. 3. 4. 30. 31. 32. *et* 33.
Teſt. 2dus ad eosdem.
Teſt. 3tius ad art. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. et 29.
Teſtis 4tus ad omnes.

§. CCCCLVII.

Mutua impugnatio ac defenſio eius: An ſufficienter probatum ſit? DISPVTATIO ATTESTATIONVM (a) dicitur. Inſtrumentum, teſtium effata continens, ROTVLVS (b) TESTIVM eſt. *Diſputatio atteſtationum; Rotulus teſtium.*

(a) Vid. *Nou. LXXXX. c. 4.* CICERO *pro Cluent.* QVINCTILIANVS *Lib. V. c. 7.*

(b) Rotulus dictus, ni fallor, ex eo, quod in cylindri formam conuolueretur charta, vel membrana, in qua tale inſtrumentum erat ſcriptum. Huc digitum intendere videtur FORTVNATVS *Lib. VII. Poemat. 18*
An tibi charta parum peregrina merce ROTATVR.
Germ. dicitur zuſammen rollen. Quando vero hic mos obtinuerit, docet DV FRESNE *Gloſſ. voc. Rotulus.*

§. CCCCLVIII.

ERROR eſt aſſenſus propoſitioni falſae datus (a); IGNORANTIA (b) vero defectus notitiae, et quidem, ſi eius, quod ex legum praeſcripto tribuendum alteri erat, IVRIS (c); eius vero, quod accidit, FACTI (d) vocatur. DVBITATIO (e) eſt abſtinentia ab actu affirmandi, vel negandi (f). L. XXII. T. 6. *Error; Ignorantia; iuris; facti; Dubitatio.*

 (a) Sic

(a) Sic falsa est propositio: Tutelam ex legibus Romanis dari pactitiam. Pacta enim priuatorum iuri publico derogare non possunt. Tutela vero iuris publici Romani erat. Quodsi igitur antea propositam thesin defenderis, errabis.

(b) Non scientiam, ignorantiam vocat BECMANNVS *Consp. doctrin. moral. c. 4.* imprudentia eadem dicitur *L. f. D. de extr. cognit.*

(c) Prohibitum est SCto Velleiano, ne mulieres fideiubentes compellerentur ad soluendum. Quodsi Caius, creditor Titii, intercessionem Tulliae accepit, eam tamen obligatam non esse nesciuit, ignorauit ius.

(d) Non vidi Lucio a Caio calendis Maii numeratam esse pecuniam ex mutuo debitam, non audiui Seium iniuriis onerasse Marcum; factum ignoro.

(e) Est aequilibrium mentis; tot et tanta ad affirmandum adsunt motiua, quot et quanta ad negandum propositam propositionem, proinde ad neutrum inclinat iudicium.

(f) Suppeditatas notiones vt facile ab inuicem distinguere poteris; ita tamen eas saepissime confundi videbis. Sic error cum ignorantia confunditur *L. 1. §. 1. 2. D. de iur. et fact. ignorant.* et *L. 18. D. de lib. caus.* dubitatio cum ignorantia.

§. CCCCLVIIII.

Ignorantia vincibilis; inuincibilis, s. probabilis. IGNORANTIA, ad quam remouendam viribus instructi eramus, VINCIBILIS (a); ad quam remouendam vires deficiebant, INVINCIBILIS (b) vel PROBABILIS dicitur.

(a) Qui Caio mutuo dat C. ignorans eum esse filiumfamilias, eius ignorantia vincibilis est; hoc enim comperire potuisset.

(b) Inuincibilis ignorantia est, quando nescimus futura contingentia, v. g. vtrum cras pluerit.

§. CCCCLX.

L. XXIII. T. I. *Sponsalia; Sponsus; Sponsa.* Pactum de futuris nuptiis SPONSALIA (a); Pacifcens masculus, SPONSVS (b); femina, SPONSA (c) dicitur.

(a) IVVE-

(a) IVVENALIS *Satyr. VI. v. 25. sq.*

Conuentum tamen et pactum et sponsalia nostra
Tempestate paras.

Vid. TACITVS *Annal. Lib. XII. c. 5.* FLORENTINVS *L. 1. D. de sponsal.* eadem *mentionem et repromissionem futurarum nuptiarum* dixit, neque propterea reprehendendus mihi videtur. Ad paciscendum duo ad minimum requiri, promittentem nempe et acceptantem, supra §. CXLII. docui. Mentio significat ambitum sponsi, repromissio consensum sponsae; adeoque non opus erat mutatione HOTOMANNIANA ad h. l. in mutuam repromissionem, repromissio enim semper promissionem supponit.

(b) Vid. *L. 3. D. de sponsal.* et *not. sequ.*

(c) *Sponsa* dicta a spondendo vel sponsione, seu stipulatione, mediante qua illa contrahebatur. *L. 2. D. de sponsal.* Elegans huius testimonium exhibet PLAVTVS *in Poenulo Act. V. Sc. 3. v. 37. sq.*

A. Audi tu patrue! dico, ne dictum neges:
Tuam mihi maiorem filiam despondeas.
P. Pactam rem habeto. A. Spondesne igitur?
P. Spondeo. A. Mi patrue! salue, nam nunc es plane meus.

Ex quo totum negotium liquebit. Vid. IDEM in *Aulular. Act I. Sc. 4. et Act. II. Sc. 11. v. 77. sq. Trinum. Act. V. Sc. 2. v. 14. sq. et Curcul. Act. V. Sc. 4.* Errat igitur VERRIVS FLACCVS apud FESTVM *de Verbor. signif. h. voc.* putans, sponsas dici ἀπὸ τῆς σπονδῆς, libamine, in confarreationis ritu adhiberi solito, id quod clarius adhuc patet ex ARNOBIO *aduers. gent. X. p. 140.* Stipulatione promissas virgines, *sponsas*, nudo pacto, *pactas*, *destinatas*; nondum vero promissas, *speratas* appellabant Romani. Vid. GVNDLINGIANA *Part. X. p. 380.* Confarreatae erant vxores, non sponsae.

§. CCCCLXI.

SPONSALIA hac ratione inita, vt de iis cuilibet constare possit, PVBLICA (*); ita vero inita, vt nemini, nisi desponsatis, de iis initis constet, CLANDESTINA vocantur. *Sponsalia publica; clandestina.*

(*) Ea vero sponsalia, in quibus contrahendis parentum propinquorumque consensus adhibetur, aut

quibus parochus vel testes adsunt, ita comparata sunt, vt de iis contractis possit constare. E. ea publica dicere non repugnat. Publici notionem si ita interpretari velis, vt denotet id, quod secundum leges fit, me non in totum habebis dissentientem. Sed finem legum in solemnitatibus sponsaliorum esse, vt de iis initia cuilibet constare possit, simul non negabis. Constare autem de iis debet, ne ius quaesitum alteri auferatur. W. Quid iure hodierno inter sponsalia publica et clandestina intersit? docui in *Elem. iur. germ.* §. 415. *sq.* S.

§. CCCCLXII.

Sponsalia pura; in diem; conditionata.

Sponsalia, quorum implementum, nullo, neque tempore, neque conditione, limitatur, PVRA; quae a tempore, IN DIEM (a); quae a conditione limitantur, CONDITIONATA (b) sunt.

(a) V. g. Si Caius ac Caia pactum inierunt de celebrandis nuptiis post decursum anni.

(a) Conditionum variae species sponsaliorum conditionatorum diuersitatem efficiunt. Sic, si Seius pactus fuerit cum Seia: Se velle eam ducere vxorem, si speratum Consiliarii munus in eum propediem conferatur.

§. CCCCLXIII.

Sponsalia de futuro et de praesenti.

SPONSALIA, quibus effectus matrimonii pacto desponsatorum applicantur, DE PRAESENTI; quibus non, DE FVTVRO dicuntur (*).

(*) Conf. *c. p. X. de spons.* et Perill. Dn. BOEHMERI *Diss. de incongrua praxi sponsal. de fut. et de praesenti.* Caetera ad ius Canonicum. W. Adde inprimis DAN. NETTELBLADT *de genuina sponsalium de futuro et de praesenti notione.* Hal. 1750. S.

§. CCCCLXIIII.

Arrha sponsalitia.

ARRHA SPONSALITIA est signum pacti de futuris nuptiis (*).

(*) Arrham

(*) Arrham signum quandoque perfecti, quandoque perficiendi contractus esse, supra §. CCCLXXXVI. obseruaui. Arrha igitur sponsalitia est signum initorum sponsaliorum, perficiendi vero adhuc matrimonii. *L. 3. C. de sponsal.* Consistit autem potissimum ex annulis, localibus, et aliis pretiosis, quae nouis nuptis arrharum nomine damus et ab iis viciſſim accipimus. Plebeiae sortis homines librum hymnorum argento ornatum sponsis suis offerre amant.

§. CCCCLXV.

Donationes inter sponsum et sponsam, SPONSALITIAE LARGITATIS nomine veniunt (*). *Sponsalitia largitas.*

(*) De qua vid. *L. 32. §. pen. D. de donat. int. vir. et uxor.*

§. CCCCLXVI.

Societas inter masculum et feminam, procreandae sobolis gratia inita, CONIVGIVM (a), s. MATRIMONIVM (b) est. Coniugium, iuribus ciuitatis gaudens (c), NVPTIAE (d); Socii huius societatis, CONIVGES (e), et quidem mas, MARITVS (f); femina VXOR (g) dicuntur. L. XXIII. T. 2. *Coniugium; Nuptiae; Coniuges; Maritus; Vxor.*

(a) Distinctam societatis cuiusdam sibi formaturo ideam ad finem eiusdem, quippe in quo vnius ab altera differentia deprehenditur, respiciendum erit. Coniugium autem societas est, coëunt namque homines diuersi sexus ad certum finem. Quisnam hic sit, curatius paulo dispiciendum erit, idem quum palmarius coniugii character sit. Mas et femina in societatem coeuntes finem sibi aut talem proponunt, ad quem obtinendum mas mari et femina feminae alias sufficiebat, et tum innumerarum societatum fundamen esse potest; aut diuersitas sexus rationem sufficientem societatis istius continet. Tum iterum aut libidinis exstinguendae gratia hoc ipsum fit, et erit FORNICATIO; aut liberorum procreandorum causa, et erit CONIVGIVM. Esse autem coniugii finem sui similis pro-

creationem, vel ex naturali ratione, gentium moribus, immo ex instituto diuino, Gen. I, 28. *crescite et multiplicamini.* patet. Graecos hunc finem ob oculos habuisse coniugium celebrando, eaque propter idipsum definiisse per *γάμον συνοδὸν ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς κατὰ νόμον ἐπὶ γνησίων τέκνων σπορᾷ*, notat IVSTVS LIPSIVS ad TACITI *Annal. Lib. XI. c. 15. p. 685.* Idem seruasse Romanos, ita quidem, vt nuptias contracturi, se liberorum quaerendorum causa id facere, testarentur non solum, sed et iuramento firmarent idem. Vid. GELLIVS *Noct. Attic. Lib. IIII. c. 3.* TACITVS *Annal. Lib. XI. c. 27* VLPIANVS *Fragm. Tit. III. §. 3. L. 9. C. de nupt.* Latius haec deducta videbis in Diss. nostra *de Necess. parentum consens. in nupt. liber. cum legitim. tum legitimat. Cap. I. §. 1. not. a.* Sed, nec procreationem sobolis solam finem coniugii esse, esse et simul procreatae sobolis iustam educationem, ideoque, quod fecit Perill. L. B. de WOLFF vern. Ged. vom gesellschafftlichen Leben, §. 16. B. Dn. HEINECCIVS *Elem. iur. nat. L. II. §. 28.* Cel. CANZIVS *Discipl. moral. §. 774.* factumque in nostra *Diss. cit. §. 1.* addendum fuisse vocabulo procreandae illud: *et educandae* sobolis, obiicies! Sed veniam dabis, quod mutauerim consilium, atque educationis obligationem, vt propositionem, ex coniugii notione demonstrandam, ex definitione exulare voluerim. Neque praeterea societatem hanc dixi aequalem, quod facere solent omnes; Aequalitas essentiale coniugii non est, sed naturale vel accidentale. W. Matrimonium, etiam sine animo procreandi liberos, iniri posse, eleganter demonstrauit C. F. HOMMELIVS *in diss. de matrimonio sine proposito liberos procreandi legitimo.* S.

(b) *Matrimonium*, quod a matris nomine, per id acquirendo, dictum vult GELLIVS *Noct. Attic. Lib. XVIII. c. 6.* cum coniugio, non cum nuptiis synonymum est. Equidem negare non possum, matrimonii et nuptiarum vocabula interdum non satis accurate in legibus Romanis distingui; fieri tamen id saepius, indicio sunt *§. 12. I. de nupt. L. 10. D. eod. L. pen. D. de don. int. vir. et uxor.* Optime ex his tricis extricari poterimus duce PAPINIANO, dicente: Ciuem Romanum peregrinam *sine connubio* in *matrimonio* habuisse, vid. *Collat. Leg. Mosaic. et Rom. Tit. IIII. §. 5.* quod vlterius persequitur HOTO-

MANNVS

MANNVS *in Obſ. de ritu nupt. c.* 15. SCHVLTINGIVS *in Iurisprud. Anteiuſtin. p.* 54. NOODTIVS *ad Tit. D. de rit. nupt. Tom. II. Oper. p.* 481. Conſtat enim, inter ciuem Romanum et peregrinam, peregrinumque ac ciuem Romanam nuptias fuiſſe nullas, vid. VLPIANVS *Fragm. V.* 4. PAVLVS *Recept. Sent. II.* 19. 6. SENECA *de Benefic. Lib. III. c.* 35. MACROBIVS *I. Satyr. I. v.* 6. HORATIVS *Od.* 4. *Lib. III.* iisque poſt ciuitate Romana donatis ius connubii, quod nuptiis aequipollet, datum, qui mulieres antea in matrimonio habuerant. Vid. SPONIVS *in Miſcell. erudit. antiqu. Sect. VII. art.* 11. *p.* 244. GRVTERVS *Inſcript. p.* 573. Alii matrimonii et nuptiarum diſcrimen hoc faciunt, quod prius ad viros, poſterius ad mulieres referatur. Vid. AVSONIVS POPMA *de Different. verbor. p. m.* 300.

(c) MODESTINVS *L.* 1. *D. de rit. nupt.* nuptias vocat: *Coniunctionem maris ac feminae, conſortium omnis vitae, diuini ac humani iuris communicationem*, et TRIBONIANVS §. 1. *I. de patr. poteſt. viri ac mulieris coniunctionem, indiuiduam vitae conſuetudinem continentem*, idem dixit. *Coniunctionis* vocabulum hic continuum actum ſignificat, qualem omnia fere in *io* deſinentia indicare, Philologi volunt, vt *certatio, obſeruatio.* Vid. HVBER. *Praelect. ad Inſtit. p.* 15. Conſortium omnis vitae, commoda et incommoda inter coniuges aequali ratione diuidenda eſſe, innuit. Communicatio diuini humanique iuris fiebat per confarreationis, ac coemtionis ritum, vid. DIONYSIVS HALICARNASSENSIS *Lib. III. p.* 95. HVBERVS *Digreſſ. P. I. D.* 17. *p.* 528. In TRIBONIANI definitione, quam ſummus Pontifex, mutando ſaltim verbum *continens* in *retinens*, quo indiſſolubilitatem vinculi coniugalis notanter indigitaret, in *c.* 11. *X. de praeſumt.* pariter ſuam fecit. *Indiuiduam vitae conſuetudinem* perpetuam et non interruptam copulam interpretatur CORASIVS *Lib. I. Miſc. c.* 8. vid. FABER ad *L.* 48. *D. de R. I.* vnde PROPERTIVS *Lib. II. Eleg.* 6.

Semper et vxor eris.

idque ſaltim, ſi primam intentionem reſpexeris, dein repudium ex iuſta cauſa conceſſum. *L.* 57. *D. de re iud. L.* 1. *D. rer. amot.*

(d) *Nuptiae* proprie ſolemnitates, quibus mas feminae iungitur, ſ. quibus connubium contrahitur, notant.

Ita CICERO *pro Cluentio* dixit: *Nuptias, plenas hilaritatis, plenas concordiae ac pudoris*. et TERENTIVS *Andr. Act. I. Sc. V. v. 33. sq.*

- - - - - - misera solicita est, diem
Quia olim in hunc sunt constitutae nuptiae.

Denominationis ratio petita est a ritu nubendi, f. obducendi capiti sponsae velum flammeum, i. e. ex flauo rubescens, quo sub inuolucro in domum mariti futuri introducebatur. Vid. FESTVS, *voc. Nupt.* MARTIALIS *Lib. XII. Ep. 42. v. 73.* SENECA *Neron. XXVIII.* Conf. WESSELING. *Nomognost. iur. uniuers. Vol. poster. p. 1128. sq.* De eiusdem colore vid. LVCANVS *II. v. 361.* Denotare nuptiarum vocabulum quandoque matrimonium, dictum not. praeced. Sed et pro fornicatione interdum accipitur, vt apud IVSTINVM *Lib. XXXI. c. 6. Rex, per hiemem in luxuriam lapsus, nouis quotidie* NVPTIIS *deditus erat.*

(e) A *iungo* an a *iugo* dicti sint, de eo Grammatici certant; Posterius flexioni, prius rationi magis respondet, vtrumque vero et feminae conuenit. De priori testatur OVIDIVS *Metamorph. XI. 717.* VALERIVS FLACCVS *VIII. 4 9.* de posteriori CICERO passim, qui nunquam, quod memini, virum coniugem dixit.

(f) VIRGILIVS *Eclog. VIII. v. 30.*
Spargite MARITO *nuces.*

Nuces enim in solemnitate nuptiarum spargebantur.

(g) *Vxoris* nomen ab eo ritu repetendum erit, quo noua nupta, antequam mariti domum ingrederetur, lupina adipe et oleo inungebatur, de quo vid. PLINIVS *XXVIII. 9.* ISIDORVS *Etymol. VIIII. 8.*

§. CCCCLXVII.

Contubernium.

Societas inter seruum et ancillam, procreandae sobolis gratia inita, CONTVBERNIVM (*) dictum fuit.

(*) Proprie contubernium dicitur de militibus, qui in vno tentorio recubabant, vid. SVETONIVS *in Iul. Caes. c. 2.* dein vero et coniugio, ciuilibus effectibus destituto, accommodatum hoc verbum fuit, *§. 2. Inst. de heredit. ab intestat.* sigillatim vero seruorum cum ancillis coniunctionem notare solet. *L. 14. §. 3. D. de rit. nupt.*

§. CCCCLXVIII.

§ CCCCLXVIII.

Nuptiae legitimae, s. iustae; ratae, Vxor legitima.

NVPTIAE legibus conformes LEGITIMAE s. IVSTAE (a); praeceptis iuris canonici respondentes RATAE (b); VXOR, in matrimonium ducta secundum leges ciuiles, LEGITIMA, s. IVSTA (c) vocantur.

(a) Ita namque IMPERATOR *pr. I. de nupt.*: IVSTAS *autem* NVPTIAS *inter se ciues Romani contrahunt, qui secundum praecepta legum coëunt etc.* Et BASILICA *Lib. XXIII. Tit. IIII. c. 46.* habent: Ἐννόμους γάμους μεταξὺ ἀλλήλων συνιστῶσι Ῥωμαῖοι, ἡνίκα τὰ περὶ τῶν γάμων τοῖς νόμοις διηγορευμένα φυλάξουσι. i. e. *Legitimas nuptias inter se ciues Romani contrahunt, quum ea, quae de nuptiis legibus constituta sunt, obseruauerint.* Pluribus hoc argumentum prosequitur CASALIVS *de prof. et sacr. vet. ritib. P. I. c. 22. p. 116. sq.*

(b) V. g. vt accedat hierologia, s. benedictio sacerdotalis, canones requirunt. E. accidere potest, vt matrimonium non sit legitimum, sit tamen ratum, *c. 17. C. 28. q. 1.* quale est matrimonium inuitis parentibus initum, benedictione vero sacerdotali confirmatum.

(c) *L. 13. §. 1. D. ad L. Iul. de adult. coercend.*

§. CCCCLXVIIII.

Nuptiae putatiuae; clandestinae, s. ad Thalac.

NVPTIAE coniugatorum, bona fide errantium (a), PVTATIVAE (b); quae vero ita contrahuntur, vt de contractis non possit constare, CLANDESTINAE, s. AD THALAC (c) dicuntur.

(a) Ni enim hoc, bigamia foret. W. De hoc notanda elegans diss. E. F. WESTPHAL *de veris casibus matrimonii putatiui.* Hal. 1758. S.

(b) Titius, per decem annos absens, bello cecidisse nunciatur, et creditur. Titia, eiusdem vxor, mariti obitum luget, tandemque ad secunda vota transit, nubens Seio. Demum post multos annos redit Titius, spemque de se conceptam fallit. Putatiuae itaque inter Titiam ac Seium nuptiae contractae fuere.

(c) Persico quidem idiomate.

§. CCCCLXX.

§. CCCCLXX.

Mutuum adiutorium. Continuam reciprocae amicitiae inter coniuges studium MVTVVM ADIVTORIVM dicitur (*)

Amicitia. (*) *Amicitia* est conatus alterius statum perficiendi; patet igitur ex hoc, mutuum adiutorium in eo consistere, vt alter coniugum alterius statum perficiat.

§. CCCCLXXI.

Impotens; Impotentia; Spado; Eunuchus. Qui viribus sui similem procreandi destitutus est, IMPOTENS dicitur. IMPOTENTIA igitur est defectus virium sui similem procreandi; Qui impotentia temporali liberos procreandi laborat, SPADO (a); qui ob absentiam partium externarum, ad procreationem necessariarum, EVNVCHVS (b) dicitur.

(a) Graecum vocabulum *σπάδος*, a quo spadones dicti, non vero ab vrbe Spada, vnde primum aduectos eos credit STEPHANVS *de Vrbibus*, generale est. Docet hoc VLPIANVS *L. 128. D. de V. S.* scribens: SPADONVM *nomen generale est: quo nomine tam hi, qui natura spadones sunt, item thlibiae, thlasiae, et si quod aliud spado-*
Thlibiae. *num genus est, continentur.* THLIBIAE a θλίβω collido, constringo, dicuntur, et notent talem, cui col-
Thlasiae. lisi testiculi sunt; THLASIAE a θλάω, contundo, dicti, eum, cui contusi sunt testes, innuunt. Vid. *Levit. c. XXII. v. 24.* It. *L. 39. §. 1. D. de iur. dot.* distinguit inter spadonem castratum et non castratum. Spadones coire quidem, sed generare non possunt, E. sanos eos dixit VLPIANVS *L. 6. §. 2. D. ad edict. aedil.*

(b) Placet nominis ratio SCALIGERI *Exerc. CCLXXVII. Sect. 3.* vbi docet, rem veneream antiquis *amentiam* dictam esse, teste ARISTOPHANE aliquo loco; Eunuchi vero quum ea carere debuerint, eorum nomen, ex vocibus ἐν νῷ ἔχειν ortum fuisse. Alii idem deriuant a vocabulo εὐνή. cubile, ita, vt cubilis custodes innuat Eunuchorum etymon. Eunuchi idem sunt, qui alias castrati *L. 39. §. 1. D. de iur. dot.* W. Hunc locum de impo-

impotentia, quam vocant, fusius tractarunt Io. Gr. SIMON *de impotentia coniugali*; *in* EIVSDEM *praesidio acad. T. I. 530. sqq.* et H. DELPHINVS *de coniugio eunuchorum*. S.

§. CCCCLXXII.

MATRIMONIVM, sub pacto, de dignitate ac bonis mariti in vxorem ac liberos non transferendis, AD MORGANATICAM (*) dicitur. *Matrimonium ad Morganaticam.*

(*) Vel potius ad Morgengabicam; vxor enim contenta cum Morgengaba, ipsi a marito oblata, esse, nec quicquam de bonis eius amplius sperare debet. Vid. COCCEIVS *Diss. de Lege morganatica*. W. Scriptores huc pertinentes indicaui in *Elem. iur. germ. §. 433. sqq.* S.

§. CCCCLXXIII.

Masculus, vltra aetatem, liberis procreandis conuenientem, caelebs, HAGENSTOLTZIVS (a); IVS, principi competens, succedendi in bona Hagenstoltzii, HAGENSTOLTZIATVS (b) dicitur. *Hagenstoltzius; Hagenstoltziatus.*

(a) Vndenam haec vox nata sit, mire diffident eruditi. Nolo etymologiarum seriem hic nectere; quibus volupe erit, legant KRESSIVM et B. de LVDEWIG in Dissert. de hac materia. Vocabulum autem hoc diuersa ratione scribitur: Hegestolt, Hagesteltz, Hauestolt, Houestolt, Hoffestolt, Hauerstolt. Inde omne dissidium ortum. KRESSIVS *c. l.* dici eum putat a verbo *Hage*, quod Germanico idiomate ein Gehäge, Bezirck notat, et a voce Steltze, stoltzieren, quasi qui sua sede superbit, nec foras ad obseruandas virgines egreditur. B. de LVDEWIG *c. l.* ab eodem verbo *Hage*, quod sepe, et voce *stoltz*, quod truncum notat, vt apud OVIDIVM *Metamorph. Lib. III. v. 133.*

Caelebs sine palmite truncus.

Hagenstoltzium deriuat. Eligas, quae placet.

(b) Obtinuit hoc ius in Archipalatinatu Rheni, Hassia ac Sueuia, nec incognitum idem in Ducatu Cellensi ac Guelpherbytano. W. Numquam vniuersa Germania

manis hoc iure visa; et hodie in plerisque territoriis abrogatum. *Elem. iur. germ. §. 410. p. 492. sqq.* S.

§. CCCCLXXIIII.

Liberi legitimi; illegitimi; Spurii; naturales.

LIBERI, ex legitimo matrimonio nati LEGITIMI (a); extra illud geniti, ILLEGITIMI s. SPVRII (b); ex concubina suscepti, NATVRALES dicuntur (c).

(a) Vid. *L. 6. D. de his, qui sui, vel al. iur. sunt.* in qua vocabulum *uxor* legitimo connubio iunctam feminam notat. Vid. *§. pen. Inst. de nupt.* Egregie hoc explicat DESIDERIVS HERALDVS, *rer. et quaest. quotid. Lib. I. cap. 1. n. 1.* scribens: *Natura, a legibus temperata, et iis obsequens, procreat liberos legitimos. At natura vaga, ac legibus soluta, et libertate sua lasciuiens, procreat quidem liberos, sed, quos lex, quandoquidem* NATVRAE SOLIVS OPVS *sunt,* LEGVM FORMA NON ADHIBITA, NATVRALES *tantum appellat, atque sic liberi naturales sunt, non legitimi.*

(b) Aduersus leges qui coierunt, eos nec nuptiarum iure, nec patris aut matris praerogatiuis, si quam genuerint prolem, gauisos fuisse, docet IMP. in §. 12. *I. de nupt.* Patris nomen ibi exulat, abest et relatum filii encomium; indeque est, quod tales ἀπάτορες, i. e. SINE PATRE FILII, dicantur. Synonymon huic elogio fuisse dictionem SPVRIORVM ex ead. §. 12. apparebit. Horum etymologiam late deducit MENAGIVS *Amoenitat. iur. ciuil. Cap. XXX. p. m. 157-167.* Sed differre has appellationes voluit B. Dn. HEINECCIVS *in Ant. Rom. Lib. I. Tit. 10. §. 19. et in Comment. ad L. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. c. 4. §. 169. sq.* putans: SINE PATRE FILIOS genus constituere, omnesque illegitimos liberos, s. ex concubina, s. ex meretrice nati fuerint; SPVRIOS vero in specie, nec nisi ex vulgiuaga susceptos, dici. Prouocat idem B. Vir ad §. 12. *I. de nupt.* ex qua colligere sibi visus est, ex iniustis nuptiis natos quidem spurios dictos, quumque sine patre nati fingerentur, literis his coniunctis: SP. signatos fuisse. Profert hunc in finem lapidem ex GRVTERO *Inscr. p. 434.* quo MAMERCIVS IANVARIVS SP. dicitur, contenditque hoc legendum: SINE PATRE FILIVS, idque vel ex ea ratione,

ratione, quod praedictus IANVARIVS non vulgo quaesitus, sed ex concubina esset susceptus; neque praeterea opinandum sit, parentes maculam spurii filio fuisse adscripturos. Verum, in omnia alia, pace tanti mei Praeceptoris, ire cogor, atque defendere simul: *Spuriorum* nomen generale fuisse omnibus illegitimis, s. ex concubina, s. ex vulgiuaga, s. denique ex ancilla fuerint nati; *Sine patre filiorum* vero appellationem iis tantum conuenisse, qui ex concubina essent suscepti. Discernendi erunt characteres in marmoribus obuii: S. P. F. interposito singulis literis puncto, SINE PATRE FILIVS, SP vero aut SP. F. copulatis literis S et P SPVRIVS legendum esse, auctoritate VALERII PROBI *de not. Romanor. interpret.* et PAVLI DIACONI *de not. liter.* quos IAC. GODOFREDVS *auctoribus lat. lingu.* a se editis, inseruit, p. 1471. et 1523. iudico. Iam ad marmora confugiendum. 1) Ex concubina prognatus SPVRIVS dicitur ap. FABRETTVM *Inscript. Cap. I. n. 259. p. 46.*

C· VELIVS· A· F· SCAPTIA·
SIBI· ET· CONCVBINAE· SVAE·
ET· VELIAE· SP· F· TERTIAE·
FILIAE· MEAE· ETC·

Simili ratione 2) serui filius SPVRIVS dicitur apud EVND. *n. 265.*

DIIS· MANIBVS·
TI· CLAVDIO· SP· F·
HONORATO·
VIXIT· ANN· IIII· MENS· VI·
CLAVDIA· THEOPHILA· ET·
ANTHVS· CAESARIS·
FILIO· CARISS·

ANTHVM vero TIBERII Caesaris seruum fuisse, subiectus ab eodem lapis docet:

DIIS· MANIBVS·
CLAVDIAE· THEOPHILAE·
ANTHVS·
IMP· T· CAESARIS· AVG· SER·
AGRIPNIANVS·
CONIVGI· CARISSIMAE·

Porro et ex inscriptione primo loco a nobis adducta, et ex alia apud GRVTERVM, p. 537.

L· LVCIO· SEC·

EPIPODIVS· FIL· NA·
PATRI· PIENTISS·

apparet, neque spuriis, neque naturalibus liberis turpitudinis aliquid haesisse.

(c) Nati ex sponsa quando pro legitimis haberi debeant? disquirunt I. F. EISENHARTH *de nato ex sponsa.* 1750. A. I. R. BÜNEMANN *de sponsae partu spurio.* Goett. 1753. S.

§. CCCCLXXV.

Consanguinitas; Adgnatio; Adgnati; Cognatio; Cognati; Gentiles.

Nexus personarum, communem originem agnoscentium, CONSANGVINITAS (a); Si persona, a qua oriuntur connexi, masculus est, ADGNATIO (b), et personae connexae ADGNATI; si femina, COGNATIO (c), et personae connexae COGNATI; Consanguinei eiusdem nominis, GENTILES (d) dicuntur.

(a) Consanguinitatis vocabulum late patet, licet in iure Romano potissimum applicetur fratribus ab eodem patre genitis. Ita CICERO *de Inuent. I. 24.* COGNATIO, inquit, *quibus maioribus? quibus* CONSANGVINEIS?

(b) In generaliori significatu agnationis vocabulum aequipollet consanguinitati; *L. 5. §. 1. D. unde legit.* patruus enim agnatus est et consanguineus. Speciatim vero ii, qui per masculum consanguinitate iuncti sunt, adgnati dicuntur. CAIVS, eos definiens, *L. 7. D. de legit. tut.* scribit: *Sunt autem agnati, qui per virilis sexus personas cognatione iuncti sunt,* vid. *pr. I. de legit. agnat. tutel.* v. g. *patruus*, eiusque filius ac nepos; *L. cit. 7. et L. 5. D. unde legit.* auus enim hic nexum facit; *frater* eodem patre natus, eiusque filius ac nepos; ratio namque sufficiens nexus in patre est. *c. L. 5.*; *soror* eodem patre progenita, eiusque descendentes. CAIVS *Inst. L. I. dict. tit.* Sed huic contradicit VLPIANVS *Fragm. Tit. II. et in L. 2. D. de suis et legit. hered.* Sed notandum erit: Adgnatos aut in genere definiri, aut respectu habito ad certam doctrinam, materiam-

materiamque substratam, vt dicunt. Ita quidem VLPIANVS, feminas excludens, aut de tutela, vt in priori, aut de hereditate legitima, quae antiquo iure feminis non deferebatur, vt in posteriori loco, loquitur. Vid. a COSTA *ad §. 1. I. de hered. quae ab intest. def.* Adgnatum ab eo, quod iuxta nos natus sit, dici existimat ALCIATVS *Parerg. Lib. III.* ab eo vero, quod extra domum patrisfamilias, et ideo familiae adgnatus sit, RAEVARDVS *Var. Lib. V. c. 1.* deriuandum putauit. Germ. dicuntur Schwerdmagen, a gladio, masculorum apud veteres Germanos signo, ipsis semper connexo. Vid. TACITVS *de Morib. Germ. Cap. XXII.* Adgnatos per patrem cognatos dicit PAVLVS *L. 10. §. . D. de grad. et aff.* W. De Germanorum nominibus Schwertmagen et Spillmagen docta est disputatio GE. CHR. GEBAVERI in *vestigiis iuris Germ. antiquiss.* (Goett. 1766. 8.) *p. 14 . 99.* S.

(c) CVIACIVS ad PAVLI *Edictum p. 1 1* sequutus XII. Tabb. cognationem genus, agnationem et consanguinitatem species esse voluit. De his dictum not. a. et b. Adcuratius paulo philosophatur PAVLVS in *L. o. §. 1. D. de grad. et aff.* a Graeca voce συγγενεῖν illud deriuans. VLPIANVS *L. 1. pr. D. vnde cognat.* eos, quasi ex vno natos, et LABEO *c. l. 1.* quasi commune nascendi initium habeant, dictos arbitratur. Sed hac ratione adgnati et consanguinei cum his conuenirent. Putauerim ego, saluis aliorum iudiciis, cognationis verbum a *conno*, quod feminam notat, vid. HORATIVS *L. I. Serm. 3. v. 107.* et verbo *nasci* descendere, quasi cognatus sit per feminam natus. De hoc alibi. Germ. dicuntur Spillmagen, a colo, der Spindel oder Spill, insigni muliebri. Vocabulum vero Magen domum, s. familiam notat, vid. SERRARIVS *Moguntiae. c. 4.*

(d) CICERO *Topicor. c. 6.* scribit: GENTILES *sunt, qui inter se eodem nomine sunt. ab ingenuis oriundi: quorum maiorum nemo seruitutem seruiuit; quique capite non sunt deminuti.* Ita TVLLIORVM nomen gentile est, omnesque TVLLII communem originem habentes gentiles fuere. Latius gentilitatis notionem extendit idem CICERO *Tusc. quaest.* regem TVLLIVM suum appellans gentilem, et PLINIVS de seruis: Singuli Marcipores, Lucipores sue dominorum gentiles vocans; verbum captauit. Verum, hac ratione gentiles et agnatos non differre, dices: Adgnati sunt consanguinei, idem gentiles,

adgnati idem nomen gerunt; gentiles pariter. Sed adgnati insuper idem cognomen praeter nomen habuere, gentilibus vero solum nomen apud Romanos fuit commune. V. g. in gente CORNELIA omnes CORNELII gentiles fuere, quumque haec gens in varias abiret in stirpes, v. g. SCIPIONVM, CINNARVM etc. quod cognomen erat, omnes eiusdem cognominis, SCIPIONES videlicet, ac CINNAE, agnati fuere. Vid. B. Dn. HEINECCIVS *Ant. Rom. Lib. III. t. 2. §. 2.* W. Omnium industriam in hoc loco superauit E. M. CHLADENIVS in libro sing. *de gentilitate veterum Romanorum.* Lips. 1742. S.


§. CCCCLXXVI.

Gradus; Graduum computatio; Linea; recta; obliqua; ascendens; descendens; aequalis; inaequalis, Respectus parentelae.

Generatio quaelibet GRADVS, et generationum numeratio GRADVVM COMPVTATIO (a) audit. Series graduum LINEA (b), et quidem nexus generationum simplicium RECTA, nexus duplicium OBLIQVA (c), eaque, si tempore priores spectes, ASCENDENS (d), si posteriores tempore, DESCENDENS (e); si numerus graduum a persona, quae nexum facit, aequaliter distet, AEQVALIS (f); sin minus, INAEQVALIS (g); Nexus, quo alter coniunctorum communi parenti immediate originem debet, RESPECTVS PARENTELAE (h) dicitur.

(a) (Praecipuo loco hic notari meretur Io. ANDR. HANNESENII opusc. *de computatione graduum.* Goett. 1736. S.) Gradus est generatio. E. quot sunt generationes, tot numeramus gradus. Pater et mater filium generant, is primum gradum constituit. Pater itaque, mater, filius ac filia in primo consanguinitatis gradu sunt. *L. 1. §. 3. D. de grad. et affin.* Filius si iterum progenuerit nepotem, secunda generatio exstitit, atque ideo secundus gradus. E. auus et auia, respectu nepotum, et hi, respectu ad auum vel auiam habito, in secundo gradu consanguinitatis esse dicuntur. Item fratres ac sorores. Ad hoc enim, vt fratres et sorores dicantur, requiritur, vt eisdem, vel alterutro saltim communi

communi parente, nati sint; hoc vero diuersis fit generationibus, E. secundus numeratur gradus. Neque in gemellorum partu ita continuus est actus, vt non tempore discerni possint, E. et gemelli secundo gradu inuicem cognatione attingunt. *L. 1. §. 4. D. cit.* Proauus et proauia pronepotibus in tertio gradu cognati sunt, ad hoc enim, vt ex proauo existat pronepos, triplex requiritur generatio; Proauus generauit auum 1, auus patrem 2, pater vero filium 3. Simili ratione se habet generatio ex fratre vel sorore nepotis. E. hi omnes in tertio gradu se attingunt inuicem, *L. 1. §. 5. D. cit.* et hac ratione series in infinitum produci poterit. En tibi compendium schematis:




(b) Proauus, auus, pater, filius, nepos et pronepos lineam constituunt; est enim series generationum.

(c) Hanc vt distincte percipias differentiam, ad haec attendas: Proauus dum auum generauit, simplex, h. e. indiuidua haec fuit generatio, atque sufficiens, vt proaui filius dici post potuerit auus; item, dum auus genuit filium, filius nepotem, nepos pronepotem etc. singulae generationes fuere simplices, nexus vero, vel series harum, lineam efficit rectam.

LINEA RECTA:



Ad hoc vero, vt fratres fieri potuerint Caius ac Seius, duplex eiusdem patris aut matris requiritur generatio, prima, qua exiſtentiam capiat Caius, altera, qua Seius. Duplicem hanc generationem ſi iunxeris, lineam habebis obliquam, quam vlterius pro lubitu deducere poteris.




Verum hac ratione antiquiores in determinanda lineae notione non proceſſere, ad pictores potius, lineolis generationes coniungentes, dum confugerunt, claris notionibus contenti fuere.

(d) Pater et mater, auus et auia, proauus et proauia, atauus et atauia, dum tempore priores ſunt filio, in linea aſcendenti ſunt conſtituti.


(e) Filius, filia, nepos, neptis, pronepos, proneptis, abnepos, abneptis, poſteriores tempore ſunt patri, E. in linea deſcendenti; ſimili ratione dum nepos prior tempore eſt pronepoti, ille reſpectu huius pariter in linea deſcendenti collocatus eſt.

(f) Auus genuit patrem ac patruum, pater filium, patruus itidem filium, vtrinque dum duplex generatio facta, aequalis erit linea.




(g) Fingas

(g) Fingas filium in not. praeced. allegatum gignere nepotem, patrui vero filium improlem esse, inaequalis erit linea, ab vna parte duplex, ab altera dum triplex generatio concurrit.



(h) Inter patruum v. g. et nepotem ex fratre respectus parentelae obtinet, est enim ille immediate ex suo oriundus.



§. CCCCLXXVII.

Nexus coniugis alterius, cum alterius consanguineis, ADFINITAS; Personae, hoc modo connexae, ADFINES dicuntur (a). Quot nuptiae concurrunt, tantum GENVS dicitur ADFINITATIS (b). *Adfinitas; Adfines; Genera adfinitatum.*

(a) *Adfines* licet proprie ii dicantur, quorum confines erant agri (§. CCLXXXIII.), *L. 12. D. fin. reg.* vulgatus tamen allegatus adfinium significatus est. MODESTINVS in *L. 4. §. 3. D. de grad. et affin.* ADFINES, inquit, *sunt viri et vxoris cognati.* Sed et alterius coniuges alteri coniugi proprie adfines sunt. Recte itaque facit POMPONIVS *L. 5. §. 1. D. de postul.* nurum et generum, socrum et socerum inter adfines referens. Sunt enim alterius coniugis consanguinei. TERENTIVS *Heautont. Act. V. Sc. I. v. 63.*

Immo et gener et ADFINES *placent.*

 FESTVS

FESTVS *de verb. signif.* h. v. adfines, consanguinitate iunctos, appellans, latius vocabulum adfinium sumit, aut dicere forsan voluit consanguinitatibus, ad eum modum, quo MODESTINVS *c. l.* pergit: *Dicti ab eo, quod duae cognationes, quae diuersae sunt, per nuptias copulantur, et altera ad alterius cognationis finem accedit.* Sed et hac ratione strictam adfinitatis significationem non sequeretur. Idem fecit NEPOS, adfinitatem simpliciter coniunctionem dicens, *in vita Attici, c. 7.* ATTICVM POMPONIO coniunctum dicens, qui ei fuit adfinis.

(b) Vxoris meae soror mihi in primo genere adfinitatis iuncta, vnicum enim matrimonium intercessit;

Fratris mei mortui vxoris secundus maritus in secundo genere adfinitatis ob binas nuptias est.

§. CCCCLXXVIII.

L. XXIII. T. 3. *Dos.*

Quicquid (a) ab vxore, vel eius intuitu, in maritum confertur, ad ferenda onera matrimonii (b), DOS dicitur.

(a) Nolui pecuniae vocabulo, quod solemne alias est, generis loco vti, quum dos non semper in pecunia, sed in aliis rebus saepius consistat, immo in omnibus, quae marito vtilia sunt, possit constitui. *L. 13. D. de fund. dot.*

(b) In hoc differentia specifica dotis, ab eis, quae alias ab vxore in maritum conferuntur, consistit. *L. 7. pr. D. L. 20. C. de iur. dot.*

§. CCCCLXXVIIII.

Dos profectitia; adventitia; receptitia.

DOS, marito a socero constituta, PROFECTITIA (a), ab alio, ADVENTITIA (b); cui si addita stipulatio sit, de ea post solutum matrimonium reddenda, RECEPTITIA (c) vocatur.

(a) Eiusdem deriuationis aduentitia dos est, cuius fuit peculium aduentitium supra (§. CCCLVII.). De hac specie vid. *L. 5. D. de iur. dot.*

(b) Vid.

(b) Vid. *c. L. 5.*

(c) Aduentitia dos soluto matrimonio cedebat marito. VLPIANVS *Fragm. VI. 4.* (Eleganter id demonstrauit ERN. AVG. DE BVSCH *de dote profectitia, viuo patre, liberis ex filia emancipata in matrimonio mortua, superstitibus iure communi vindicata.* Goett. 1749. S.) Licebat tamen contrario pacto restitutionem promissam acceptare, *L. 31. §. 2. D. de mort. caus. donat.* indeque dicta fuit receptitia: *Recipere* enim idem est, quod promittere. *§. CCVII.*

§. CCCCLXXX.

Pactum legitimum (*) de certa dote DOTIS CONSTITVTIO dicitur. *Dotis constitutio.*

(*) *L. 6. C. de dot. promiss.*

§. CCCCLXXXI.

DOS, quae absque verborum solemnitatibus marito ante nuptias assignabatur (a), vel tradebatur (b), DATA (c); quae solemnibus quidem verbis, sed sine stipulatione constituebatur, DICTA (d); quae vero stipulatione determinabitur, PROMISSA (e) dicebatur. *Dos data; dicta; promissa.*

(a) Hoc plerumque apud auspices, sponso praesente, et quidem pridie nuptiarum fiebat, vt ipso nuptiarum die marito traderetur.

(b) Sed et ipsi marito tradi poterat ante nuptias, vt apparet ex *L. 1. D. de iur. dot.*

(c) Exemplum datae habes in nuptiis MESSALINAE cum CAIO SILIO, de quibus refert SVETONIVS *in vita* CLAVDII *c. 26.* eas, dote inter auspices consignata, contractas fuisse. Vid. TACITVS *Annal. Lib. VIIII.*

(d) Stipulatio enim congrua interrogatione et responsione perficiebatur. CAIVS *Inst. Lib. II. Tit. 9. §. 3.* vel ex restitutione OISELII *L. III. T. 2. §. 3.* Dantur et aliae obligationes, quae nulla praecedente interrogatione contrahuntur, vt in *not. ad def. de verb. obl.* videbimus. Exemplum dotis dictae est apud TERENTIVM *Andr. Act. V. Sc. 4. v. 47. sq.*

- - - CH. *Dos, Pamphila! est*
Decem talenta. PA. *Accipio.*

Stipulatio hoc non erat, nulla namque interrogatio conspicitur. Dubia SALMASII *de modo vsurar. c. XVI.* et OISELII ad CAII *instit. l. c.* soluit B. Dn. HEINECCIVS *Ant. Rom. L. II. c. 8. §. 6. not. c* Alia exempla adsunt in *L. 57. pr. D. de iur. dot. L. 44. §. 1. L. 46. D. eod.*

(e) Exemplum promissae dotis exhibet PLAVTVS *Trinum. Act. V. Sc. 2. v. 35.*

- - - - *Sponden' ergo tuam gnatam vxorem mihi?*
CH. *Spondeo: et mille auri Philippûm dotis.*

§. CCCCLXXXII.

Dos numerata; cauta. DOS, marito tradita, NVMERATA (a); quam maritus traditam apocha confessus est, CAVTA (b) dicitur.

(a) Sempronius Caio, genero suo, Tulliaeque suae marito, dotis loco XII. mille Thal. promisit, eosdemque ipsi praesenti, nummis monetae receptae, soluit; Dos numerata est.

(b) Aulus, socer, genero suo Meuio promisit dotis nomine X. millia, postridie nuptiarum exsoluenda. Dicto die adest Meuius cum apocha, qua solutam sibi dotem esse profitetur. Aulus arrepta apocha vrgentissima negotia se circumstare dicit, rogans generum, vt alio tempore redeat, dotis accipiendae gratia. Dotis cautae exemplum hoc est. Vid. *L. 1. 2. et t. t. C. de dot. caut. non numerat.*

§. CCCCLXXXIII.

Dos aestimata; non aestimata. Dos tradita, ad certum pretium relata, AESTIMATA (*), ad certum pretium non relata, NON AESTIMATA vocatur.

(*) Datur v. g. domus in dotem, additur traditioni relatio eius ad determinatum pretium 2000. flor. Domus h. c. aestimata dos est. Aestimatur autem dos duplicem in finem, nimirum, vt patri perinde sit filia mortua, aut aedes a genero, aut 2000. recipere, atque haec *aestimatio venditionis gratia* dicitur; aut ea intentione, *Aestimatio vendi-* vt

vt socer, aequalitatem inter liberos seruare studens, *tionis et*
sciat, quantum altera filiarum acceperit. Et haec *taxationis*
aestimatio taxationis gratia dici consueuit. *gratia.*

§. CCCCLXXXIIII.

DONATIO, sponsae, vel vxori, a sponso, *Donatio*
vel marito, in securitatem dotis facta, PRO- *propter nu-*
PTER NVPTIAS (a); vsusfructus vero bono- *ptias; Do-*
rum mariti, viduae in compensationem dotis *talitium.*
competens, DOTALITIVM (b) audit.

(a) Vid. §. 3. *I. de donat.* qua IMP. satis dilucide exponit, quae sit donationis propter nuptias natura; Sed notabis diuersas eius epochas, mutationesque varias. Donationes inter virum et vxorem, stante matrimonio factae inuicem, quo minus valerent, obstabat vnitas personae, quae per coëmtionem ac confarreationem inducebatur. Licebat tamen idipsum sponsis, quos inter vnitas personae non erat; Hincque donatio sponsae a sponso facta, s. nuptiarum mentio fieret, s. minus, *ante nuptias* dicebatur. Verum has donationes ad priorem conditionem redegit CONSTANTINVS IMP. *L. f. C. de ant. nupt. donat.* IVSTINIANVS demum omnem donationem, quae intuitu matrimonii fieret, etiam post nuptias permisit, indeque generale nomen *donationis propter nuptias* ortum. Vid. §. *pen. Inst. de donat. L. pen. C. de don. ant. nupt.* Graecis haec donationis species dicitur ἀντιφερνὴ, mutua donatio, quia supponit dotem ab vxore in maritum collatam.

(b) Omnem dotalitii naturam exponit IVLIVS CAESAR de *Bello Gallico Lib. VI. c. 19.* Ita autem ille: *Viri, quantas pecunias ab vxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis, aestimatione facta, cum dotibus communicant. Huius omnis pecuniae coniunctim ratio habetur; fructus seruantur. Vter eorum vita superarit, ad eum pars vtriusque, cum fructibus superiorum temporum, peruenit.* Patet simul ex hoc, vnde factum, quod ICti dotalitium dotem viri dixerint. Differunt autem dotalitium et donatio propter nuptias, quod hanc non recipiat vxor, seu securitatem tantummodo dotis intuitu in ea habeat; illud vero dotis loco post mariti obitum recipiat, vtaturque

T 5 ac

ac fruatur eo. Atque vel in hoc ab eo, quod CAESAR *c. l.* exponit, nostri iuris dotalitium differt. Dicitur alias *Dotarium* et *Doërium*. W. Miscet AVCTOR vidualitium germanicum, quod sine respectu ad dotem datur, nec dotem absorbet, cum *dotalitio* iuris Saxonici, cuius aliae plane rationes. Conf. Estors neue kleine Schriften T. I. p. 313. sqq. Strubens Nebenst. T. V. p. 288. S.

§. CCCCLXXXV.

Morgengaba. Munus, vxori a marito, altero post nuptias die, in signum consummati matrimonii, oblatum, MORGENGABA (*) dicitur.

(*) Vel ipsa vox docet, originis Germanicae hoc munus esse; composita namque est ex duabus voculis Morgen, et Gab, quasi matutinum donum. Neque vero hanc denominationem inde arcessendam putauerim, quod initio eadem agrorum iugeribus constiterit, quae etymologia placuit Perill. Dn. de COCCEII in *Diss. de Lege Morganatica Sect. II. §. 8. seq.* sed a matutino tempore, quo praestari solebat hoc munus, id quod probauit B. de LVDEWIG *Diff. iur. Rom. ac Germ. in dote mariti Diff. I. §. 1.* Datur namque in signum consummati matrimonii; hoc vero per conscensionem thalami secundum mores Germanorum, fieri, notissimum est. Sunt, qui Morgengabam in signum amissae virginitatis dari somniant, vid. MYLERVS ab EHRENBACH *Gamolog. c. XVI.* quos merito ridet de LVDEWIG *c. l. §. 12.* Etenim signum hoc saepe suo caret signato, neque opus est tanto solamine, quum secundum OVIDIVM *de arte amandi*:

Vim licet appellent, grata sit vis ista puellis.

Est dos mariti diuersa in eo a dotalitio et donatione propter nuptias, quod quantitatem dotis non respiciat.

§. CCCCLXXXVI.

Augmentum dotis. Omne, quod doti accedit, AVGMENTVM DOTIS dicitur (*).

(*) Generalis ita fingenda erat notio, ob differentiam iuris Romani ac Germanici. Illo hoc variis contingebat

gebat modis; Nimirum, si vxor promiserit minus, plus vero obtulerit, superfluum accessio erat dotis, *Nou. XXII. c. 31.* aut maritus profiteatur plus accepisse se, quam reuera accepit, *L. 1. C. de dot. caut. non num.* aut proprietati, in dotem concessae, accesserit vsusfructus, *L. 4. D. de iur. dot.* Omne hoc leges Romanae vocant additamentum dotis. Secundum Germanorum vero mores obtinet, vt vxor plus recipiat, quam intulit eadem. Maritus namque dotis commoda percipit, vxor omnino nihil ex eadem lucratur. Aequum igitur visum fuit, restitutioni dotis addere quantitatem, quae alibi dimidia, alibi tertia vel quarta eiusdem pars est. Simile quid Graecis receptum fuisse, docet de LVDEWIG *c. Differt. Diff. II. Lit. c.* W. Adde Io. GOD. SAMMET *de hybobolo*, et RICCII *spicil. iur. Germ. p. 572. sqq.* S.

§. CCCCLXXXVII.

BONA vxoris, in quibus durante matrimonio marito vsusfructus competit, PARAPHERNALIA; quorum vero vsumfructum ac proprietatem vxor retinet, RECEPTITIA (*) dicuntur. *Bona paraphernalia; receptitia.*

(*) Graecae originis paraphernorum vocem esse, et ipsa res ostendit, et insuper VLPIANVS *L. 9. §. 3.* et IMPP. *L. 8. C. de pact. conu.* idipsum testantur, eorumque naturam exponunt: *Vt vir in his rebus, quas extra dotem mulier habet, quas Graeci parapherna dicunt, nullam vxore prohibente habeat communionem.* Generali significatu parapherna receptitia complectuntur, atque vtplurimum confunduntur cum his, quae ita ab inuicem separabis: ut vxor in bonis extra dotem, quae possidet, marito vsumfructum permittit, aut sibi soli seruat eadem; priori casu paraphernalia, posteriori receptitia dicuntur. Vid. *L. f. C. eit. Tit. de pact. conuent.* et *L. 9. §. 3. D. de iur. dot.* Et haec illa ipsa bona sunt, quae olim peculium vxoris constituebant, quo de PLAVTVS *Casin. Act. II. Sc. 2. v. 25. sq.*

- - - MV. *Ita est. Vnde ea tibi est?*
Nam PECVLI *probam nihil habere addecet*
Clam virum: et quae habet partum, ei haud commodi est,
Quin viro aut subtrahat, aut stupro inuenerit. W.

Proprie

Proprie loquendo paraphernalia et bona receptitia non differunt. Conf. G. C. BASTINELLER *de differentia bonorum receptitiorum a propriis, eorumque natura et effectu*. Hal. 1720. S.

§. CCCCLXXXVIII.

L. XXIII. T. 4. *Pacta dotalia; simplicia; mixta.*

PACTA, quibus determinantur accidentalia dotis, dicuntur DOTALIA (a). Ineuntur haec pacta vel actu inter viuos, et sic irreuocabiliter, vel in modum vltimae voluntatis, atque sic reuocabiliter: Priori casu SIMPLICIA; posteriori vero MIXTA (b) vocantur.

(a) Haec enim sola pactis determinari possunt. Substantialia non item. Sic v. g. minus reddi quam datum, conuentione disponi nequit. *L. 2. D. de iur. dot.* Ad accidentalia vero, quae pacto determinari possunt, referas, quae dotis naturam non mutant, v. g. tempus restituendae.

(b) Idque ex eo, quod iura Romana cum Germanicis confusa sint. W. Iure Romano *pacta dotalia* sunt conuentiones super iuribus illatorum eorumque securitate; iure Germanico autem simul continent conuentiones de futura coniugum successione; de quo et discrimine pactorum simplicium et mixtorum liberius sententiam dixi in *Elem. iur. Germ.* §. 425. *sqq.* S.

§. CCCCLXXXVIIII.

L. XXIII. T. 5. *Fundus dotalis.*

Res immobilis, in dotem data, FVNDVS DOTALIS (*) dicitur.

(*) *Fundi* appellatione quamlibet rem immobilem venire, patet ex *L. 211. D. de V. S.* ideoque fundi dotalis appellatio quodlibet praedium, s. vrbanum sit, s. rusticum, comprehendit. *L. 13. D. de fund. dotal.*

§. CCCCXC.

L. XXIIII. T. 2. *Diuortium; Repudium.*

Dissolutio (a) sponsaliorum REPVDIVM (b); nuptiarum, DIVORTIVM dicitur (c).

(a) Dissolutio hic notat remissionem mutuam obligationis.

(b) *Repu-*

(b) *Repudiare* notat ob rem pudendam repellere, descendit enim a voculis *re* et *pudeo*.

(c) Quae plerorumque terminorum, praecipue iuridicorum ratio est, vt nimirum valeant, sicut nummi, eadem etiam est vocum diuortii ac repudii. Obseruabis namque synonymice nonnunquam eas ab ICtis vsurpari. Ita v. g. PLAVTVS *L. 3. D. de diuort.* vxorem, misso REPVDIO, DIVORTISSE, scribit, et VLPIANVS *L. 12. pr. eod.* repudiatae vxoris meminit, idem facit PAPINIANVS *L. 39. D. solut. matrim.* Deprehendes porro nonnunquam generis loco poni repudium, speciei loco diuortium. Ita PAVLVS *L. 191. D. de V. S.* *Inter* DIVORTIVM, scribit, *et* REPVDIVM *hoc interest, quod repudiari etiam futurum matrimonium possit: non recte a sponsa diuortisse dicitur.* Eam, quam elegi, harum differentiam, indicauit MODESTINVS *L. 108. §. 1. D. de verb. signif.* DIVORTIVM *inter virum et vxorem fieri dicitur,* REPVDIVM *vero sponsae remitti videtur;* quod vero addit: *quod et in personam vxoris haud absurde cadit,* eis indicare voluit, sibi, qui reliquis citatis tempore fuit posterior, eorumdem sententiam probe fuisse cognitam, neque tamen, ob reuerentiam iis debitam, refutare eosdem aperte voluisse. ISIDORVS *Etymol. VIIII. 8.* REPVDIVM dicit, *quod sub testimonium testium vel praesentis, vel absentis, mittitur.* Vid. FESTVS *voc. Repudium,* et TERENTIVS *Phorm. Act. IIII. Sc. 3. v. 70. sq.*

- - - illis REPVDIVM *renunciet,*
Hanc ducat.

§. CCCCXCI.

Remissio obligationis mutuae consuetudinis inter coniuges SEPARATIO QVOAD THORVM ET MENSAM vocatur. *Separatio quoad thorum et mensam.*

§. CCCCXCII.

Voluntaria coniugis absentia, animo, nunquam reuertendi, coniuncta, MALITIOSA DESERTIO dicitur. *Malitiosa desertio.*

§. CCCCXCIII.

Matrimonium redintegratum. MATRIMONIVM ſolutum, ſed reſtitutum, dicitur REDINTEGRATVM.

§. CCCCXCIV.

L. XXV. T. I. *Impenſae; neceſſariae; voluptuariae; utiles.* Quicquid bonis noſtris, in rem vertendo eadem, decedit, IMPENSARVM (a) nomine venit. Impenſae, quae ad rei conſeruationem conducunt, NECESSARIAE (b); ſi gaudium poſſidentis augent, VOLVPTVARIAE (c); ſi perfectionem rei, VTILES (d) dicuntur.

(a) Impenſarum vox haud inuite ab *in* et *pendere* deducitur; ſolebant enim veteres Romani argentum appendere. Eaedem, ratione ſumtus facientis, dicuntur *expenſae.*

(b) Neceſſarias impenſas PAVLVS *L. 79. D. de V. S.* eas dicit, *quae ſi factae non ſint, res aut peritura, aut deterior futura ſit*, et VLPIANVS *L. 1. §. 1. D. de imp. in res dotal. fact.* per circulum definit, ſcribens: Eas eſſe, quae habent neceſſitatem impendendi. Vitium hic commiſſum emendat idem *L. 14. D. eod.* impenſas neceſſarias dotis eas appellans, *quibus non factis, dos imminuitur.* Sic, qui ruinam minantes aedes reficit, impenſas facit neceſſarias, hoc enim ni fecerit, omnino non conſiſterent aedes, planeque inutiles redderentur ad inhabitandum.

Voluptas. (c) Status durabilis gaudii, VOLVPTAS eſt; quae igitur aut gaudium augent, aut durabile idipſum faciunt, voluptatem promouent. *Gaudium.* GAVDIVM vero quum oriatur ex intuitiua cognitione perfectionis, eademque vel vera ſit, vel apparens, patet et ea ad voluptuarias impenſas pertinere, quibus apparens perfectio promouetur, v. g. picturae, aquae ſalientes, viridaria, arbores ordine poſitae ad deambulandum etc. His forſan ductus PAVLVS *L. 79. §. 2. D. de V. S.* voluptuarias impenſas vocat: *Quae ſpeciem duntaxat ornant, non etiam fructum augent.* Species vero ſignificat indiuiduam rem, quaſi voluiſſet dicere: Quae huic vel illi indiuiduo ornatui ſunt, ad aliud vero transferri vel non poſſunt, vel translatae eumdem ornatum non exhibent.

Idem

Idem dixit VLPIANVS in *L. 7. pr. D. de imp. in res dotal. fact.* verbis: *Quae speciem exornant*, ea autem, quae praemisit: *Quas maritus ad voluptatem fecit*, erant definienda.

(d) In hunc fere modum VLPIANVS *L. 7. D. de impens. in res dot. fact.* et FVLCINIVS *in L. 79. §. 1. D. de V. S.* scribentes: *Quae meliorem rem faciunt.* Melius enim fit, quicquid euadit perfectius, v. g. qui hortum ita instruit, vt reditus ex eodem duplicentur, qui in locum maceriei murum substituit perfectiorem, ideoque et meliorem eamdem fecit. Conf. notionem perfectionis.

§. CCCCXCV.

IMPENSAE, quibus restituenda res minuitur, DEDVCTAE dicuntur. TOLLI vero dicitur, quicquid loco mouetur (*). *Impensas deducere; tollere.*

(*) Restituenda v. g. domus hereditaria, ad pretium 2000. flor. relata, vendita ab eo, qui pro herede eam possederat, postea vero combusta. In hereditate pretium succedit in locum rei. E. loco aedium flamma absumtarum restituendi erunt 2000. flor. Fecit vero bonae fidei possessor impensas vtiles in domum hereditariam 200. flor. Restituit E. 2000. — 200. i. e. = 1800. flor.; Impensae igitur 200. flor. dicuntur *deductae*. Idem in horto, huic domui vicino, diaetam exstrui curauit magnificam, quam in computum referre non poterit; Destructo igitur hoc aedificio, materiem sibi habebit, et hoc *tollere* dicitur.

§. CCCCXCVI.

RES alienae mobiles, a personis coniunctis animo lucrifaciendi ablatae, vel celatae, dicuntur AMOTAE (*). L. XXV. T. 2. *Res amotae.*

(*) *Amouere* idem est, quod de loco mouere; solis igitur mobilibus rebus conuenit. Sed auferre alienum aliquid lucrifaciendi animo furari dicitur; E. amotae res nil aliud sunt, quam res furtiuae. Noluere tamen legislatores, vt eiusmodi furtum, a personis coniunctis factum, vero suo nomine appellaretur, idque potissimum ob duplicem rationem. Primo namque vnitas personae

personae obstabat, quo minus vxor marito, patri filiusfamilias, furto aliquid subducere posset; deinde infamiae maculam abesse a delicto in coniunctas personas commisso voluere, id quod patet ex *L. 1. et 3. §. 4. D. rerum amotar.* Atque ita, si vxor constante matrimonio marito aliquid lucrifaciendi animo abstulit, soluto per diuortium eodem, rerum amotarum huic conceditur actio. *L. 17. D. rer. amotar.* Idem obtinet in casu, si maritus vxori res quasdam abstulit, *L. 3. D. eod.* it. si filiusfamilias patri. *L. 4. §. 3. D. eod.*

§. CCCCXCVII.

Actio rerum amotarum.

Actio personalis, qua repetimus res, a personis coniunctis nobis, animo lucrifaciendi, ablatas, RERVM AMOTARVM (*) dicitur.

(*) *t. t. D. rer. amot.*

§. CCCCXCVIII.

L. XXV. T. 3. *Agnoscere partum.*

Qui PARTVM a se genitum fatetur, illum AGNOSCIT.

§. CCCCXCVIIII.

L. XXV. T. 7. *Concubina; Concubinatus; Pellex.*

Coniunctio maris caelibis cum femina vilioris conditionis ad commiscendum corpus, sine tamen honore ac commodis matrimonii, CONCVBINATVS (a); femina, hoc modo coniuncta, CONCVBINA (b); femina soluta, cum marito cohabitans, PELLEX (c) dicitur.

(a) Ad concubinatum itaque requiritur, 1) vt coniunctio adsit, hoc est actus continuus (§.CCCCLXVI. not. c.), s. coniunctio illa sit diuturna, alias scortatio esset, 2) vt coniunctio exstinctionem libidinis pro fine primario, secundario vero, vel accidentali, etiam procreationem sobolis habeat, 3) persona coniuncta sit vilioris conditionis. Erudite hoc expendit EDM. MERILLIVS *Lib. III. Obs. c. 16.* W. Ex instituto hoc argumentum tractarunt CHR. THOMASIVS *de concubinatu.* 1714. GE. ZACH. WINCKLER *genuinus conceptus concubinatus ex mente legum Romanarum.* Lips. 1736. S.

(b) Mo-

(b) MODESTINVS *L. 34. D. ad L. Iul. de adult. coërc.* concubinam dicit *mulierem, quae consuetudinis, non matrimonii gratia, retinetur,* quae alias vocatur AMICA. *L. 35. pr. D. de aur. ac arg. leg. L. 144. D. de V. S.* Graecis dicitur ἐρωμένη, vid. DESIDERIVS HERALDVS *Animadu.* it. VXOR GRATVITA, vt apud GRVTERVM *Inscr. p. 795.* quod coëmta non esset, in aliis vero inscriptionibus passim VICECONIVX, quoniam coniugis loco esset.

(c) Si legem 144. *D. de V. S.* spectes, a concubina pellex parum distabit, sentiente ita MASSVRIO. Allatam vero a me differentiam, praeter citatum in *all. L.* 144. GRANIVM FLACCVM, confirmat A. GELLIVS, *Noct. Attic. Lib. IIII. c. 3.* scribens: PELLEX *appellata est, quae iuncta consuetaque esset cum eo, in cuius manu mancipioque alia matrimonii causa foret.* Et FESTVS *de verb. signif. h. v.* eam dicit, *quae vxorem habenti nupsit*, in eo tamen fallit, quod nuptias inter maritum et pellicem intercessisse existimare videatur. IVSTINVS *Histor. Lib. I. c. 9.* pellicis Cyri meminit, quem maritum fuisse inter omnes constat. Pellex dicitur a Graeca voce παλλακὴ, quod concubinam notat, vid. MENAGIVS *Amoenit. iur. cap. XXXVIIII. p. m. 119.* Concubinae vel pellices militum *focariae* dicebantur, quod scil. focum curarent, MENAGIVS *c. l.* quarum *L. 15. D. de instruct. vel instrum. leg.* mentio fit.

§. D.

Quae vnumquemque, mercede accepta, in complexum admittit, MERETRIX (*) vocatur. *Meretrix.*

(*) Et quidem a *merendo*, s. a mercede, vt vult VALLA, licet OCTAVENVS etiam eas, quae quaestum non faciunt, in meretricum honestum ordinem referat. *L. 43. §. 3. D. de ritu nuptiar.* Sed contrarium omnino obtinere existimauerim. Etenim in *L. 45. et L. 4. D. de his, qui not. inf.* quaestum facere, et in *c. 16. D. 34.* venalis earum turpitudo dicitur. Idem confirmat OVIDIVS *de arte amandi Lib. I. 10. 21.* canens:

Mercabilis aere meretrix.

Neque ad hoc, vt meretrix aliqua dicatur, sufficit, cum vno atque altero corpus miscere, *c. L. 43. §. 2. D. de rit. nupt.* sed omnibus patere, idque sine delectu, ne-

 cesse

cesse est. Huc digitum intendit PLAVTVS *Truculent. Act. II. Sc. VII. v. 16. sq.*

Meretricem ego item esse reor, mare vt est: quod des, deuorat, nec vnquam
Abundat.

ID. *Cistellar. Act. I. Sc. I. v. 80-83.*

Matronae magis conducibile est isthuc mea Silenium
Vnum amare et cum eo aetatem exigere, cui nupta est semel;
Verum enim MERETRIX *fortunati est oppidi simillima,*
Non potest suam rem obtinere, sine multis viris.

Palam. Et hoc est, quod VLPIANVS per phrasin: *Palam quaestum facere*, innuit *c. l. 43.* *Palam* autem idem esse, quod: Sine delectu, idem adfirmat *c. l. §. 1.* Numerum admissorum ad hoc, vt meretricis elogium alicui tribui possit, satis largo computo determinat Glossator ad *c. 16. D. 34.* eumdemque ad MMCCC. extendit. Ceterum a meretricibus gradu vulgatae pudicitiae differebant

Prostibulae. PROSTIBVLAE. Meretrices quidem vnumquemque sine delectu, attamen clam, idque aut noctu, aut saltim in domibus, in amplexus venereos admittebant, prostibulae vero in plateis ac foro obuiae erant, speciosa sua forma iuuenes allicientes. Hoc nos docet PLAVTVS *Cistellar. in fragm.*

- - Intro ad bonam meretricem
Adstat in ea via sola, PROSTIBVLA *est.*

Vid. DONATVS ad TERENTII *Eunuch. Act. III. Sc. I.* NONIO *V. 8.* et FESTO *de V. S. h. v.* ab eo, quod pro stabulo prostitui se passae sint, stentque venales, dictae videntur.

§. DI.

Lib. XX. T. I. *Pupillus.* Homo sui iuris, impubes (a), dicitur PVPILLVS (b).

(a) Quilibet patria potestate solutus sui iuris homo est; soluitur autem eadem morte patris, *pr. I. quib. mod. pat. pot. soll.* E. impubes, qui, patre mortuo, ab alio regitur, erit pupillus, quae definitio aliis arrisit. Vid. *L. 239. D. de verb. signif.* W. Non adeo expedita quaestio est: vtrum pupillus, imperio tutelari obnoxius, sui iuris dicendus sit? Conf. MART. GOTH. PAVLLI

vtrum ii, qui sub tutela viuunt, hodie sui sint an alieni iuris homines? Ged. 1757.

(b) *Pupillus* idem est, quod pupulus, hoc vero diminutiuum a pupo, vel pupa, tenerum infantem vtriusque sexus notante. MARTIALIS *Epigram. Lib. III.* 10. ita canit:

PVPAM *se dicit Gellia, quum sit anus.*

ad quem locum RIGALTIVS notat: Tutores his blanditiis vsos esse, appellando suae tutelae commissos, parentibus orbatos, vt eorum amorem captarent. Atque hae blanditiae nec Germanis nostris incognitae sunt, saepe enim maritos socias suas hoc blando nomine salutare audies: Mein Püpchen.

§. DII.

Qui actiones pupilli in eius commodum dirigit, TVTOR (a); Directio vero actionum pupilli, in eius commodum, TVTELA (b) dicitur. *Tutor; Tutela.*

(a) Tutores ab eo, quod pupillos tueantur, h. e. defendant, dictos esse, expedita res est. Hoc nos docet PAVLVS *L. 1. D. de tutel.* et qui eum sequitur IMPERATOR *§. 2. I. eod.* atque GELLIVS *Noct. Attic. Lib. XII. c.* 10. scribens: TVTORES, *quando* TVITORES *appellantur, ex ipsa re nomen acceperunt.* Tueri namque est defendere. CICERO *Lib. II. Ep. 16. ad famil.* scribit: *Te oramus, quibuscum oramus in terris, vt nos, liberosque nostros tueare.* Inde etiam tutores dicuntur DEFENSORES *L. 2. pr. D. qui tut. petant, L. 21. C. de administr. tut. L. 2. C. quand. mul. tut. off.* et tutela, DEFENSIO. TERENTIVS *Hecyra Prolog. c. fin.*

Sinite impetrare me, qui in TVTELAM *meam*
Studium suum, et se in vestram commisit fidem.

Tutorum etymologiam latius prosequutus est MENAGIVS *Amoenit. iur. ciu. c. XXXVIIII. voc. Tutor.*

(b) Expendenda hic prae omnibus erit, tot dissidiis ansam quae dedit, SERVII SVLPITII definitio tutelae, relata a PAVLO *L. 1. D. de tutel.* et ab IMPERATORE *§. 1. Inst. eod.* Ita autem ille: TVTELA est *vis ac potestas, in capite libero, ad tuendum eum, qui propter aetatem (suam sponte) se defendere nequit, iure ciuili data ac permissa.* Prima, quae circa hanc oritur, controuersia ea est:

Vtrum potius *vis ac potestas*, anne vero eius loco: *Ius ac potestas* sit legendum? Posterius quidem THEOPHILVS *Paraphras. Instit. §. 1. Tit. de tutel.* et HARMENOPVLVS *Epitom. iur. ciuil. Lib. V. c. 11. pr.* primum ita verterunt *cc. ll.* scribentes: Δίκαιον καὶ ἐξουσίαν. Hos sequuti CONTIVS, VVLTEIVS aliique sibi persuaserunt incuria describentium *vis* positum esse pro *ius*. Verum inanis omnis haec cogitatio est, siquidem nec cogitandum, in omnibus locis, vbi vocabulum *ius* additur vocabulo *vis*, eumdem commissum esse errorem, neque omnino possibile est, corrupta simul esse sequentia huius legis: *Tutores autem sunt, qui eam vim ac potestatem habent*; ex verbis enim *idem ius* fieri debuisset *eamdem vim*, insuperque Florentinae Pandectae receptam amant lectionem. Nec infrequens est alias, voces: *Vis ac potestas*, emphaseos gratia iungi. Ita non solum TERENTIVS *Heautontim. Act. IIII. Sc. 3. v. 32.*

> *Qui* VIM *tantam in me*, POTESTATEMQVE,
> *habeam tantae astutiae.*

et SENECA *Lib. II. de Benefic. c. 34.*: VIS *ac* POTESTAS *longae aliae*, atque TACITVS *Lib. II. Histor. c. 39.*: VIS *ac* POTESTAS *penes Proculum praefectum*, sed etiam in legibus coniuncta haec vocabula reperiuntur, vid. *L. 17. D. de LL. §. 3. I. de interdict. L. 7. C. de codicill.* Succedit alia quaestio: Quinam verborum: *Vis ac potestas*, genuinus sensus sit? Diffident hic ACCVRSIVS atque BARTOLVS *ad cit. loc.* Prior in *annot. ad §. 1. Inst. de tutel.* haec verba *violentam potestatem*, id est, potestatem cum executione coniunctam interpretatus est. Posterior saltim pro potestate non infrugifera, vt loqui amat, accipi contendit. Interpretem huius loquutionis, quod ego quidem scio, optimum egit C. WAGNERVS in libello, *de genuino definitionis tutelae intellectu §. VIII.* ad quem, breuitati studens, B. L. remitto. Quodsi vero ad accuratiorem Logices normam hoc duplex genus reuocare velimus, largissimam idipsum merebitur censuram. Neque me mouet, quod ACCVRSIVS *d. l.* HOTOMANNVS, MYNSINGERVS, RITTERSHVSIVS, HVBERVS, B. HEINECCIVS defendant, vim ad infantem, potestatem ad infantia maiorem, vel vt MARCILIVS ad *cit. §. I. de tutel.* vim ad personam, potestatem ad bona pupilli referant. Noua lis exoritur considerantibus verba: *In capite libero*, nimirum vtrum ad tutorem, anne vero

ad

ad pupillum referenda eadem sint? Sunt, qui tutorem caput liberum hic dici existimant, sunt, qui pupillum haec verba respicere volunt. Illi ea ratione nituntur, quod 1) alias dicendum fuisset: *In caput liberum*, 2) adiiciendum fuisset: *Sui iuris*, et 3) etiam seruus in tutela esse possit per *L. 13. pr. D. de tut. et curat. dat.* Numerantur inter illos BALDVS *ad L. 1. D. de tutel.* DONELLVS *Comment. iur. ciuil. Lib. III. c. 1.* PACIVS *ad §. 1. I. de tutel.* FOERSTERVS *Disp. IIII. ad Inst. th. 2.* FRANC. DE AMAYA *Lib. II. obs. 7. n. 5.* FR. ROMANVS *Diss. de tutelis, Th. I. not. d.* Horum vero classem augent HERALDVS *Animadu.* THEOPHILVS *Paraphras. T. 1. de tutel.* ACCVRSIVS *ad h. l.* IANVS A COSTA *ad §. 1. Inst. de tutel.* MARANVS *Paratit. Tit. de tutel.* quibus et ego omni iure subscribo, siquidem 1) nec infrequens est ICtis, licet contra beneplacitum PRISCIANI, accusatiui loco, ablatiuum ponere, cuius indicio sunt *L. 65. §. 5. D. pro soc. L. 12. D. qui testam. fac. poss. L. 6. §. 7. D. de iniust. rupt. ac irrit. fact. testam.* nec 2) omnis deficit auctoritas pupillum alibi vocari: *Caput liberum*, vid. ipse CICERO *in Verr. II. c. 31.* *Hic alteram decuriam senatoriam iudex obtinebit! hic de* CAPITE LIBERO *indicabit?* nec denique 3) seruus in tutela esse potest, nisi cui libertas testamento data fuit, quem casum *cit. L. 13. pr. D. de tut. ac curat. dat.* supponit. Restat aliud Grammaticum bellum. Scilicet iunctum masculinum adiectiuum substantiuo neutro, dicitur namque: *In* CAPITE LIBERO, *ad tuendum* EVM, QVI etc. dum fuisset scribendum: ID, QVOD etc. Verum salua res est. SERVIVS significatum magis ob oculos habuit, quam quod vulgarem Grammaticam curauerit. Neque solus iste is est, qui per synthesin loquutus est, socios habebit TERENTIVM, *Andria Act. III. Sc. V. v. 1.* scribentem:

Vbi illic est SCELVS, QVI *me perdidit.*

et ipsum CICERONEM *Orat. pro Sextio cap. 17.* dicentem: *Duo importuna* PRODIGIA, QVOS *aeris alieni magnitudo,* QVOS *leuitas,* QVOS *improbitas Tribuno plebis constrictos addixerat.* Immo et ICtos, quos larga manu suppeditat NOODT *Obseru. L. I. c. 4. in f.* Agmen denique claudunt verba: *Iure ciuili data ac permissa,* quorum alterutrum abundare putant aliqui, sed praeter omnem necessitatem; data namque potestas datiuam, permissa legitimam ac testamentariam tutelam respicit. Haec

sententia est CVIACII *Paratit.* DONELLI *Comment. iur. Lib. III. c. 2. in f.* VVLTEII, MARCILII, A. MATTHAEI, E. OTTONIS, et V. HVBERI, *ad h. l.* Vid. omnino C. WAGNERVS *cit. Diss. de genuino definit. tutel. intellectu.* Atque hac ratione quodammodo defenditur Seruiana tutelae definitio, quam si ad Lydium Logices lapidem reuocaueris, eam innumeris mendis scatere, videbis, vtut CICERONI *in Bruto c. 41.* insignis in definiendo artifex visus fuerit SERVIVS. Nemo ACCVRSIO supra allegato magis contrarius fuit, quam WILDVOGELIVS *in Dissert. de Tutore minore §. 4.* tutelam potestatem amicabilem dicens. HVBERVS *de iure ciu. Lib. II. Sect. I c. 1. n. 45.* tutelam patriam potestatem vicariam vocans, ius naturale, non ciuile, ob oculos habuit. W. Omnis haec dissertatio AVCTORIS hausta ex G. C. GEBAVERI progr. *de S. Sulpicii definitione tutelae.* Goett. 1738.

§. DIII.

L. XXVI. T. 2. *Tutela testamentaria; legitima; datiua; pactitia.*

TVTELA, quae gerenda alicui testamento committitur, TESTAMENTARIA (a); ad quam suscipiendam lege obligamur, LEGITIMA (b); quam superior magistratus in specie imponit, DATIVA (c); quae vero mutuo pacto constituitur, PACTITIA (d) dicitur.

(a) CAIVS *Instit. Lib. I. Tit. 9. partit. Oiselianae §. 5.* Fundamentum suum inuenit in Legibus XII. Tabul. in quibus scriptum: PATERFAMILIAS VTI LEGASSIT SVPER PECVNIA TVTELAVE REI SVAE, ITA IVS ESTO. Sic IMPERATOR ARCADIVS, THEODOSIO II. iuniori, filio suo principi, Persarum regem ISDIGERDEM testamento tutorem dedit. Vid. PHOTII *Myrobibl. s. Biblioth. Vol. 63. p. 66. n. 30.*

(b) Et quidem in specie adgnatis, de quibus eaedem Leges XII. Tabul. AST SI INTESTATO MORITVR, CVI SVVS HERES NEC ESCIT, AGNATVS PROXIMVS TVTELAM NANCITOR. Quinam sint adgnati, exposui §. CCCCLXXV. Erat et alia eaque generalior legitima tutela, patronorum quippe atque parentum, de quibus eaedem XII. Tabul. al. loc.

(c) Dicun-

(c) Dicuntur alias ATILIANI. ATILIVS namque primus fuit, qui legem rogauit de tutoribus, deficientibus testamentariis ac legitimis, Romae a Praetore dandis. E. qui Romae a Praetore ex hac lege dabatur, Atilianus tutor dicebatur. Sed nec hoc sufficiebat, caeterae namque prouinciae eodem iuris supplemento cum indigerent, accedebat hoc ipsum AVGVSTO IIIum et M. TITIO, M. F. RVFO Coss., dum idem ius prouinciis applicaretur; Ex hoc tempore hi in specie, post vero omnes, dati, datiui dicti fuerunt. Dicti autem datiui, quod Praetor eos hac formula constitueret: DO TE TVTOREM. Vid. BRISSONIVS *de formul. Lib. V. p. 401.*

(d) Talem ex iure Germanico, non item ex LL. Romanis obtinere, alibi euictum est.

§. DIIII.

Qui fratris impuberis emancipati tutelam gerit, FIDVCIARIVS (a); qui cum tutore suo litigaturo dabatur, PRAETORIANVS TVTOR (b) dictus fuit. *Tutor fiduciarius; praetorianus.*

(a) Parentes emancipatorum a se impuberum liberorum tutelam ex legis dispositione gerebant; erant enim patroni eorumdem. Atque haec tutelae species dicebatur legitima. *Tit. I. de legitima parent. tutel.* Mortuis vero parentibus, liberi maiorennes, in potestate eorum existentes, tutores illorum erant. Sed non erant heredes ab intestato, E. nec tutores legitimi. Nomen E. his quaerendum erat, quod ex pacto fiduciae, mancipationi olim interposito, desumtum. Vid. SCHVLTINGIVS ad VLPIANI *Fragm. XI. 5. p. 595.*

(b) Vid. VLPIANI *Fragm. c. XI.* Hodie dicitur curator.

§. DV.

Tutoris nomen, non officium gerens, TVTOR HONORARIVS dicitur (*). *Tutor honorarius.*

(*) V. g. Caius, pater, testamento Seium et Lucium nominauit tutores filii sui Petronii; Titium vero Seio ac Lucio constituit inspectorem ac obseruatorem; h. e. Titius honorarius tutor est. *L. 3. §. 2. D. de administr. tutel.*

§. DVI.

Tutela cessitia. Tutela, quae a legitimo tutore alterius defertur, CESSITIA vocatur (*).

(*) Quid sit cedere, supra §. CCCXCIII. dictum. Tutela vero agnatorum legitima in bonis eorum esse censebatur, E. cedi poterat. VLPIANVS *Fragm. XI. 5. 7.* sq. Vid. VAN DE WATER *Obseru. III. 2.* C. W. KÜSTNER *de tutela cessitia.* Lips. 1745.

§. DVII.

Tutorium. Decretum superioris (*), quo tutela cuidam committitur, TVTORIVM dicitur.

(*) S. sit princeps, s. magistratus.

§. DVIII.

L. XXVI. T. 3. CONFIRMATIO definita §. CI.

§. DVIIII.

L. XXVI. T. 6. *Petere tutorem.* PETERE TVTOREM est superiorem rogare, de concedendo impuberi sui iuris aliquem, qui eius actiones dirigat.

§. DX.

Administratio. ADMINISTRATIONEM definii supra §. CLXXXIII.

§. DXI.

L. XXVI. T. 8. *Auctoritas tutoris.* Approbatio eius, quod cum pupillo geritur, a tutore actui praesente facta, AVCTORITAS TVTORIS dicitur (*).

(*) THEOPHILVS *Tit. Inst. de auct. tut.* vocabulo αὐθεντίας usus est, quod auctoritatem summam, s. imperium notat. Lucius mutuum sumere a Caio pupillo intendit, pupillus, licet consentiens, mutuum dare nequit, opus E. tutoris approbatione; Quodsi tutor praesens consentiat in mutuum, auctoritatem suam interposuisse dicitur.

§. DXII.

§. DXII.

Iudicium ex ſigno probabili, actionem malam fuiſſe perpetratam, SVSPICIO; qui vero eiusmodi ſigna edit, SVSPECTVM SE REDDERE dicitur (*).

L. XXVI. T. 10. Suſpicio; ſuſpectum ſe reddere.

(*) Titius v. g. Caii tutor teſtamentarius, ante ſuſceptam tutelam vitam frugalem vixit, poſthaec vero gulae deditus quotidianas compotationes exercet, conuiuiaque celebrat, latifundia acquirit, non auctis reditibus ſuis. Adeſt ſignum probabile, Titium, tutorem Caii, pupilli bona impendiſſe his omnibus. E. adeſt ſuſpicio, et Titius ſe ſuſpectum fecit.

§. DXIII.

Allegatio cauſae, ob quam quis tutelam ſuſcipere non poſſit, EXCVSATIO (a); Cauſa ea aut volentem repellit, aut nolentem liberat a tutela; priori caſu dicitur NECESSARIA (b), poſteriori VOLVNTARIA (c).*

L. XXVII. T. I. Excuſatio; voluntaria; neceſſaria.

(a) *Excuſare* ſaepe idem eſt ac impedire, vid. GRONOVIVS et Cel. GESNERVS *ad Pallad. Nov. VII. 1.* Hinc ICtis excuſatio venit pro allegatione impedimentorum. Atque hic excuſationis ſignificatus adeo peculiaris eſt, vt Graeci huic aequipollentem in ſua lingua omnino non habeant; hinc opus fuit, vt HARMENOPVLVS *Enchir. II. 5. 6. et I. 30. 80.* vocabulum excuſare redderet: *Ἐξκουσεύειν.* Rem ipſam paulo curatius euoluere licebit. Cui tutelae gerendae vires deficiunt, is inſufficiens eidem eſt. E. vt eamdem gerat, contradictio eſt, atque ſic idem eſt impoſſibile. Inſufficientia vero haec aut oritur ex defectu virium corporis et intellectus, aut ex defectu virium voluntatis; illo caſu inſufficientia phyſica, hoc moralis eſt. Quod poſteriorem concernit, tutor v. g. vitiis deditus, pupillo motiua ad perpetrandum actiones malas repraeſentat, E. imperfectiorem eum facit; ſed perficere eum debebat, E. tutor eſſe nequit.

(b) Sc. ob inſufficientiam moralem. V. g. Caius Titioli parentis iuratus exiſtit hoſtis. Adeſt igitur

signum probabile, eum non ex fide gesturum tutelam. E. non admittendus. Allegatio huius causae excusatio necessaria est. *L. 6. §. 17. D. de excusat.*

(c) Lucius liberorum impuberum numero gaudet; horum educandorum cura ipsi incumbit; deficiunt vero vires ad educandos plures necessariae. Allegatio huius causae physicae excusatio voluntaria est. Potest namque, si velit, hoc onus suscipere. *pr. I. de excusat.*

§. DXIIII.

Inimicitiae capitales.

Conatus, alterius statum imperfectiorem faciendi, INIMICITIAE, et quidem conatus, aliquem per accusationem criminis publici reum faciendi, INIMICITIAE CAPITALES (*) dicuntur.

(*) Graecis dicuntur κεφαλικὴ ἔχθρα, Germ. Todtfeindschaft. Sunt autem tales, quae oriuntur ex accusatione eiusmodi criminis, cui poena capitalis imminet. Caput enim notare statum, supra docui §. *CXCVIIII. et not. a.* Ciuis vero Romanus vltimo supplicio adfici non poterat, nisi in seruitutem prius esset redactus, fieretque poenae seruus, *L. 6. §. 6. D. de inust. rupt. irrit. fact. testam.* atque vero sic capite minuebatur, dum ciuitatis iura amitteret. Deportati pariter iure ciuitatis exuebantur, atque sic ad peregrinitatem redigebantur, *L. 17. D. de poen.* h. e. capite minuebantur. Siue igitur ciuis Romanus vita, s. ciuitatis iure priuaretur, capite vtroque modo priuatus simul erat. Inde inimicitia, hoc pro obiecto habens, capitalis vocata. CICERO *in Catilin. II. 2.* capitalis hostis, et *de Finib. IIII. 12.* capitalium inimicitiarum meminit, quas MODESTINVS capitale certamen vocat *L. 6. §. 17. D. de excusat.* idemque, vt optimus verborum suorum interpres, *L. 103. D. de V. S.* interpretatur: *Licet* CAPITALIS *latine loquentibus omnis causa existimationis videatur, tamen appellatio* CAPITALIS, *mortis vel amissionis ciuitatis, intelligenda est.* Vid. CVIACIVS et A. AVGVSTINVS *ad d. L. 6.*

§. DXV.

§. DXV.

Tabulae, creditum exhibentes, RATIONES (a); qui eas inſpiciendas proponit, eas EDERE (b); qui computum probat atque cum debito confert, eas REDDERE (c) dicitur. L. XXVII. T. 3. 4. *Rationes; edere, reddere.*

(a) LABEO *L. 6. §. 3. D. de edend.* rationes dicit, *vltro citroque dandi, accipiendi, credendi, obligandi, ſoluendi ſui cauſa, negotiationem.* Vid. *L. 1. D. eod.*

(b) Conf. editionis notionem §. CXXXV.

(c) Vid. *L. 82. D. de cond. et demonſtr.*

§. DXVI.

ACTIO perſonalis, de implenda obligatione inter pupillum et tutorem, TVTELAE; et quidem DIRECTA, qua pupillus rationes reddendas a tutore poſtulat, CONTRARIA, qua tutor a pupillo indemnem ſe ſeruari deſiderat; qua vero pupillus a tutore doloſo duplum damni dati exigit, DE RATIONIBVS DISTRAHENDIS dicitur (*). *Actio tutelae; de rationibus diſtrahendis.*

(*) Omittit auctor *actionem tutelae ſubſidiariam* contra magiſtratum; de qua videnda GE. CHR. GEBAVERI diſſ. *de actione tutelae aduerſus magiſtratum.* Lipſ. 1726. S.

§. DXVII.

Qui tutelam dolo ſuſcipit, FALSVS TVTOR; qui ex errore eamdem adminiſtrat, vel ſponte ſe huic ingerit, PROTVTOR vocatur (*). L. XXVII. T. 5. 6. *Falſus tutor; Protutor.*

(*) Ita VLPIANVS *L. 1. §. 1. D. de eo; qui pro tut.* protutorem dicit: *Qui munere tutoris fungitur in re impuberis, ſ. ſe putet tutorem, ſ. ſciat non eſſe, fingit tamen eſſe.* Fingas adeſſe pupillum Silium, ampliſſimo patrimonio inſtructum, patremque eius, belli flamma per totam prouinciam furente, obiiſſe; adeſſe Lucium, morienti vicinum, ad incitas redactum, illumque, hoc rerum ſtatu

ſtatu conſuli ſibi poſſe ratum, pupillum in domum ſuam recipere bonaque eius, in commodum magis proprium, quam iſtius, adminiſtrare, non inuitatum, tutoris falſi exemplum in perſona Lucii habebis, dolo quippe tutorem ſe gerentem. Ponas eodem rerum ſtatu Sulpicium, miſericordia ductum, pupillum defendere, ſeque ſimul proximum agnatum eiusdem credere, ſuſcepta ab eo tutela, redire, qui mortuus habitus erat, proximiorem adgnatum; erit protutor.

§. DXVIII.

L.XXVII. T. 7. *Nominator; Adfirmator.*

Qui alium ſui loco tutorem ſuadet, NOMINATOR (a); qui tutelae ſufficientem aliquem aſſerit, ADFIRMATOR (b) dicitur.

(a) Vid. *L. 1. §. 3. et 5. D. de magiſtrat. conuen.*

(b) Vid. *L. 4. in f. de fidei. et nominat.*

§. DXVIIII.

L.XXVII. T. 10. *Curatio; Curator.*

Ius (a) adminiſtrandi bona eorum, qui ob defectum naturalem (b) vel abſentiam (c) eadem diſpenſare nequeunt, CVRATIO, al. CVRATELA (d); adminiſtrans, CVRATOR dicitur.

(a) Eſt enim facultas moralis, legibus certis perſonis conceſſa, atque in hoc differt a negotiorum geſtione, quae ſponte, lege quidem permittente, non vero ſpeciatim iubente fit.

(b) V. g. aetatem minorennem, furorem, prodigalitatem, nam et haec defectum iudicii ſupponit.

(c) V. g. heredi abſenti, de quo non conſtat, vbi locorum degat, curator conſtituitur.

(d) Barbarum hoc vocabulum ICtis debetur. Optimae notae ſcriptores curationem dicunt. Ita CICERO *de Nat. Deor. l. 1.* curationis ac adminiſtrationis rerum mentionem iniicit. Reperies etiam hanc vocem in rubr. *D. de tutel. et rat. diſtrah. etc.*

§. DXX.

§. DXX.

ACTIO, qua obligationis inter curatorem atque curandum implementum petitur, dicitur TVTELAE VTILIS. *Actio tutelae vtilis.*

§. DXXI.

Ius in re in omnia, quae ad defunctum aliquem tempore mortis pertinuerunt, aut quibus aliis obligatus fuit idem, HEREDITAS (a), f. IVS HEREDITARIVM; Cui hoc ius competit, HERES (b); Complexus rerum et iurium, quae a nobis post mortem in alterum transferri possunt, HEREDITAS, f. RES HEREDITARIA (c) dicitur. Lib. XXVIII. T. I. *Hereditas; Heres.*

(a) CAIVS *in L. 24. D. de V. S.* ac IVLIANVS *L. 62. D. de div. reg. iur.* eodem fere modo hereditatem definiunt. Iis HEREDITAS nihil aliud est, quam *successio in omne ius, quod defunctus habuit.* Sed quid successio? et anne etiam heres succedit in obligationes defuncti? hae vero non sunt ius defuncti, sed eius, cui debuit idem. Equidem VINNIVS *in Comment. ad Inst. p. m. 310.* hunc defectum supplere voluit, addens: *Quod defuncto, vel in defunctum mortis tempore competit.* Verum nec hac ratione medela huic vitio allata videtur; heres enim non succedit in ius, quod in defunctum competiit, sed in obligationem, quae eius correlatum est. V. g. Titio competit ius vindicandi domum a Caio; Sempronius mortuo Caio eiusdem heres existit, illi igitur non acquiritur ius vindicandi domum, (hoc enim ius erat, quod competebat in Caium,) sed obligatio eam restituendi. Dixi vero hereditatem esse *ius in re*, id declarat *§. fin. I. de hered. qualit. et different.* vbi dicitur, pro herede gerere esse pro domino gerere. Competit vero hoc ius *in omnia, quae ad defunctum pertinuere, aut quibus alius fuit obligatus.* Prius probatur ex *L. 37. D. de acqu. vel omitt. hered.* posterius ex *L. 8. D. eod.* Sed incongrue me loqui putabis, qui ius dixi ad obligationem competere; verum euoluas notionem iuris supra suppeditatam *§. XLV.* Competit denique idipsum saltim in ius

ius ac obligationes, quae defuncti fuere mortis tempore, non alio. *L. 196. D. de D. R. I.*

(b) Neque ab *Era*, terra, quod HOTOMANNO, neque ab *haerere*, quod aliis placuisse memini, deriuanda heredis vox est, quum nec fundos semper hereditas deferat, nec haereat semper heres deliberando; suus saltim nunquam. Eiusdem farinae etymologia ISIDORI *Etymol. h. v. Lib. XI. c. 5.* est, ab *aere* desumta. Neque denique aliorum sententia placet, qui hereditatem a verbo *ercifcere*, eo, quod in Florentinis Pandectis loco heredis *eres* legitur, deducunt. HERES, si dicendum, quod res est, dicitur ab *hero*, s. domino. Vid. PLAVTVS *Maenechm. Act. III. Sc. 2. v. 11. sq.*

- - - - - - abstuli
Hanc, cuius HERES *nunquam erit post hunc diem.*

(c) Debemus hanc definitionem fautori nostro Cons. Do. I. I. SCHIERSCHMIDIO, *Erlangensium decori, in Elem. iur. ciu. Lib. II. Tit. 2. §. 122.* quam confirmat SENECA *de Benef. Lib. VI. c. 5.* scribens: *ICtorum istae argutae ineptiae sunt, quae hereditatem negant vsucapi posse, sed ea, quae in hereditate sunt: tanquam quicquam aliud sit hereditas, quam* EA, QVAE IN HEREDITATE SVNT. Vid. *L. 50. D. de hered. petit.*

§. DXXII.

Hereditas testamentaria; ab intestato; pactitia.

Ius illud (§. praec.) vel testamento, vel, eo non existente, lege, vel denique pacto transfertur. Isto casu HEREDITAS TESTAMENTARIA, illo AB INTESTATO, hoc PACTITIA vocatur.

§. DXXIII.

Intestatus.

Cuius hereditas ex testamento non defertur, INTESTATVS (*) dicitur.

(*) *Intestatum* dicere solent, qui testamentum non condidit, etsi ius condendi illud habuerit. Ita CICERO *Verrin. II. 30. Mulier ita propinqua, vt, ea etiamsi* INTESTATA *esset mortua*, EPICRATEM *heredem esse oporteret.* ICti latiorem huius vocis conceptum amant.

PAVLVS

PAVLVS *L. 64. D. de verb. signif.* INTESTATVS, dicit, *est non tantum, qui testamentum non fecit, sed etiam, cuius ex testamento adita hereditas non est.* Nec improprie eum intestatum dici, cuius testamentum ruptum vel irritum, addas rescissum et nullum, est, ait VLPIANVS *L. 1. D. de suis ac legit. hered.* Ex omnibus his patet, ex testamento his casibus hereditatem non deferri.

§. DXXIIII.

Designatio eorum, ad quos omnia iura, ac omnes obligationes nostrae, post mortem pertinere debeant (a), quaeque ab iis fieri volumus, TESTAMENTVM (b); designans, TESTATOR dicitur. *Testamentum; Testator.*

(a) In hoc differt a codicillo, in quo heredis institutione, s. nominatione successoris vniuersalis, opus non est. W. Breuibus, *testamentum* definiri potest: legitima futuri heredis institutio. S.

(b) Falluntur, qui IMPERATOREM, sequutum SERVIVM SVLPICIVM *de Testam. L. II.* teste GELLIO *Noct. Attic. L. II. c. 12. pr. Inst. de testam. ordin.* scribentem: *Testamentum ex eo appellari, quod testatio mentis sit*, definitionem testamenti tradere, sibi persuadent; Ipse namque fatetur, allusionem saltim hoc esse, qualis in iure Romano infrequens non est. Sic possessionem dici quasi a sedibus, auctor est LABEO in *L. 1. pr. D. de acq. vel amitt. possess.* et damnum, quasi a demtione s. deminutione, tradit PAVLVS *L. 3. D. de damn. infect.* Eiusdem originis forent vestimentum et calceamentum, illudque vestitionem, hoc calceationem (ignoscas barbariei) mentis notaret. An putaueris, sanae mentis hominem ita esse definiturum? Ast adest, quod mireris, GOEDDEVS ad *L. 164. D. de verb. signif.* hanc etymologicam calcei ac vestimenti definitionem defensurus. En bellam eius rationem: Quia sartor et sutor mentis iudicio in conficiendis vestimentis ac calceis vtatur, vel quia nemo sine mente se vestiat. Ni modestia huic viro caeteroquin optimo parcere suaderet, instantia aliqua vtendum foret. Sequutus GOEDDEVM MARCILIVS *ad h. l.* GELLIO, etymologiam testamenti ridenti, succen-

succenſens, argumentis tamen, quibus non omnis deficere videtur ratio, vſus; dicit namque eum, cui mens aut non ſit ſana, aut perfecta, teſtari non poſſe. MODESTINVS *L. 1. D. qui teſtam. fac. poſſ.* TESTAMENTVM dicit *iuſtam voluntatis noſtrae ſententiam, de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit.* VLPIANVS vero *Epit. Tit. XX.* id vocat: *Mentis noſtrae iuſtam conteſtationem, in id ſolemniter factam, vt poſt mortem noſtram valeat.* Vtraque, quoad ſignificatum, cum noſtra conuenit; legitimum, iuſtum et ſolemne ſynonyma hic ſunt, vt et ſententia, conteſtatio ac deſignatio. GROTIVS *de Iure belli ac pacis. Lib. II. cap. 6. §. 14.* teſtamentum vocat *alienationem in mortis euentum, ante eam reuocabilem, retento interim iure poſſidendi et fruendi.* Sed 1) ius in re in heredem viuo teſtatore non transfertur, ſed eo mortuo demum tranſit; E. 2) ipſum dominium, non vſumfructum retinet teſtator.

§. DXXV.

Teſtamentum publicum; priuatum.

TESTAMENTVM perſonae iurisdictione gaudenti traditum ſi fuerit, PVBLICVM (*), ſin minus, PRIVATVM dicitur.

(*) Titius teſtamentum absque omnibus ſolemnitatibus condidit, conditum vero principi aut magiſtratui offert, vt poſt obitum ſuum huius auctoritate ſuſtineatur: Titius publicum teſtamentum condidit.

§. DXXVI.

Solemnitas; Teſtamentum ſolemne; minus ſolemne.

ACTIO externa, i. e. talis, quae in ſenſus cadit, quae ita ad rem aliquam requiritur, vt ſalva ea abeſſe nequeat, SOLEMNITAS (a); TESTAMENTVM, obſeruatis ex antiquitate receptis ſolemnitatibus conditum, SOLEMNE (b), iis non obſeruatis, MINVS SOLEMNE vocatur.

(a) Vid. Cel. CANZIVS *Diſcipl. moral. §. 1863.*

(b) Quae enim in ſolemni teſtamento obſeruandae ſunt ſolemnitates, antiquitati ad vnum omnes debentur. Numerus enim teſtium ſeptenarius quinque ciues Romanos,

Romanos, in venditione hereditatis per aes et libram praesentes, vna cum familiae emtore, ac libripende, repraesentabat. Testes esse nequeunt, quales erant, qui ad comitia non vocabantur, vtpote feminae, impuberes, serui, furiosi etc. Continuitas actus itidem comitia repraesentat, quae interrupta, nulla erant.

§. DXXVII.

Designatio eorum, quae post mortem fieri volumus, aut characteribus, aut voce articulata fit; priori casu TESTAMENTVM dicitur SCRIPTVM, posteriori NVNCVPATIVVM (*). *Testamentum scriptum; nuncupatiuum.*

(*) *Nuncupare* est voce s. lingua quid significare. Vid. IVSTINVS *Histor. de Alexandro Lib. XII. c. 15.* et SVETONIVS *Claud. IIII. extr.*

§. DXXVIII.

TESTAMENTVM, testatoris manu conscriptum, HOLOGRAPHVM (a); in tergo vero chartae, scriptura impletae, scriptum, OPISTOGRAPHVM (b); Extraneus, testamentum scribens, SCRIPTOR TESTAMENTARIVS dicitur. *Testamentum holographum; opistographum; Scriptor testamentarius.*

(a) Composita haec vox est ab ὅλος solus, et γράφω scribo, i.e. quod solus, s. quod integrum testator scripsit.

(b) Ὄπισθεν enim a tergo significat, vid. LXX. Interpret. *1. Sam. IIII. 8.* et ὀπισθόγραφον a tergo scriptum. Sic IVVENALIS *Satyr. I.*

- - - Summi plenae iam margine libri
Scriptus et in tergo, nec dum finitus Orestes.

Huc collineat VLPIANVS *L. 4. D. de bon. poss. sec. tabul.* scribens: *Chartae appellatio et ad nouam chartam refertur, et ad deleticiam: Proinde et si in* OPISTOGRAPHO *quis testatus sit, hinc peti potest bonorum possessio.* ALCIATVS *Parerg. Lib. II. Dispunct. in f.* aduersaria interpretatur.

§. DXXVIIII.

Testamentum per aes et libram; in procinctu factum.

TESTAMENTVM, per venditionem hereditatis, mancipatione interueniente, conditum olim, PER AES ET LIBRAM (a); conditum vero ab ituro in praelium, IN PROCINCTV FACTVM (b) dicebatur.

(a) De mancipatione vid. GELLIVS *Noct. Attic. Lib. XV. c.* 27. et B. HEINECCIVS *Ant. Rom. Lib. II. T.* 10. §. 7. Dicitur etiam hoc testamentum FAMILIAE EMTIO §. 1. *Inst. de testam. ordinand.*

(b) Cingulum, vt insigne erat eorum, qui dignitate fulgebant, ita in specie militibus competebat, vid. ROSINVS *Antiq. Rom. Lib.* X. 1. et DEMPSTER *ad h. l.* In praelium igitur ituri, PROCINCTI, GELLIVS *Noct. Attic. Lib. I. c.* 2. atque id, quod eo tempore, quo acies instructa erat, contingebat, IN PROCINCTV FACTVM vocabatur. Vid. OVIDIVS *ex Ponto Lib. I. Ep.* 8. *v.* 10.

Haec IN PROCINCTV *carmina facta leges.*

Inde testamenti in procinctu facti, quod male *procinctum* dixere THEOPHILVM sequuti, vid. VINNIVS *ad Instit. p. m.* 316. origo. Eorum exempla suppeditant VELLEIVS PATERCVLVS *Hist. Rom. Lib. II. c.* 5. et IVLIVS CAESAR *de bello gallic. Lib. I. c.* 39.

§. DXXX.

Lib. XXVIIII. T. 1. *Testamentum militare; paganum.*

Testamentum aut a milite conditur, aut ab eo, qui miles non est. Priori casu MILITARE, posteriori PAGANVM dicitur (*).

(*) §. CCCLVI. et CCCLVII. cum notis subiunctis.

§. DXXXI.

Lib. XXVIIII. T. 2. 5. *Heredis institutio.*

Designatio eius, ad quem omne nostrum ius, omnisque obligatio post mortem pertinere debeat, HEREDIS INSTITVTIO dicitur.

§. DXXXII.

Pars hereditatis (a), nonnullis personis sanguine iunctis (b) ex legis dispositione (c) assignanda, LEGITIMA dicitur. *Legitima.*

(a) Et quidem olim quarta. *§. f. l. L. 8. §. 8. D. de inoff. testam.* Hodie vero tertia, si quatuor vel pauciores, dimidia, si plures existant liberi. *Nov. XVIII. c. 1.*

(b) Non omnibus, sed tantummodo 1) liberis, 2) parentibus et denique 3) certo respectu fratribus, nempe, si illis turpis persona praeferatur.

(c) Inde legitima dicitur; legitimum enim est, quod legibus conforme.

§. DXXXIII.

Priuatio legitimae, expressis verbis facta, EXHEREDATIO (a); Priuatio eiusdem tacita (b) PRAETERITIO dicitur. *Exheredatio; Praeteritio.*

(a) Legitima vero certis tantummodo personis competit (§. praec. et not. b.), hi autem legitimi heredes dicuntur, E. exheredatio ad legitimos heredes solum pertinet. Vid. PAVLVS *L. 132. D. de V. S.* qui loco suorum heredum legitimorum mentionem debuisset facere. Suus enim heres legitimus quidem, sed simul in potestate testatoris est. Exemplum exheredationis esto: Filius Caius Titio, patri suo, legitimus heres est; fingas vero Titium eum excludere ab omni legitima, vocato ad omnem hereditatem Sempronio, nullo, neque cognationis, neque adfinitatis vinculo ipsi iuncto; Caium exheredatum videbis.

(b) Vid. *§. 2. I. de hered. instit.* Aulus condidit testamentum, Luceiumque scripsit heredem, ex fratre qui nepos erat. Adest vero filius Silius, cuius nulla in testamento mentio facta, hoc casu Silius praeteritus est.

§. DXXXIIII.

Priuatio legitimae, ob damnum heredi legitimo imminens, EXHEREDATIO BONA MENTE FACTA (*) dicitur. *Exheredatio bona mente facta.*

 (*) Titius

(*) Titius habet filium dissolutam vitam viuentem, celeberrimumque helluonem, ex hoc vero nepotes existunt tres. Filius quidem legitimus patri heres est, perspicienti tamen, quodsi delata illi fuerit hereditas, breui temporis spatio eam iri dilapidatum, atque fore, vt ad incitas redactum filium suum videret, cum tota familia; ideoque, ne hoc fiat, filium exheredem scribit pater, ad hereditatem vocatis nepotibus, curatoribus ipsis simul datis. Exheredatio haec bona mente fiebat, sc. ne filius, perdito patrimonio, nepotibus omnia media viuendi subtraheret. W. T. I. REINHARTH *de exheredatione bona mente, eiusque vsu hodierno.* Goett. 1743. S.

§. DXXXV.

Testamentum inofficiosum.

TESTAMENTVM, in quo quis legitima praeter omne ius priuatus, INOFFICIOSVM dicitur (*).

(*) *Inofficiosum* dicitur, quicquid contra officium parentum erga liberos et horum erga illos factum, id quod declarat SENECA *de Benef. III.* 18. et CICERO *Verr. I.* 42. 1. ex eaque ratione ISIDORVS *Etymol. V.* 24. illud definit: *Quod, liberis frustra exheredatis*, SINE OFFICIO NATVRALIS PIETATIS, IN EXTRANEAS PERSONAS REDACTVM EST. OFFICIVM vero est actio, cuius commissio vel omissio dependet a lege. W. Distinctius dici debebat: *testamentum inofficiosum* esse, quo quis, adhibitis sollemnitatibus legitimis, sed sine legitima caussa, legitima priuatus est. Secundum definitionem AVCTORIS nulla inter testamentum inofficiosum et nullum differentia. S.

Officium.

§. DXXXVI.

Postumus; Aquilianus; Velleianus; Cornelianus; Iulianus.

Qui condito testamento in potestatem testatoris venit (a), POSTVMVS (b); nepos, post conditum testamentum ab auo, ex filiofamilias natus, AQVILIANVS; nepos, post conditum testamentum ab auo, in huius potestatem, ob mortem filii, recidens, VELLEIANVS; nepos, post testamentum aui, filio in potestate sui patris

tris exiſtente, mox vero decedente, natus, IVLIANVS; filius ante captiuitatem patris conceptus, captiuo vero eodem in lucem editus, CORNELIANVS poſtumus dicebatur (c).

(a) Poſtumos alias eos vocant, qui mortuo patre naſcuntur. *L. 3. D. de iniuſt. rupt. et irrit. fact. teſtam.* Verum inſufficientem hanc notionem eſſe, vel ex eo probatur, quod poſtumi Iuliani et Corneliani ſupponant patrem viuum, et dein, quod VIRGILIVS *Aeneid. VI. v. 763.* parenti poſtumi longaeuitatem precatur, his:

Siluius, Albanum nomen, tua POSTVMA *proles,*
Quem tibi longaeuo ſerum Lauinia coniux
Educet ſiluis regem regumque parentem.

(b) Ita potius, non *poſthumus* ſcribendum. Neque enim a poſt et humus, quaſi poſt humatum patrem natus, deducitur, quod ſibi, multisque aliis perſuaſit GOVEANVS *ad L. 29. D. de lib. et poſt. hered. inſt.* Poſtumus enim nil aliud eſt, ac poſtremus, quod declarat VIRGILIVS l. c. et APVLEIVS *Metam. IIII. p. 144. poſtuma ſpes* dixit pro vltima.

(c) De his omnibus vid. *Tit. D.* inprimis vero *L. 29. D. de lib. et poſt. hered. inſtit.* Nomen ſortiti ſunt ab auctoribus legum, quibus poſtumorum ius iis fuit conceſſum.

§. DXXXVII.

TESTAMENTVM, in quo neceſſarium requiſitum deficit, NVLLVM (a); quod validum eſt, ex poſtfacto vero corruit, INFIRMATVM (b) vocatur. Lib. XXVIII. T. 3. *Teſtamentum nullum; infirmatum.*

(a) Neceſſarium requiſitum teſtamentorum eſt heredis nominatio; hoc enim non facto, nullum idipſum eſt; item neceſſaria eſt teſtatoris habilitas, ad hoc, vt teſtamentum ſubſiſtat. *L. 4. ſq. D. qui teſt. fac. poſſ.* Dicuntur nulla teſtamenta etiam *iniuſta*, h. e. non iuſte, vel ſecundum legum praeſcriptum condita *L. 1. D. de iniuſt. rupt. et irrit. fact. teſtam.*

(b) Huius ſpecies ſunt irritum, deſtitutum, reſciſſum etc.

§. DXXXVIII.

Querela nullitatis. Actio personalis, qua heres legitimus testamentum, vt non iure conditum, tolli petit, QVERELA NVLLITATIS dicitur.

§. DXXXVIIII.

Testamentum ruptum; irritum; rescissum; destitutum. TESTAMENTVM, ob postumi existentiam, aut mutatam testatoris voluntatem, corruens, RVPTVM (a); ob mutatum testatoris statum inualidum, IRRITVM (b); per querelam inofficiosi sublatum, RESCISSVM (c); ex quo heres non existit, DESTITVTVM (d) vocatur.

(a) Testamentum igitur ruptum duplici modo fit, 1) postumi existentia, de qua ad §. DXXXVI. vid. late HVBERVS *Praelect. II.* 17. 1. 2) posteriori condito testamento, quo de conf. *L. 6. §. 2. D. de iur. codicill. §. 2. I. quib. mod. testam. infirm.*

(b) V.g. Si capite minueretur testator, h.e. seruus fieret, aut exsul, aut arrogaretur, tum irritum erat eius, quod condiderat, testamentum. *L. 6. D. de iniust. rupt. et irrit. fact. testam.* Irritum enim dicitur, quod olim substitit, post vero valore priuatum. Ita TERENTIVS *Phorm. V.* 7. 58.:

> *Quod dictum, indictum; quod modo erat ratum,* IRRITVM *est.*

et IMP. *§. 3. I. quib. mod. test. infirm.*: IRRITVM *fit, quum id, quod iure factum erat, infirmatur.*

(c) *Rescindere* idem est, quod abrogare, vid. TERENTIVS *Phorm. Act. II. Sc. 4. v. 15. sq.*:

> *Mihi non videtur, quod sit factum legibus,*
> RESCINDI *posse.*

Testamenta olim in comitiis condebantur, E. instar legum erant. Hoc dudum aliis obseruatum est. Lex vero amplius non valitura vt abrogaretur, necesse erat. Rescissa in statu populari fuisse testamenta, auctor est CICERO *Verrin. I.* 42.

(d) *Destitutum* idem est, quod derelictum, verlassen. SVETONIVS *in Galba, cap.* 11.: *Consternatus,* DESTITVTOQVE

TOQVE *similis, non multum abfuit, quin vitae renunciares.* Vid. *§. 2. I. ad L. Falcid.*

§. DXL.

Testamentum cancellatum; deletum; inductum.

TESTAMENTVM scriptum, lineis decussatim obductum, CANCELLATVM (a); in quo verba praecipuum pondus habentia ita obducta sunt, vt legi non possint, DELETVM (b): si vero ita, vt legi quidem quodammodo, sed non distincte percipi possint, INDVCTVM (c) dicitur.

(a) CANCELLARE est cancellis includere; vid. COLVMELLA *de re rust. Lib. IIII. c. 2.* descendit enim a cancellis; quicquid igitur lineis, maximam partem cancellorum speciem praebentibus, h. e. decussatim, Germ. Creutzweise, obductum, cancellatum dictum fuit. Ex hac sola ratione ICTVS in *L. 22. D. de furt.* tabulas cancellatas, et in *L. 15. §. 1. D. de testam. milit.* testamentum cancellare dicit. Vid. etiam *L. 1. et 2. D. de his, quae in testam. del. L. 24. D. de prob.*

(b) *Delere* est plane tollere, exstinguere, vt amplius non appareat, vertilgen, auslöschen, maxime autem de scriptura dicitur, de quo vulgatus versiculus:

DELEO *scripturam, cum flamma exstinguo lucernam.*

Et hoc modo deletum testamentum intelligendum, quod in eo caput praecipuum, v. g. heredis nomen, ita obductum sit, vt legi non possit. Vid. *L. 1. D. de his, quae in testam. delentur.*

(c) *Inducere* est quasi ducta per ceras linea interlinire, Germ. ausstreichen. CICERO *ad Attic. Lib. IIII. Ep. vlt.* Veteres namque in tabulis cera obductis scribebant: Vid. etiam *L. 22. D. de solut.*

§. DXLI.

Lib. XXVIII. T. 5. *Heredis institutio captatoria.*

HEREDIS INSTITVTIO (a) eum in finem facta, vt institutus testatorem pariter heredem scribat, CAPTATORIA (b) dicitur.

(a) Definitionem heredis institutionis vid. §. DXXXI.

 (b) *Captare*

(b) *Captare* pessimum verbum esse, atque id denotare, quod enixe ac subdole quid ambire, Grammatici diu notarunt. Sic PLAVTVS *Amphitr. Act. I. Sc. I. v. 266.*:

Quid me CAPTAS *carnifex?*

Formulam captatoriae institutionis exhibet ANTON. AVGVSTINVS *Lib. IIII. Emend. c 15.* Fuit autem haec: TITIVS, EX QVA PARTE HEREDEM ME INSTITVET, EX EA PARTE HERES MIHI ESTO.

§. DXLII.

As; Vncia; Sextans; Quadrans; Triens; Quincunx; Semissis; Septunx; Bes; Dodrans; Dextans; Deunx.

Omnis quantitas, vt totum considerata, dicitur AS (a); quaelibet vnitas, ex qua cum aliis homogeneis quantum aggregatum* est, VNCIA (b); duplex vncia, SEXTANS (c); triplex, QVADRANS (d); quadruplex, TRIENS (e); quintuplex, QVINCVNX (f); sextuplex, s. dimidium quantitatis, SEMISSIS (g); septuplex, SEPTVNX (h); octuplex, BES (i); nouem vnciae, DODRANS (k); decem, DEXTANS (l); vndecim, DEVNX (m) dicuntur.

(a) Romani omnem quantitatem ad pondus et ad assem redigebant, vid. GRONOVIVS *de pecunia veteri*, cuius quaelibet pars homogenea ac analoga vnitas, s. vncia erat. Quidquid igitur non appendebatur, id totum consideratum as erat. As enim idem est, quod totum indiuiduum, dictum a Graeco εἷς, quod Dorice αἷς, a Siculis vero αἶς, a Tarentinis denique ἀς scribitur. Vid. SALMASIVS ad VOPISCI *Proc. c. 13.* COLVMELLA *de re rust. Lib. V. c. 3.* Inde nunc HERES, qui succedit in omne ius ac omnem omnino obligationem defuncti. EX ASSE dicitur, est enim heres totius hereditatis. MARTIALIS *Epigramm. Lib. III. 10.*:

Idem te moriens, heredem EX ASSE *reliquit.*

(b) AS ante Punicum bellum Romanis dictus fuit libra, vid. VARRO *de re rust. Lib IIII.*, et Siculis λίτρα; hanc vero in duodecim diuidebant partes, quarum vnam οὐγκίαν vocabant. POLLVX *Onomast. c. 9.* Vnde Romanis eadem *Vncia* appellata. Sic *vnciae agri* meminit

VARRO

VARRO *de re rust. Lib. I. c.* 10. Et ad hunc modum omnis hereditas diuisa in XII. vncias. Vid. VLPIANVS *L. 50. §. 2. 3. D. de hered. instit.*

(c) Sextans enim sexta pars est cuiuscunque totius, in duodecim partes distributi. VITRVVIVS *de Architect. Rom. Lib. III. c.* 1. E. sextans = erit 2. vnciis.

(d) Quadrans est quarta pars totius, adeoque per conditionem arbitrariam (not. b.) = 3. vnc. Hoc comprobat PLINIVS XXXIII. 3.: *Quadrans antea trimncis vocatus a tribus vnciis.*

(e) Triens tertiam partem notat, adeoque 12 : 3 = 4. vnc.

(f) Quincunx idem est ac quinque vnciae.

(g) Semissis est semi as, f. dimidium assis, E. 12 : 2 = 6. vnc.

(h) Septunx est id, quod septem vnciae.

(i) Bessem nonnulli interpretantur per bis trientem, sed contortam hanc esse etymologiam, iam obseruauit FESTVS *h. v.*

(k) Dodrans est, cui ad id, vt totum fiat, deest quadrans, 12 — 3 = 9. vnc.

(l) Dextans, cui deest sextans, vt totum constituat. 12 — 2 = 10. vnc.

(m) Deunx, cui, vt as fiat, deest vncia. 12 — 1 = 11. vnc.

§. DXLIII.

Designatio heredis vlterioris, in casum, si instituto heredi hereditas nostra non deferatur, SVBSTITVTIO (a); vocatus hac conditione ad hereditatem, SVBSTITVTVS (b); heres institutus aut in patria potestate testatoris existit, aut non; illo casu SVBSTITVTIO dicitur PVPILLARIS (c); posteriori vero VVLGARIS.

Lib. XXVIII. T. 6. *Substitutio; Substitutus; Substitutio pupillaris; vulgaris.*

(a) Substituere est in locum alicuius surrogare. Ita CICERO *Verrin. III. 69. Nunc pro te Verrem substituisti alterum ciuitati.*

ciuitati. Et VLPIANVS *L. 69. D. de vsufr. Substituere pecora,* pro: Alia in eorum, quae mortua sunt, locum reponere, scribit. Atque hac ratione, quando in locum heredis instituti alius surrogatur, SVBSTITVTIO audit. CAIVS *Inst. Lib. II. Tit. 5. Edit. Oisel.* vel potius ANIANVS, quod probat OISELIVS ad hunc CAII locum, substitutionem secundi heredis appellationem, et CHIFFLETIVS *de success. cap. 4.* apud OTTONEM *Thes. iur. Rom. Tom. V.* iteratam, ac nouam heredis institutionem, deficiente priori, dicit. Exemplum substitutionis est apud SVETONIVM *Tiberio cap. vlt.* vbi TIBERIVS testamento suo, nepotes suos, CAIVM ex GERMANICO et TIBERIVM ex DRVSO, substituit inuicem.

(b) Vocatur et secundus heres, v. CAIVS *Inst. l. c.* CICERO *Verrin. III. et de Orat. I.* TACITVS *Annal. Lib. I.* APPIANVS *de Bello ciuil. Lib. II.* licet vlterior, tertius, quartus etc. substitutus sit.

(c) Impubes testari nequit. §. 1. *Inst. quib. non est permiss. test. fac.* Comitiis enim olim non intererat. Pater igitur impuberem filium suum familias heredem instituens, simulque metuens, ne intra impubertatis terminos decedat, atque ideo fiat, vt sua et filii bona ad alium deferantur, cui non bene cupit; et sibi et filio suo condit testamentum, ex plenitudine patriae potestatis, idque in casum, si ille pubes nondum factus decesserit, quod hac formula fit: TITIVS, FILIVS MEVS, HERES ESTO, SIQVE IS INTRA PVBERTATEM DECEDAT, MEVIVM SVBSTITVO. Vid. CAII *Inst. l. c.* Exemplum pupillaris substitutionis est apud HORATIVM *Sermon. II. 5.* Vocatur autem *pupillaris,* quia impubes, cui substitutus post mortem patris et eius succedit, pupillus est.

§. DXLIIII.

Substitutio exemplaris; militaris; mutua.

SVBSTITVTIO, qua vlterior heres, liberis furiosis successurus, designatur, EXEMPLARIS (a); a milite facta, MILITARIS (b); qua coheredes inuicem substituuntur, MVTVA (c) dicitur.

(a) Furiosus impuberi in eo similis est, quod testari nequeat. *L. 40. D. de R. I.* E. ad exemplum substitutionis,

tionis, impuberi filio factae, introducta a IVSTINIANO substitutio furiosis a patre facta. *L. 9. C. de vulg. et pupill. substit.* Inde etiam *exemplaris* et *quasi pupillaris* dicta, ad exemplum namque pupillaris ordinata est.

(b) Miles namque, sicut ratione testamentifactionis priuilegiis multis gaudebat, ita et substituere poterat liberis, etiamsi testamentum sibi non condidisset. *L. 2. §. 1. D. de vulg. et pupill. substitut.*

(c) Alias breuiloqua audit. Exemplum vid. ad §. praeced. not. a.

§. DXLV.

Omne incertum, cuius existentia rationem validitatis actus cuiusdam continet, dicitur CONDITIO (a); quodsi existentia incerti istius contradictionem non inuoluit, POSSIBILIS (b); sin inuoluit contradictionem, IMPOSSIBILIS (c) dicitur. Lib. XXVIII. T. 7. *Conditio; possibilis; impossibilis.*

(a) Plerique in definitione conditionis incertum futurum requirunt, quod inter alios fecit PVFENDORFIVS *de Iur. nat. et gent. Lib. III. cap. 8. §. 2.* et *de Offic. hom. ac ciuis. Lib. I. c. 9. §. 10.* atque TITIVS *ad h. l.* et ante eos ACCVRSIVS *ad rubr. Tit. de condit. et demonstrat.* ALCIATVS *ad Tit. C. de pact.* Verum non satis accurate. Parum namque refert, futurum, an praeteritum, an vero praesens sit illud incertum, in quo validitatis rationem ponit disponens. V. g. Caius emit ICti cuiusdam ac Procuratoris Camerae Imperialis celeberrimi, quae venditantur, Annotationes manuscriptas ad Conceptum Ordinationis cameralis, sub ea conditione, si reuera ICti istius propria manus sit, qua scriptae annotationes. Caius Lucium scribit heredem sub conditione, si frater maiorennis reuera mortuus sit, vel si debito, quo olim erat obstrictus, iam nullo prematur. Licet vero mors Titii probanda olim, probatio tamen non efficit ipsam conditionem, sed eius accessorium est, cui renunciari poterit ab eo, cuius alias intererat.

(b) V. g. Si Caius Meuiam duxerit. Hoc enim contradictionem non inuoluit.

(c) V. g.

(c) V. g. Si Lucius octogenarius XX. milliarium spatium intra XX. horas pedibus absoluerit. Si Caius filium pepererit. CONTRADICTIO enim est *simultanea eiusdem affirmatio et negatio.* Implicat namque homini octogenario velocitatem auis tribuere, aut mari attributa feminae applicare. Duplici autem modo ICtis conditio impossibilis est, scilicet NATVRA, h. e. cuius natura cum praedicato contradictionem inuoluit, vel vt IMP. §. 14. *Inst. de inutil. stipulat.* inquit · *Cui natura impedimento est, quo minus existat*, aut LEGE TALIS, cuius nempe praedicatum cum lege contradictionem inuoluit, v. g. si Titius Caium occiderit. Occidere enim prohibitum lege est. Ea namque, quae bonos mores ac honestatem laedunt, ne quidem nos facere posse intelligendum, dixit PAPINIANVS *L. 15. D. de condit. inst.*

Contradictio. *Conditio impossibilis natura et lege talis.*

§. CXLVI.

Conditio potestatiua; casualis; mixta.

Si ad id, vt incertum illud existat, vires nostrae sufficiunt, CONDITIO POTESTATIVA (a); si idipsum a fato dependet, CASVALIS (b); si a viribus nostris et fato simul, MIXTA (c) dicitur.

(a) V. g. Si Caius studiis diligenter incubuerit, ad hoc enim Caii, hominis non adeo hebetioris ingenii, vires sufficiunt.

(b) V. g. Si Lucius Meuium duos annos superuixerit; ad hoc enim, vt fiat, vires humanae non sufficiunt. Possem quidem Meuium occidere, sed hoc lege impossibile est, nec vires legibus determinatae ad hoc sufficiunt. Et si hoc etiam, vitam tamen duos annos producere omnino non valeo mihi relictus.

(c) Si v. g. sanus ex academiis redieris et vxorem duxeris. Prior propositio a fato, posterior a voluntate tua dependet.

§. DXLVII.

Conditio perplexa;

Ex cumulatione principiorum incertorum, se inuicem tollentium, oritur CONDITIO PER-

PERPLEXA (a); ex principio vero, ad quod *difficilis;* exiſtentiae reddendum alterius, non autem eius, *praepoſte-* cui adſcripta, vires ſufficiunt, DIFFICILIS (b); *ra.* ex tali vero, quod contradictionem ratione temporis inuoluit, PRAEPOSTERA (c).

(a) *Perplexum* dicitur non intelligibile ob contrarietatem dictionis. Sic VALERIVS MAXIMVS *Lib. III. c. 4. n. 3.. Tutulus ſeruili cognomine et regia appellatione* PERPLEXVS. Exemplum perplexae conditionis eſt in *L. 16. D. de condit. et demonſtrat:* SI TITIVS HERES ERIT, SEIVS HERES ESTO: SI SEIVS HERES ERIT, TITIVS HERES ESTO.

(b) V. g. Si Caius laudationem funebrem in memoriam mei recitauerit, ipſeque conſcripſerit. Caius vero nec litteris, nec Oratoriae incubuerit.

(c) Praepoſterum id dicitur, quod inuerſo ordine fit, prius ſc. quod poſterius contingere debebat. Sic OVIDIVS *Triſt. Lib. I. Eleg. 7. v. 5.*

Omnia naturae PRAEPOSTERA *legibus ibunt.*

E. g. Si, qui heri occiſus fuit, cras ſaltauerit.

§. DXLVIII.

Quodſi incertum illud rationem in ſe conti- *Conditio* net, cur negotium illo exiſtente perficiatur, *ſuſpenſiua;* CONDITIO SVSPENSIVA (a); Si vero ne- *reſolutiua.* gotium, iam perfectum, irritum fit, RESOLVTIVA CONDITIO (b) dicitur.

(a) Conuenit inter Caium ac Titium de vendendo emendoque equo, addit Titius ſe daturum L. ac habiturum ſibi equum, ſi Sempronius intra anni ſpatium ſoluat, quod ſibi debet, conditio eſt ſuſpenſiua. Deuoluit enim effectum venditionis ad caſum, ſi Sempronius ſoluerit.

(b) Vid. *L. 12. D. de in diem addict.* et *L. 1. D. de L. commiſſ.* v. g. Lucius a Seio emit duos rhedarios equos, pellibus tygridem mentientibus, atque eosdem ſecum abducit, addens: Si intra trimeſtre ſpatium aliorum duorum eiusdem coloris particeps non fiat, priores duos recipiat

recipiat venditor; resolutiua conditio est. Plura exempla suppeditat pactum commissorium.

§. DXLVIIII.

Lib. XXVIIII. T. 2. *Hereditatis aditio; Hereditas iacens.*

Declaratio nos velle acquirere ius et obligationes alicuius defuncti, nobis delata, HEREDITATIS ADITIO (a); HEREDITAS nondum adita IACENS (b) dicitur.

(a) Haec proprie de heredibus extraneis dicitur, de quibus infra. Alias subire hereditatem dicitur heres. *L. 151. D. de diu. reg. iur.*

(b) Iacens res VLPIANO *L. 45. §. 4. D. de furt.* dicitur, cuius dominus ignoratur, v. g. hereditas, quae dominum non habet; is enim, ad quem iam pertinere debet, se nondum declarauit, vtrum habere eam velit, an minus.

§. DL.

Cretio; vulgaris; continua.

Solemnitas, in aditione hereditatis obseruanda, CRETIO (a); Cretionum formulae si verba: QVIBVS SCIERIS POTERISVE, adiicerentur, VVLGARIS (b); si non, CONTINVA dicebatur olim.

(a) Fallit VLPIANVS *Fragm. XXII.* et ISIDORVS *Etymol. V. 24.* quorum prior: CRETIO *est certorum dierum spatium, quod datur instituto heredi ad deliberandum, vtrum expediat ei adire hereditatem.* Alter vero: CRETIO *est certorum dierum numerus, in quo institutus heres aut adit hereditatem, aut, finito tempore cretionis, excluditur, nec liberum ei vltra hereditatis ius capiendi.* Neque VARRO *de Lat. lingu. Lib. V. p. 65.* rem acu tetigit, cretionem ab eo, quod faceret videre heredem, nec SCALIGER a κρίνειν, iudicare, dedocentes. Optime rem expediit PERIZONIVS *ad* SANCTII *Mineruam IIII. 15. p. m. 770.* docens, CERNERE idem esse, quod decernere, sc. se velle heredem esse. Fiebat autem haec cretio vel decretio solemnitatibus quibusdam, in quibus determinandis dubii adhuc sunt interpretes. CVIACIVS digitorum percussionem fuisse autumat *Lib. VII. Obs. 34.*

(b) Erat

(b) Erat autem formula vulgaris cretionis: *Titius heres esto, cernitoque in diebus C. proximus; (quibus scieris poterisue) nisi ita creueris, exheres esto.* Vid. BRISSONIVS *de formul. VII. p. 600. sq.*

§. DLI.

Facultas heredibus competens, perquisita hereditate, consensum, de hereditate adeunda, declarandi, IVS DELIBERANDI (*) dicitur. Lib. XXVIII. T. 8. *Ius deliberandi.*

(*) Qui E. deliberat, in vires hereditatis inquirit, omniaque, quae noceant, quaeque prosint, probe perpendit, antequam declaret sententiam suam.

§. DLII.

SVVS (a) HERES (b) dicitur, qui mortis tempore in potestate defuncti, et tempore adeundae hereditatis in familia proximus (c). Ceteri EXTRANEI (d) vocantur. Lib. XXVIIII. T. 2. *Heredes sui; extranei.*

(a) Eum, qui aliquem in potestate habebat, cum eo, qui in eiusdem potestate erat, vnam personam fuisse, dupondiis notum est. Inde est, quod liberi in potestate parentis constituti, viuo eo, quodammodo domini bonorum eorumdem habiti sint. Comprobat hoc ipsum *L. 11. D. de lib. et postum. hered. instit.* quippe quo dominium patris continuare dicuntur. Et apud PLAVTVM *Trinum. Act. II. Sc. II.* Lysiteles patri interroganti: Vtrum de suo credere vellet amico, nummos roganti, respondet:

- - - - - de meo.
Nam quod tuum est, meum est: Omne meum est autem tuum.

Filiusfamilias E. succedens patri, sibi ipsi succedere, adeoque suus heres videbatur. Vid. *§. 2. I. de hered. qualit. et diff.* Huc collineat OVIDIVS *ex Ponto Lib. II. Ep. 2. v. 53.*

Viuit enim in vobis facundi lingua parentis,
Et res HEREDEM *repperit illa suum.*

Eadem subest ratio, quod iidem heredes sui *domestici heredes, cit. §. 2. I. de hered. qual* et PLINIVS *Panegyr.* it. *heredes familiae*, CICERO *in Oratione pro Cluent.* ac Graecis *αὐτοκληρονόμοι* dicantur. Displicet originis ratio omnis

A COSTA

A ÇOSTA *ad pr. I. cit. Tit.* idque vel ex hac ratione, quod viuentis non sit hereditas. Verbum *sui* idem interpretatur per natiuum, domesticum, naturalem, proprium.

(b) Suus itaque heres esse potest: Filius, filia, nepos, neptis, arrogatus etc.

(c) Hoc addere malui cum VINNIO *ad §. 2. Inst. de hered. qualit. et different.* Fingas enim casum: Exheredato filio, in potestate testatoris constituto, extraneus scribitur heres; Moritur exheredatus, extraneus vero institutus repudiat hereditatem, iamque ex filio nepos ab intestato succedit, suusque heres est. *§. 7. I. de heredit. ab intest.* Est enim in familia proximus, non vero filius.

(d) Licet adsint liberi. *§. 3. I. cit. Tit.*

§. DLIII.

Heres necessarius; voluntarius.

Cui, vt hereditatem non acquirat, impossibile est, HERES NECESSARIVS (*); cui vero eamdem acquirere, vel non acquirere liberum est, VOLVNTARIVS dicitur.

(*) V. g. Seruus heres cum libertate a domino scribitur, idque ad auertendam maculam, quam subhastatio bonorum quodammodo secum ferebat. Hoc enim modo fiebat, vt bona publice proponerentur, nomine non testatoris, sed serui heredis. Adeoque ad adeundam hereditatem, si nollet adire seruus, cogebatur. *L. 6. §. f. D. de acqu. vel omitt. heredit.* IMPERATOR *§. 1. I. de hered. qual. ac diff.*: *Necessarius*, inquit, *heres est seruus heres institutus. Ideoque sic appellatur, quia s. velit, s. nolit, omnino post mortem testatoris protinus liber et necessarius heres fit.* Eos, quibus facultas repudiandi hereditatem adempta est, NECESSARIOS HEREDES pulcre vocat BYNCKERSHOECK *Obs. Lib. II. c. 2.*

§. DLIIII.

Deferri hereditas; acquirere; omittere hereditatem.

DEFERRI HEREDITAS dicitur, si ius acquirendi eam alicui conceditur; Qui hereditatem sibi delatam suam facit, eam ACQVIRIT, qui non, eam OMITTIT (*).

(*) Idem

(*) Idem praetermittere dicitur *L. 59. D. de acqu. vel omitt. heredit.*

§. DLV.

Heres suus, facto externo consensum de adeunda hereditate declarans, ei se IMMISCERE (a); dissensum declarans, ea ABSTINERE (b); extraneus prius faciens ADIRE, posterius, eam REPVDIARE (c) dicitur. *Hereditati se immiscere; abstinere hereditate; adire hereditatem; repudiare hereditatem.*

(a) Vid. *L. 41. D. de acquir. vel omittend. hered. L. 7. D. de min. §. 5. I. de hered. qualit. et different.* Dicuntur etiam *miscere se L. 87. pr. D. de acqu. vel omittend. heredit.* item *immergere se L. 10. §. 2. D. eod.* Heredibus enim suis satis erat ad acquirendam hereditatem, si factum aliquod exercuerint externum, ex quo constare possit, velle se succedere in omne ius omnemque obligationem defuncti parentis, vel aui, aut arrogantis eos olim, v. g. debitis soluendis aut exigendis. Hoc ipso namque satis superque declarauerant, se velle defuncti iura continuare; Solemni enim hereditatis aditione opus non habebant, ex ratione §. *DLII.* allegata. W. Conf. GE. LVD. BOEHMER *de herede suo, ab hereditate se abstinente vel immiscente.* Goett. 1756. S.

(b) Vt satis in acquirenda hereditate suis erat immixtio, ita in omittenda ea abstentio ab administratione rerum hereditariarum sufficiebat. Abstinere est manus contrectandis rebus hereditariis non admouere. *L. 38. D. de acqu. vel omitt. heredit.*

(c) Vtrumque verbis vel facto fit; si prius, dicitur aditio et repudiatio *verbalis*; si posterius, *realis*. Repudiari autem hereditas facto potest, si heres, legitimus simul ac testamentarius, legitimam capiat. *L. 70. et 77. in f. D. de acquir. vel omitt. heredit.* *Aditio et repudiatio verbalis ac realis.*

§. DLVI.

PRO HEREDE GERERE SE dicitur, qui, quum heres non est, factum, heredi proprium, bona fide exercet (*). *Pro herede se gerere.*

(*) Aliter VLPIANVS *L. 20. pr. D. de acqu. vel omittend. heredit.* inquit: *Pro herede gerere non tam facti, quam animi*

 est;

est; nam hoc animo esse debet, vt velit esse heres. Verum consensus in adeunda hereditate delata quidem sufficit, neutiquam vero in ea, quae delata non est. Conf. infra §. DCLIII.

§. DLVII.

Lib. XXVIIII. T. 7. *Codicillus.*

Dispositio de iis, quae fieri volumus post mortem, praeter heredis institutionem, CODICILLVS (*) dicitur.

(*) *Codicillus* diminutiuum codicis, f. vt rectius scribitur, caudicis est. Caudex autem erat complexus plurium tabularum, quarum alterius latitudo latitudinem alterius tangebat. Vid. BVRMANNVS ad RVTILII *Itinerarium II. 1.* Quumque tali caudici testamentum olim inscriberetur, id, per metonymiam, codex vocatum. Vid. IVVENALIS *Satyr. II. v. 57.*

nam CODICE *saeuo*
Heredes vetat esse suas.

Vid. *§. 3. Inst. de testam. ordin. L. 5. C. de agent. in reb. etc.* BASILICA *Lib. XXXVI. Tit. I.* Codicillus igitur aut tabulis minoris formae, aut paucioribus constabat, quumque in talibus epistolas scribere vsu venisset, epistolae, praecipue vero eae, quae ad praesentes mittebantur, festinanter quippe ac minutis tabellis inscriptae, codicilli vocati sunt. Vid. CICERO *Lib IIII. ep. 12. et VI. ep. 18. ad famil.* SENECA vero *Lib. V. ep. fin.* clarius hoc ipsum indicat, scribens: *Video te, mi Lucili, adeoque tecum sum, vt dubitem, an incipiam non epistolas, sed codicillos tibi scribere.* Galli vocant: Ein *Billet.* Sed vnde factum, quod hunc significatum vltimis voluntatibus minus solemnibus accommodarint? Haec subest ratio, quod scilicet initio codicilli nil aliud essent, quam literae testatoris, scriptae ad heredes, de iis, quae post mortem fieri vellet, id quod euincit Perill. Dn. BOEHMERVS *Dissert. de Codicillis sine testibus validis, cap. 1. §. 3. et 4.* Vid. *L. 89. pr. D. de legat. 2.* et *L. 7. C. qui test. fac. poss.* quibus codicilli vocantur epistolae. Ridiculum igitur est a CODICILLO, homine quodam, eos deriuare, quod fecit ISIDORVS *Etymol. h. v.* Sunt, qui, GAIVM *L. 148. D. de verb. signif.* sequuti, codicillos in plurali dicendos putent, sed singularem inuenies apud MARCIANVM *in L. 19. D. de codicill.* et PAVLVM *in L. 58. D. de condit. et demonstrat.*

§. DLVIII.

§. DLVIII.

CODICILLVS, characteribus declaratus, SCRIPTVS; fono articulato prolatus, NVNCVPATIVVS dicitur (*). *Codicillus scriptus; nuncupatiuus.*

(*) Codicillus licet proprie fcriptum denotet, vid. §. praec. vfu tamen et nuncupatiuae difpofitioni applicata haec denominatio eft, vid. *L. f. C. de bon. quae lib.*

§. DLVIIII.

CODICILLVS aut teftamentum praecedens fupponit, aut non; illo cafu TESTATVS (a), hoc INTESTATVS (b) dicitur. *Codicillus testatus; intestatus.*

(a) Vid. *L. 16. L. 3. §. f. D. de codicill.*
(b) Vid. *L. 16. D. de codicill.*

§. DLX.

CLAVSVLA CODICILLARIS dicitur propofitio, quae teftamento additur, quaque alternatiuam, aut teftamenti, aut codicilli, naturam idem nancifcitur (*). *Claufula codicillaris.*

(*) Metuens namque teftator, folemnitatis aliquid neglectum effe, indeque futurum, vt non fubfiftat teftamentum, addit claufulam hanc: Si teftamentum vitio aliquo laborans fuftineri nequeat, valeat tamen vt codicillus, h. e. minus folemnis vltima voluntas.

§. DLXI.

Quidquid aliis, ex bonis defuncti (a), praeftandum heredi iniungitur, LEGATVM (b) dicitur (c). L. XXX. T. I. *Legatum.*

(a) Res enim eft defuncti, nec heres vllum ius in eis nancifcitur, quum in legatarios dominium legatae rei ftatim, quum mortuus eft teftator, tranfit. *L. 77. §. 3. de leg. 2. L. 80. D. eod.* In hoc enim a fideicommiffo differt.

(b) Legatum dici ab eo, quod legis inftar olim effet, non inprobabile videtur. Docet hoc ipfum VLPIANVS

Fragm. XXIIII. 1. quum dicit: LEGATVM *est, quod legis modo, i. e. imperatiue, relinquitur.* Innuunt hoc ipsum verba, quibus olim legata concipiebantur: PRAECIPITO, SVMITO, DAMNAS ESTO. Immo IVSTINIANVS *Nou.* XXII. *c.* 2. ait: Νομοθετείτω μὲν γὰρ ἕκαστος ἐπὶ τοῖς ἑαυτοῦ τὰ εἰκότα, καὶ ἔστιν νόμος ἡ τούτου βουλή; vbi legare dicit νομοθετεῖν. Hinc imperatiuis verbis conciperetur olim legatum necesse erat. *L.* 15. *C. de test. L.* 2. *C. comm. de legat.*

(c) Aliter IMPERATOR §. 1. *I. de legat.* sc. LEGATVM *est donatio quaedam a defuncto relicta, ab herede praestanda.* Legatum, quum IMPERATOR dicit donationem quamdam, non voluit esse speciem donationis, neque enim donatio inter viuos, neque mortis causa donatio est, et tertium non datur. Vid. a COSTA *ad I. h.* Omnis vero donatio ad effectum, vt actio inde nascatur, requirit consensum vtriusque declaratum. Sed voluit IMPERATOR legatum donationis analogon esse; confertur enim in legatarium lucrum, idque ex liberalitate conferentis. Ast quaenam haec est Logica? An sufficit per analogon definire? Et anne, simiam si dixerim hominem quemdam, aut hypodidascalum Imperatorem quemdam, omnium excitarem risum? Verba: Ab herede praestanda, non habent THEOPHILVS *Paraphr. cit. I. Tit.* et HARMENOPVLVS *eod.* nec habet ea MODESTINVS *L.* 5. *D. de leg.* 1. qui id donationem testamento relictam solum dixit. His adductus CVIACIVS *ad §.* 1. *I. de legat.* ea expungit. Sed non opus erat hac emendatione. Heres enim, adeundo hereditatem, cum legatariis quasi contrahit, §. 5. *I. de obl. quae quasi ex contr.* omniaque eius bona hypotheca adficiuntur; §. 1. *I. ad L. Falc.* E. ad praestandam rem legatam obligatus est; nec obstat concessam rei vindicationem legatariis contra tertium possessorem, quum subsidiaria sit ac contra tertium detur, neque, hac inani, heres liberatur a praestatione legati. VLPIANVS *Fragm.* XXIIII. 1. legatum definiens, quod sit id, quod legis modo, i. e. imperatiue, testamento relinquitur, formam legati, non ipsum legatum describit. FLORENTINVS *L.* 116. *D. de leg.* 1. dicit: LEGATVM esse *delibationem hereditatis, qua testator ex eo, quod vniuersum heredis foret, alicui quid collatum vult.* Delibare metaphora est, quae ex definitione exulare debet, ac significat

ficat leniter degustare, decerpere. Ita CICERO *in Cat. mai. c. 21.* scribit: *Nunquam dubitasse, quin ex vniuersa diuina mente* DELIBATOS *animos haberemus, i. e. ita detractos, vt mens integra manserit, ne in ea diminutio detegenda*, et *Orat. pro Sextio, c. 56.* dicit: *Omnes vndique flosculos carpere atque* DELIBARE, et FLORVS *Lib. II. c. 6.*. *Ne quid de virginitatis integritate* DELIBASSE *saltim oculis videretur.* FLORENTINVS dicere voluit, legatum particulam hereditatis esse, adeoque Scholiastes THEOPHILI *h. l.* *μόριον κληρονομίας* habet. Non vero, vt sibi persuasit EGVINARIVS BARO apud COSTANVM *quaest. mem. c. 14.* quod legata ex vniuersa hereditate promantur, s. delibetur hereditas, antequam ab herede sit adita, id quod contra analogiam iuris aperte impingit.

§. DLXII.

Legatum vindicationis; damnationis; sinendi modo; praeceptionis.

Si testator legatario olim facultatem concederet, legatum adita hereditate sibi statim capiendi, LEGATVM VINDICATIONIS (a); si heredem condemnaret ad soluendum legatum, DAMNATIONIS (b); si condemnaret heredem, legatarioque simul permitteret capere, SINENDI MODO (c); si coheredi aliquid legaret, id LEGATVM PRAECEPTIONIS (d) dicebatur (e).

(a) Formula hac, directa ad legatarium, vtebatur testator: DO, LEGO, SVMITO, HABETO. Item: ILLAM REM TIBI PRAESVME, VINDICA. Hoc enim casu adita hereditate legatarius rem legatam vindicabat, non expectata traditione heredis. CAIVS *Inst. L. II. T. 7. §. 1.* VLPIANVS *Fragm. Tit. XXIV.* Errat proinde A. FABER *Coniect. Lib. VI. c. 1.* putans, nedum tempus adeundae hereditatis expectare legatario opus fuisse. Exemplum eiusmodi legati est apud VIRGILIVM *Aeneid. V. v. 553.*

(b) DAMNARE idem est ac pronunciare obligatum aliquem esse ad dandum vel faciendum; ita occurrit in lege Manilia, vid. M. FABIVS *Lib. VII. cap. pen.* Eundem hoc habuisse effectum, quam si a iudice quis condemnatus fuerit, docet PAVLVS *recept. sent. l. 19. 1.*

Formula erat directa ad heredem: TV HERES MEVS ILLI HOC DA; ILLVD ILLI AB HEREDE MEO DARI IVBEO. CAII *Inst. L. II. Tit. 7. §. 2.* HERES MEVS DAMNAS ESTO DARE; DATO; FACITO. VLP. *Fragm. c. l.*

(c) Non nisi e legatis per vindicationem et damnationem mixtum hoc legatum est. Formula ad vtrumque interdum, interdum ad heredem dirigebatur. HERES MEVS DAMNAS ESTO SINERE L. TITIVM SVMERE ILLAM REM, SIBIQVE HABERE. VLPIANVS *Fragm. l. c.* ILLE HERES MEVS REM ILLAM, ILLVM PERMITTE PRAESVMERE, ET SIBI HABERE. CAII *Inst. L. II. Tit. VII. §. 6.* HERES MI, ILLVM REM ILLAM SIBI HABERE SINITO, PERMITTITO. *§. 2. I. de testam.*

(d) PRAECIPERE est ante alios capere. Hoc declarat DONATVS *ad Lib. V. Aeneid.* VIRGILII: *Praecipuum, quod praeter communionem singulis proprio nomine deputatur, vt fit saepe in testamentis, cum aliqua per praeceptionem singulorum heredum consuerit esse testator.* Inde formula nascebatur ad coheredem directa: L. TITIVS ILLAM REM PRAECIPITO. VLPIANVS *Fragm. l. c.* PRAECIPITO, SVMITO, TIBIQVE HABETO. PAVLVS DIACONVS et MANGO *in notis iurid.* Vocatur alias praelegatum, *L. 77. §. 8. D. de leg. 2. rubr. Tit. D. de dote praeleg.* it. praecipuum, SIDONIVS APOLLINARIS *Lib. VI. ep. 12.* scribit: *Illud deberi sibi quodam, vt dicunt ICti, PRAECIPVO titulo.* it. praeceptio, *L. 32. D. de leg. 3.* Excipuum, FESTVS *h. v.* PHILOXENVS *gloss.* ἐξαίρετον δῶρον, et THEOPHILVS ἐξαίρετον λεγάτον dixere. Exemplum praelegati L. solidorum aureorum, GREGORIO DIACONO a GREGORIO NAZIANZENO relicti, exhibet OISELIVS *not. ad Caii Inst. L. II. p. 101.* Aliud POMPEII RHEGINI adfert VALERIVS MAXIMVS *L. VII. c. 8. §. 4.* Conf. *L. 25. §. f. D. fam. erc. L. 1. D. de instr. vel instrum. leg. L. 25. D. de adim. legat. t. t. D. de dote praeleg.*

(e) Addunt quintum modum, per PARTITIONEM sc. CONTIVS *Subcis. II. 12.* ALEX. TVRON. *de exequ. leg. 1. 2. n. 4.* VNGEPAVER *Exerc. VIII. qu. 14.* argomento *L. 164. de V. S. §. 5. I. de fideic. hered.* indeque heredem partia-

partiarium dicunt. Meminit partitionis VLPIANVS *Fragm. Tit. XXIIII.* et CICERO *pro Cluentio: Is facit heredem illum adolescentulum, eumque* PARTIRI *cum Dinea matre iussit.*

§. DLXIII.

Quidquid ex acquisitis per aditionem bonis alii praestandum iniungitur, FIDEICOMMISSVM (a); si omne ius hereditarium, VNIVERSALE, sin minus, PARTICVLARE; cui id praestandum committitur, FIDVCIARIVS (b); in quem vero confertur, FIDEICOMMISSARIVS HERES audit. *Fideicommissum; vniuersale; particulare: Heres fiduciarius; fideicommissarius.*

(a) FIDEICOMMISSI etymologia perplexa non est, composita a voce *fidei* et verbo *committere*, quasi commissum alicuius fidei. En huius rei adaequatam rationem: Sunt, quibus legata nulla relinqui, sunt, qui heredes scribi non possunt, v. g. serui poenae, *L. 3. D. de his, quae pro non scrip.* peregrini et deportati, *L. 6. §. 2. D. de hered. inst. L. 1. §. 2. D. de leg. 3.* etc. Hos si nihilominus heredes esse vellet quis, alius in testamento nominandus, isque rogandus erat, vt hereditatem vel legatum dictae personae restitueret. Atque vero preces nullum obligant, libertati E. heredis instituti relictum erat, velletne praestare id, an minus. Igitur, fidem eius vt sequeretur testator, necesse erat. Longe alia fideicommissorum facies licet esset, regni habenas capessente AVGVSTO, nomen tamen mansit. Relinquebatur E. precatiuis verbis, verum ad formam, non ad essentiam eorum hoc ipsum spectat, ideoque probare non possum VLPIANEAM definitionem *Fragm. Tit. XXV.* esse scil. quod non ciuilibus verbis, sed precatiue relinquitur. Fideicommissum supponit aditionem, et factum heredis; per aditionem hereditatem heres acquirit, legata iam ante eam iure dominii ad legatarios pertinebant. En differentiam! Ast, quum particularia fideicommissa legatis nouiori iure exaequata sint, frustra differentiam quaeres hodie.

(b) Fiduciarius a fiducia, quam in eo collocauerat testator, dicitur.

 §. DLXIIII.

§. DLXIIII.

Fideicommissum familiae; agnaticum; cognaticum.

FIDEICOMMISSVM, quod de proximo in familia mortuo in proximum viuentem continuo defertur, FAMILIAE; si ab agnato in agnatum, AGNATICVM; si vero tam agnatis, quam cognatis defertur, COGNATICVM (*) dicitur.

(*) Io. CHR. RVPRECHT *de fideic. familiae cognatica.* Marp. 1739.

§. DLXV.

Coniuncti; re; verbis; mixtim.

CONIVNCTI dicuntur, quibus eadem res legata est. Hoc si factum diuersis propositionibus, RE (a); si eadem propositione, discretis tamen partibus, VERBIS (b); si vna eademque propositione, non determinatis partibus, MIXTIM coniuncti (c) dicuntur.

(a) Quodsi testator dixerit: SEIO AEDES MEAS DO, LEGO; et postea: LVCIO AEDES EASDEM DO, LEGO; Seio et Lucio easdem aedes legauit testator, E. coniuncti sunt in re, sc. legata. Quoniam vero discreti sunt oratione, h. e. diuersis propositionibus; oratione, vel verbis coniuncti nequeunt dici; vid. *L. 142. D. de V. S.* dicuntur itaque ex eadem hac allegata ratione disiuncti, sc. oratione. *§. 8. I. de leg. L. vn. §. 10. 11. C. de caduc. toll.*

(b) V. g. Testator scripsit: TITIO ET CAIO FVNDVM MEVM AEQVIS PARTIBVS DO, LEGO; in re, nempe fundo, coniuncti non sunt, quilibet enim eorum suam partem recipit; iuncti tamen sunt vna propositione. E. verbis dicuntur coniuncti. *L. 89. D. de leg. 3.*

(c) Testamentum exhibet ea verba: TITIO ET SEMPRONIO HORTVM MEVM DO, LEGO; Titius et Sempronius ad eundem hortum vocati sunt, E. re coniunguntur; Continet eos etiam vna propositio, E. verbis coniuncti simul sunt. Inde mistura. Vid. *L. 142. D. de V. S.*

§. DLXVI.

§. DLXVI.

IVS coniunctis competens, asserendi sibi partem alterius coniuncti deficientis, ACCRESCENDI (*) audit. *Ius accrescendi.*

(*) ANT. SCHVLTING *historia iuris accrescendi.*

§. DLXVII.

Legatum, quod in initio singulorum annorum debetur, ANNVVM (*); quod vero in initio singulorum mensium, MENSTRVVM dicitur. Lib. XXXIII. T. 1. *Legatum annuum; menstruum.*

(*) ANNVVM est, quod singulis annis fit. Ita CAESAR *de B. G. L. I. c. 18.* scribit: *Et Lisco, qui summo magistratui praeerat, quem Vergobretum appellant Aedui, qui creatur annuus.* Inde legatum annuum debetur in initio singulorum annorum, vid. *L. 8. D. de annuis leg. et fideic.* indeque Brocardicum ligato sermone:

ANNVA *si debes, tunc inspicies caput anni;*
ANNO *si debes, in fine teneberis anni.*

et quidem totum, nisi testator terminos expresserit, quod olim fieri consueuit per hoc: CCC. BIMA, TRIMA DIE, TITIO LEGO; hoc est singulo biennio aut triennio, vt ita priori casu quotannis CL, posteriori C. accipiat legatarius, vid. VLP. *in L. 3. D. de ann. leg.*

§. DLXVIII.

Ens omnimode determinatum, SPECIEM (a); similitudinem specierum, GENVS (b); similitudinem generum, GENVS SVMMVM (c) ICti dicunt. *Species; Genus; Genus summum.*

(a) Ita quidem ICti, Philosophi hoc indiuiduum dicunt. Eiusmodi ens omnimode determinatum est, v.g. hortus meus, emtus a Caio, inter viridaria Lucii ac Sempronii situs; Sempronius, Meuii filius natu maximus. Nihil enim reperitur, quod non adeo determinatum in iis sit, vt non ab omnibus sibi similibus distingui possit. Eadem ICtorum species, quae dicitur *in L. 41. §. 1. D. de leg. 1.* certum corpus appellatur *in L. 30. D. eodem.*

 (b) GE-

(b) GENVS ICtis idem, quod Philosophis species est, vt v. g. equus rhedarius, Doctor iuris, actio. Vid. *L. 2. D. si cert. pet.* Alium significatum generi tribuit TRIBONIANVS *§. plebs. I. de I. N. G. et C.*, dum id, quod alias totum dicitur, *genus*, partem vero *speciem* appellat. Debet hanc philosophiam, quam non satis perspexit absque dubio, CICERONI, qui de *Inuent. 1. 28.* scribit: *Genus est, quod partes aliquas complectitur, vt cupiditas: pars est, quae subest generi, vt cupiditati amor, auaritia.*

(c) Hoc nostrum genus constituit, vt homo.

§. DLXVIIII.

Lib. XXXIII. T. 5. *Legatum optionis.*

OPTIO est electio (*); et LEGATVM OPTIONIS, quum legatario conceditur facultas e pluribus speciebus eligendi, quicquid velit.

(*) OPTARE eligere significat, teste VIRGILIO *Aeneid. III. 108. sq.*:

Teucrius Rhoeteas primum est aduectus ad oras,
OPTAVIT*que locum regno.*

Et TERENTIVS *Eunuch. 1. 9. 27.*:

Quod vis donem praemium a me OPTATO, *id* OPTATVM *feres.*

Inde et Accensi, postquam eorum electio concederetur Centurionibus, OPTIONES dicebantur. Vid. FESTVS *voc. Optio.* Natiuus vero optionis sensus militaris est, ac dicitur de militibus et praemia eligentibus, vid. DONATVS *ad cit.* TERENTII *locum.* Sunt, qui sibi persuadent, optare e duobus, eligere e pluribus dici, quos tamen refellit VIRGILIVS *Aeneid. V. v 147.*:

Muneraque in naues ternos OPTARE *iuuencos.*

Vid. *L. 2. L. 6. D. de opt. leg. L. 18. fam. ercisc.* Ceterum legatum optionis et electionis distinguit Cel. ESTOR *ad* B. HEINECCII *Inst. p. m. 289* optionem actum legitimum ex *§. 23. I. de leg.* argumentatus. W. Omnino ad h. l. conferendus GE. CHR. GEBAVER *de optione vel electione legata.* Goett. 1747. S.

§. DLXX.

Lib. XXXIII. T. 7.

Res corporalis, qua vtimur ad finem aliquem obtinendum, INSTRVMENTVM (a); RES vero

vero omnibus, ad perfectionem sui pertinentibus, gaudens, INSTRVCTA (b) dicitur. *Instrumentum; res instructa.*

(a) Quod in moralibus medium, id in corporalibus instrumentum dicitur. V. g. Tonsor, genas alicui radens, novacula, vt instrumento, vtitur, Titius si Caium ense transfodit, ensis instrumentum est. Optime PLINIVS *L. 10. ep. 42.* instrumentum ad iaculandum aquam aduersus incendia dixit. SABINVS *in Libr. ad Vitell.*, vt refert VLPIANVS *L. 8. D. de instruct. vel instrum. legat.* scribit: *In instrumento fundi ea esse, quae fructus 1) quaerendi, 2) cogendi et 3) conseruandi gratia parata.* Ad prius refert homines agrum colentes, illisque praepositos, boues aratro iungendos, pecora stercorandi agrum causa parata, aratra, ligones, sarculos, falces putatorias, bidentes, etc. ad alterum, falces, si vinea sit, torcularia, corbes; ad postremum, dolia, cupas etc. Sic lanionis instrumenta sunt mensae, pondera, ferramenta laniandae carnis causa comparata, trutinae, cultri, dolabrae etc. docente PAVLO *in L. 18. D. eod.*

(b) Sic CICERO *Verr. IIII. 27.: Omnibus rebus* INSTRVCTVM *et paratum conuiuium* dixit. Domo itaque instructa legata, non aulaea, sellas, supellectilem necessariam tantum, sed et mensas, eboreas v. g. reliquaque ad ornatum facientia legatario cedere dixit VLPIANVS *L. 12. §. 43. D. de instr. ac instr. leg.* Ad praedium instructum ideo omnis supellex, bibliotheca, tabulae, mancipia etc. referenda. *L. cit. 12. §. 35. sq. D. eod.* Errat proinde SCHARDIVS *Lexic. iurid. h. v. p. 458.* instructum ab instrumento differre, vt totum a parte, putans.

§. DLXXI.

Quicquid victui (a) destinatum (b) est, PENVS (c) nomine venit (d). Lib. XXXIII. T. 9.

(a) Non omne, quod edimus aut bibimus, sed quod ad vitae sustentationem aut voluptatem edimus vel bibimus; alias enim et medicamina ad penum essent referenda, quod obseruauit PAVLVS *L. 5. D. de pen. leg.* *Penus.*

(b) Non enim id, quod consumtum est, sed quod seruatur, vt olim victui inseruiat, penus est, vid. GELLIVS *Noct. Attic. Lib. III.* indeque dictum putat, quod non in promtu sit, sed intus ac penitus seruatum.

(c) PENVS

(c) PENVS masculinum quartae declinationis dicit CICERO *de Nat. Deor. II. 27.* femininum, LVCILIVS *ap. Non. III. 174.* tertiae declinationis, GELLIVS *IIII. 1.* penum secundae declinationis, neutro genere, PLAVTVS *Capt. IIII. 4. 12.* Haec si consideraueris, non miraberis diuersam declinationem.

(d) Q. MVTIVS *L. II. de iur. ciu.* penum dicit, quae esui potuiue sunt, sed male, vid. not. a. Adeo late extenditur penus vocabulum, vt victum omnium, qui ad familiam pertinent *L. 3. pr. D. de pen. leg.* non solum, sed et animalium in aedibus seruatorum *L. 3. §. 7. D. eod.* complectatur. Adeo, vt vocabulum Victualien in latiori significatu attemperandum huic notioni sit.

§. DLXXII.

Supellex. Omnis res mobilis (a), vsui (b) familiae, praeter victum et amictum (c), inseruiens (d), SVPELLEX (e) dicitur (f).

(a) Quaenam sit res mobilis, et quomodo a se mouente distinguatur, vid. §. LXXXVIIII. Ideo FLORENTINVS *L. 2. D. de supel. leg.* dicit res mouentes non animales, e. g. mensae, sellae, scamna, vasa aquaria, rhedae, lecticae.

(b) Non vero solius voluptatis gratia, absque omni vsu, ad necessitatem vel commoditatem spectante aliquam. *L. 11. cit.*

(c) Excipiuntur E. vestes. *L. 1. D. h. t.*

(d) Aurum, argentum et vestes excipit POMPONIVS *L. 1. D. h.* Ita quidem ex antiquo iure. Veteres enim aureo argenteoue supellectili non vtebantur. *L. 7. §. 1. D. de supell. leg.* Secus de iure nouiori. *L. 3. §. 3. D. eod.*

(e) Supellectilem dici a pellibus, quod olim his, qui in legationem proficiscerentur, locarentur, quae sub pellibus vsui forent, putat LABEO, *L. 7. pr. D. cit.* Pelles enim hic tentoria notant. TVRNEBVS vero *Aduers. XVIII. 23.* a lectis deriuat, olimque ea, quibus lecti aut eis discubituri tegerentur, saltim supellectilis nomine comprehensa fuisse, autumat.

(f) POMPONIVS *L. 1. D. cit.* supellex domesticum patrisfamilias instrumentum, quod neque argento aurone facto,

facto, vel vesti annumeratur, vocans, propius accedit. ALFENVS vero *L. 6. D. eod.* supellectilem rem dicens, quae ad vsum communem patrisfamilias parata est, quae nomen sui generis separatim non haberet, fallit. Quis enim dubitauerit, crateres, scyphos, calices, cymbia, cantharos, lagenas, ad supellectilem pertinuisse? Eximet scrupulum PAVLVS *L. 3. §. 3. 19.* et IAVOLENVS *L. 11. D. eod.* si dubitaueris. Omnia vero haec poculorum nomine veniebant. TVBERO eodem modo fere supellectilem definit: *Instrumentum quoddam patrisfamiliae rerum ad cottidianum vsum paratarum, quod in aliam speciem non incideret.* Melius posterior, quam quidem ALFENVS. Dantur enim res, quae ad victum, dantur, quae ad amictum pertinent, nec supellectilis tamen veniunt nomine.

§. DLXXIII.

Omnia ea, quae ad vitae corporisque sustentationem requiruntur, ALIMENTORVM (a); quae ad vitae solum, VICTVS (b); quae ad corporis nutritionem, CIBARIORVM (c); Series vero actuum (d), quibus eorum, quorum vires propter aetatem ad id non sufficiunt, externus internusque status ita perficitur, vt condigna ciuitatis euadant membra, EDVCATIONIS (e) nomine venit.

Lib. XXXIIII. T. I. *Alimenta; Cibaria; Victus; Educatio.*

(a) Alimentis igitur continentur omnia, quibus vescimur ac quae bibimus ad necessitatem, vestimenta et habitatio, quibus contra aëris iniuriam corpus munimus, ex eadem ratione lecti et stramenta, lignum ad calefaciendum hypocaustum, medicamina ac pharmaca, quibus imminens vitae priuatio auertitur, corpusque pristino vigori restituitur. *L. 6. D. de alim. et cib. leg.*

(b) VICTVS *verbo continentur,* inquit VLPIANVS *L. 43. D. de V. S. quae esui, potui, cultuique corporis,* (sc. ne pereat) *quaeque ad viuendum homini necessaria sunt.* E. medicamenta, nisi immineat vitae periculum, huc non pertinent.

(c) VLPIANVS *L. 21. D. de alim. et cib. leg. Diariis,* scribit, *vel cibariis relictis, neque habitationem, neque vestiarium,*

rium, neque calciarium deberi palam est: quoniam de cibo tantum sensit testator. Complectitur tamen necessarium potum. Minus E. victu est.

(d) Seriem potius actuum, quam simplicem actum, quod placuit Cel. CANZIO, *Discipl. moral.* §. 3864. dicere educationem malui, quum vnico actu haud absoluatur educationis negotium. Fingas: Titium Semproniolo, iuueni, liberalitatem suam egregio dono, in eum collato, testari, eumdemque simul de virtute colenda admonere, actum eiusmodi, quo Semprinioli status perficitur, Titium perpetrare nullum dubium, multum vero abest, vt eum educasse dicere potueris.

(e) Non longe nostra educationis definitio differt ab ea, quam Perill. L. B. DE WOLFF vernünfft. Gedancken von dem gesellschafftl. Leben, §. 81. et KOEHLERVS *iur. soc.* §. 157. exhibent, dum eam in cura liberorum, iuncto regimine, ponunt. Sed educandi non semper sunt liberi, posteriusque ex priori est demonstrandum. Ceterum educationis vocabulo plurimi praestationem victus et amictus, cum communi habitatione, comprehendere solent, hucque inclinare etiam videtur PAVLVS *in L. 5. D. de alim. et cib.* Propius ad nostrum scopum accedit PLAVTVS, plus quam alimentorum praestationem ad educationem requirens, *Menaechm. Act. I. sc. v. 22.*

Nam illic homo homines non alit, verum educat.

quae elegantius exprimit NONIVS *V. 5.* ALERE *est victu temporali vitam sustentare*, EDVCARE *autem ad satietatem perpetuam educere.*

§. DLXXIIII.

Lib. XXXIIII. T. 2. *Mundus muliebris; Ornamenta.*

Quaecunque ad munditiem (a) fictamque pulchritudinem corporis feminini faciunt, MVNDI MVLIEBRIS (b); Quaecunque ad ostentationem corpori applicantur, ORNAMENTORVM nomine vulgantur.

(a) Ita VLPIANVS *L. 25. §. 10. h. Mundus,* inquit, *muliebris est, quo mundior mulier fit*, et VARRO *de lingu. Lat. IIII. 29. Mundus muliebris*, scribit, *dictus a munditia.* Quo autem constet, quaenam ad mundum muliebrem retulerint veteres, en tibi ea VLPIANVS *c. l.* speculum, hoc

hoc enim monſtrat defectum pulchritudinis corrigendum, matulam, unguenta non pharmaceutica, ſed tentipellia, vaſa vnguentaria, quae ad lauationem pertinent, riſcum, i. conditorium vnguentorum. Addit PAVLVS *L. 3. Sent. c. 6.* conchas, (receptacula unguentorum ſunt, vid. HORATIVS *Lib. II. od. 7. v. 22*) ſitulos, (vas, aquae hauriendae gratia comparatum, Gallo-Germanicae voci em *Laveir* reſpondens,) baxides etc.

(b) Ingenioſe quidem, minus accurate tamen TERTVLLIANVS *de habitu mul.* ſcribit: *Habitus feminae duplicem ſpeciem circumfert,* CVLTVM *et* ORNATVM. *Cultum dicimus, quem* MVNDVM MVLIEBREM *vocant. Ornatum, quem immundum muliebrem conuenit dici etc. Iſte in auro et argento et gemmis et veſtibus deputatur, ille in cura capilli et cutis et earum corporis partium, quae oculos trahunt.* PAVLVS *L. 26. D. de aur. arg. etc leg. Quibus venuſtatis et ornatus cauſa vti coeperunt mulieres,* dicit. Huc pertinent monile, inaures, armillae, annuli.

§. DLXXV.

DVBIVM dicitur, ad quod nec affirmandum nec negandum ſufficiens adeſt ratio (*). Lib. XXXIIII. T. 5. *Dubium.*

(*) V. g. Caius et Titius aedibus corruentibus vna opprimuntur, vtrum Caius an vero Titius prior animam efflauerit, dubium eſt.

§. DLXXVI.

Reuocatio legati, a teſtatore facta, ADEMTIO; collatio ademti in alium TRANSLATIO LEGATI dicitur. Lib. XXXIIII. T. 4. *Legati ademtio; translatio.*

§. DLXXVII.

Cui defectus aut naturalis, aut ciuilis obſtat, quo minus legatum ſuum facere poſſit, INCAPAX (a); qui vero ob crimen legatum non capit, INDIGNVS (b) dicitur. *Incapax; indignus.*

(a) Haeretici; *Nou. CXLI. c. 1.* Filii perduellium *L. 5. C. ad L. Iul. mai.*

(b) Qui recenſentur in *T. D. quib. vt indign.*

§. DLXXVIII.

§. DLXXVIII.

Legatum poenae.

LEGATVM sub conditione, si contra voluntatem defuncti fecerit is, ab herede vel legatario tertio praestandum, POENAE (*) dicimus.

(*) Poenae notio latiori significatu adhibita est, ita, vt ad superiorem non adstricta sit, sed malum saltim cum actione libera coniunctum denotat. IMPERATOR *§. 36. I. de leg.* notionem legati poenae traditurus, scribit: *Poenae nomine legari videtur, quod coercendi heredis causa relinquitur, quo magis aliquid faciat, aut non faciat.* VLPIANVS *Fragm. Tit. XXIIII. §. 17.* posteriora verba in hunc modum mutat: *Vt faciat quidem, aut non faciat, non vt legatum pertineat.* Sed et haec emendatio alia, eaque insigni, opus habet. Quid enim sibi volunt verba: *Non vt legatum pertineat?* Addenda verba: *Ad legatarium*, suspicatur SCHVLTINGIVS *ad h. l.* et non absque omni ratione. Caeterum generaliores hae definitiones videntur, multaque complecti, quae poenae nomine non veniunt, *coerceri* enim et *legatum minui* synonyma non sunt, conditiones pleraeque coërcent heredem, vt faciat quid, vel non faciat, sed an eas dixeris poenas? Sed oportune in mentem incidit controuersia illa maxime vulgata: *Quid differant poenae nomine legata a conditionalibus?* Nolo in latissimum diffidiarum excurrere campum, sed te ad nostram definitionem ablegare, quae te docebit, poenae legata conditionalium speciem esse. Hoc iam ante perspexit acutissimus BYNCKERSHOECKIVS *de legat. poenae nom.* in eo tamen fefellit, quod solis legatis sub conditione impossibili hanc notionem accommodauerit. EV. OTTO *Comment. ad cit. §. I.* GVNDLING. *Diss. de hered. princ. p. 78.* et B. HEINECCIVS *Ant. Rom. L. II. T. 20-22. §. 14.* legata poenae dicunt, quae vexandi heredis causa relicta sunt. Nostram definitionem confirmant formulae legatorum poenae nomine, v. g. SI FILIAM TVAM IN MATRIMONIVM TITIO COLLOCAVERIS, DECEM MILLIA SEIO DATO. VLPIANVS *Fragm. Tit. XXIIII. §. 17.* HERES MEVS, SI FILIAM SVAM IN MATRIMONIVM TITIO COLLOCAVERIT, DATO DECEM AVREOS SEIO etc. *§. 36. I. de legat.* Conf. Dn. E. F. DE MUNCHHAVSEN *Diss. de Def. legal. legator. poenae nom. Goett. MDCCXLII.*

§. DLXXVIIII.

§. DLXXVIIII.

Determinationem omnimodam ſermonis circa indiuiduum aliquod DEMONSTRATIONEM ICti dicunt (*). Lib. XXXV. T. I. *Demonſtratio.*

(*) INDIVIDVVM eſt ens omnimode determinatum. Qui demonſtrat iuridice, facit, vt cognoſcamus indiuiduum. E. opus eſt, vt ſermonem ſuum ita determinet, vt non plus intelligatur indiuiduo. Sermonem vel oralem vel ſcriptum eſſe per ſe patet. Ita v. g. ſi teſtator ſcripſerit: *Corpus illud iuris, editionis Lipſienſis nouiſſimae, formae plagulis maioribus, in quaterniones complicatis, quod in bibliotheca mea ſub n. 75. exſtat, Titio lego*, indiuiduum deſcripſit, E. demonſtrauit. FLORENTINVS *L. 34. §. 1. D. de cond. et demonſtr.* ſcribit: *Inter demonſtrationem et conditionem hoc intereſt, quod demonſtratio plerumque factam rem oſtendit, conditio futuram*, et *L. 6. D. ſi cert. pet.* nominis vice fungi demonſtratio dicitur. *Indiuiduum.*

§. DLXXX.

Cauſa finalis, quae reſpicitur a teſtatore, dum legat, MODVS dicitur (*). *Modus.*

(*) V. g. Caio lego centum, vt monumentum mihi poni curet; Sempronio lego M. vt artem negotiandi exerceat etc. Sed hic ſignificatus ſaltim in materia teſtamentorum obtinet; alias enim modus nonnunquam cauſam mouentem, vt in *L. f. D. de her. inſt.* aut alternationem notat. *L. 44. §. 3. D. de O. et A.*

§. DLXXXI.

Ratio ſufficiens, impulſiua, ad hoc, vt teſtator leget cuidam potius quam alii, CAVSA dicitur (*). *Cauſa.*

(*) Notandum, cauſam impulſiuam in iure Romano κατ᾽ ἐξοχὴν cauſam dici. Ita cauſa erit, ſi teſtator dixerit: Publio, ob bene erga me merita, C. lego; Lucio in remunerationem, quod in vltimo meo morbo me non deſeruit, C. lego. etc.

§. DLXXXII.

Lib. XXXV. T. 2. *Quarta Falcidia.*

QVARTA FALCIDIA (a) quarta pars bonorum hereditariorum, quae heredi legatis grauato integra manere debet (b), dicitur.

(a) Insignem eumque lepidum errorem errant, qui hanc vocem a falce, vel defalcando repetunt, vid. SCHOLIASTES *in Harmenopuli promt. V. 9.* quem nec euitauit vir nostro aeuo alias sagacissimus MVRATORIVS *in Trattato dei difetti della Giurisprudenza*, Venetiis qui prodiit 1742. in forma maxima, *Cap. XVI. p. 139.* Peritiores, in honorem conditoris sui, P. FALCIDII, Trib. plebis, dictam Falcidiam legem, et ex ea debitam quartam, non sunt nescii. Vid. B. HEINECCIVS *Ant. Rom. L. II. Tit. XLII. §. 18.*

(b) Verba Falcidiae legis exhibet *L. 1. pr. D. ad L. Falc.* ex quibus cognoscere licet, quartam partem bonorum heredi remanere debuisse, neque attendendum esse ad id, quod HIERONYMVS *in Chron. ad ann. mund. 560.* scripsit: *C. Falcidius Tribunus plebis legem tulit, ne quis testamento plus legaret, quam vt quarta pars apud heredem superesset, si heredes quatuor aut minus essent; sin autem plus quatuor, tunc in semissem retinerent*, quippe quae supposita esse dudum docuit OISELIVS *ad Caii Inst. L. I. Tit. 8. p. m. 103.*

§. DLXXXIII.

Quarta Trebellianica.

QVARTA TREBELLIANICA (a) dicitur quarta pars bonorum fideicommissariorum, quae heredi fiduciario integra manere debet (b).

(a) Rectius dicenda foret PEGASIANA; per SCtum enim Pegasianum quarta fideicommissaria introducta est, quod quum dein in Trebellianicum transfunderetur, huic immeritus mansit honos.

(b) Eadem est huius ratio, quae Falcidiae, immo non est nisi Falcidiae ad fideicommissa extensio, inde etiam plerumque Falcidiae nomine haec venit. Vid. *L. 47. §. 1. et 86. D. L. 1. et 11. C. ad L. Falcid. etc.*

§. DLXXXIIII.

TRANSMITTERE est efficere, vt ius nostrum transeat ad heredes (*). Lib. XXXVI. T. 2. *Transmittere.*

(*) V. g. Legatus Caio fundus Apronianus est. Mortuo testatore, Caius dominium acquirit fundi, *L. 5. §. 1. D. quand. dies legat. ced.* moritur autem Caius, adita nondum ab herede hereditate, atque sic tradito nondum legato fundo. Meuius Caio extitit heres, simulque Apronianum fundum post aditam hereditatem traditum accipit. Fundus hic transmissus dicitur.

§. DLXXXV.

DIES CEDERE dicitur, quando obligatio nascitur; VENIRE DIEM dicimus, quando obligatio soluenda (*). *Dies cedit, venit.*

(*) Vid. *L. 213. D. de V. S.* V. g. Mutuo C. dedi Caio hodie, soluenda nundinis vernalibus proximi anni.

§. DLXXXVI.

Hereditas, personis iure ciuili inhabilibus a Praetore delata, BONORVM POSSESSIO dicitur (*). Lib. XXXVII. T. 1. *Bonorum possessio.*

(*) Sunt, qui stricto iure heredes scribi non poterant, qui recensentur *Tit. D. de hered. instit.* Ratio huius vel ad nouiora tempora non apte satis quadrabat, vel iniqua maxime erat. Praetor supplendo corrigendoue, non tollendo veteri iuri datus, aequitate motus, his personis, quibus hereditas deferri nequibat, eamdem, sed alio nomine, bonorum nempe possessionis, dabat. Distinguenda erit haec bonorum possessio a possessione bonorum, quae ignominiosa, obaeratique in bona missionem indicat, atque ab illa accurate separatur ab IMP. *§. 4. I. de B. P.* licet interdum promiscue adhibeantur. *L. 4. §. f. de off. ei, cui mand. iurisd. L. 55. D. de oblig. et act.* Dicitur etiam hereditas praetoria. VLPIANVS *L. 3. §. 2. D. de bon. poss.* eam definit, quod sit ius persequendi retinendiue patrimonii, s. rei, quae cuiusque, cum moritur, fuit: Verum et obscura haec definitio est, et non satis determinata, persequutionis enim vocabulum generale est.

§. DLXXXVII.

Bonorum possessio ordinaria; extraordinaria.

B. P. ORDINARIA dicitur, quae a Praetore; EXTRAORDINARIA, quae LL. SCtisque introducta est (*).

(*) Vid. *§. 4. I. de B. P.* Illa est decretalis, haec ordinaria.

§. DLXXXVIII.

B. P. edictalis; decretalis.

B. P. quae datur ex edicto Praetoris, nulla accedente causae cognitione, EDICTALIS (a); quae praeuia cognitione ex decreto datur, DECRETALIS (b) dicitur.

(a) Ex edicto Praetoris B. P. defertur secundum ordines successionum, traditos Lib. XXXVIII. Digestorum.

(b) V. g. Defuncto marito, vidua se grauidam dicit, atque adeo B. possess. petit; conceditur, sed cum causae cognitione, i. e. vtrum reuera grauida sit, an minus.

§. DLXXXVIIII.

B. P. secundum; et contra tabulas.

B. P. quae conceditur, positis fundaminis loco verbis testamenti, SECVNDVM TABVLAS (a); quae vero testamentum inuertit, CONTRA TABVLAS (b) dicitur.

(a) Condidit testamentum Silius, nulla postumi mentione iniecta. Nascitur postumus, qui conditum testamentum rumpit, sed mox moritur idem. Decedit et testator, Luciusque, hereditatem ex testamento petiturus, repellitur exceptione rupti testamenti. Praetor E. huic B. P. concedit, *L. 12. D. de ini. rupt. irrit. test.* et quidem secundum tenorem testamenti, h. e. secundum tabulas, sc. testamenti.

(b) V. g. Exheredauit filium suum Mucium Iauolenus, et quidem rite ac iusto condito testamento Calend. Iul. MDCCXXXVIII. Idib. Mart. MDCCXXXX. vero aliud condidit, mentione filii nulla iniecta, satis esse ratus, quod eum semel exheredem scripserit. Prid. Calend. Oct. MDCCXXXXII. moritur Iauolenus, eique succeditur ex posteriori testamento, prius enim

ruptum

ruptum per posterius fuit. Filius exheredatus B. P. petit, vt praeteritus; conceditur, sed contra tabulas, h. e. contra tenorem testamenti, hoc enim volebat extraneum heredem, non filium.

§. DXC.

B. P. quae conceditur cum pleno iure fruendi bonis hereditariis, CVM RE (a); quae vero datur saluo iure alterius, SINE RE (b) dicitur. *B. P. cum; et sine re.*

(a) Talis est v. g. allegata §. praec. not. a.

(b) Exhibet v. g. Titius testamentum septem testibus signatum ac subscriptum, nulloque omnino visibili vitio laborans; conceditur ad hoc B. P. verum saluo iure eius v. g. qui forsan praeteritus est.

§. DXCI.

COLLATIO est professio eorum, quae ex re parentis absque animo donandi in se redundarunt, cum effectu aequalitatis seruandae, a liberis inuicem facta. Quod si professioni iungatur actualis oblatio, REALIS; si satisdatio de eis offerendis, CAVTIONALIS dicitur (*). Lib. XXXVII. T. 6. *Collatio; realis; cautionalis.*

(*) Naturalis ratio docet: Aequale ius liberis esse omnibus. Ex eo fundamine argumentati sunt ICti, omnia ea, quae, non expressis verbis declarato animo donandi, e parentum bonis in aliquem e liberis profecta sunt, inter omnes, respectu habito ad aestimationem, esse communia. Sic v. g. Meuia Meuio in matrimonium collocatur, dato ipsi dotis nomine 2000. fl. Moritur pater, relictis heredibus Caio ac Meuia; Massa hereditaria aequat 10000. fl.; Caius sibi asserit suam portionem 6000. fl. attributo Meuiae residuo 4000. fl., quibus si addideris dotem antea perceptam 2000. fl., huius portio pariter exaequabit 6000. fl. sicque seruabitur aequalitas. En collationis speciem. Differt ab hac collatione imputatio, qua heres, ad conficiendam legitimam, Falcidiam et Trebellianicam, quaecunque relicta ipsi in testamento, numerare debet.

§. DXCII.

Lib. XXXVII. T. 14. *Patronus; Ius patronatus.*

Qui seruum ex iusta seruitute manumisit, PATRONVS (a); IVS vero, patrono in personam et bona manumissi competens, PATRONATVS (b) audit.

(a) Vid. *L. 8. §. 1. D. de in ius voc.*

(b) Exigebat enim patronus a liberto operas sibi praestandas, munera, xenia, alimenta, competebat ipsi succedendi ius in bona liberti, cet. Vid. latius OISELIVS ad *Caium L. II. T. 9. p. m.* 118. HEINECCIVS *Ant. Rom. L. III. T. 9. §. 1.*

§. DXCIII.

Lib. XXXVII. T. 15. *Obsequium.*

Studium praescriptis alterius conuenienter agendi OBSEQVIVM dicitur (*).

(*) Vid. Celeb. SCHIERSCHMIDIVS *El. iur. ciu. §. 169.* Obsequii vocem descendere a voce sequi, facile perspicitur. Obsequens igitur est, qui libenter et facile sequitur. Sic OVIDIVS *Art. amand. II. v. 129.*:

Flectitur obsequio curuatus ab arbore ramus.

§. DXCIIII.

Lib. XXXVIII. T. 1. sq. *Operae officiales; artificiales.*

OPERAE OFFICIALES dicuntur, quae immediate in vtilitatem personae redundant (a); ARTIFICIALES, quae cuidam secundum modum artificii, quod tenet quis, exhibentur (b).

(a) V. g. comitari aliquem, curam aegroti habere, victum alicui praebere. Inde est, quod VLPIANVS in *L. 9. D. de oper. libert.* dicat: Proprietatem officialium operum et in dantis et accipientis persona consistere. PAVLVS *L. 1. D. eod.* diurnum officium, h. e. continuum, dicit.

(b) Sic sutor calceorum, sartor vestimentorum confectione operas praestat artificiales.

§. DXCV.

§. DXCV.

ADSIGNARE LIBERTVM dicitur pater, quando in testamento declarat, quis e liberis, vel heredibus suis, serui, manumissi testamento, patronus debeat esse (*). *Adsignare libertum.*

(*) *L. 107. D. de V. S.*

§. DXCVI.

EDICTVM Praetoris, definiens ordinem veniendi ad bonorum possessionem, SVCCESSORIVM dicitur. *Edictum successorium.*

§. DXCVII.

PACTA de futura hereditate, SVCCESSORIA; si de ea acquirenda, ACQVISITIVA (a); si de ea repudianda agitur, RENVNCIATIVA (b) dicuntur; si de impedimento acquisitioni obstante remouendo, CONSERVATIVA (c); si de tertii hereditate disponunt, DISPOSITIVA (d) vocantur. Lib. XXXVIII. T. 15. *Pacta successoria; acquisitiua; renunciatiua; conseruatiua; dispositiua.*

(a Huc referas confraternitatis pactum, Erbverbrüdrungen, quo duo pluresue paciscuntur de sibi inuicem succedendo.

(b) V. g. Sibylla in matrimonium datur Caio, constituta dote 4000. fl. addito pacto, se nolle amplius concurrere ad successionem in bona parentum, si obierint supremum diem, sed in accepta dote omnino acquiescere.

(c) V. g. Silius testamento scripsit Caium heredem, eique secura notissima remanet potestas mutandi voluntatem suam. Caius paciscitur cum Mucio, Caio familiari, vis omnem moveat lapidem, ne Silius condat nouum testamentum, eoque ipsi adimat ius succedendi.

(d) Caius promittit Silio, se partem hereditatis quartam Meuio, si sibi oblata fuerit, restiturum, eo acceptante. V. Conf. si placet *Elem.* mea *iuris germ.* §. 623. *sqq. p.* 2. *sqq.*

§. DXCVIII.

Successio; ab intestato; in stirpes; in capita; Ius repraesentationis.

SVCCESSIO est transitio in ius omne, omnemque obligationem anterioris cuiusdam; Transitio in omne ius omnemque obligationem defuncti intestati, SVCCESSIO AB INTESTATO; Plures ita succedentes, vt ratio habeatur communis parentis, IN STIRPES; sin ratio singulorum indiuiduorum, IN CAPITA succedere dicuntur. Fictio, qua succedentes anteriorum, sed mortuorum loco collocantur, IVS REPRAESENTATIONIS est.

§. DXCVIIII.

Lib. XXXVIIII. T. I. *Nouum opus; Noui operis nunciatio.*

NOVVM OPVS dicitur, quicquid in praeiudicium alterius mutata forma aedificatur, vel ducitur (*); Prohibitio continuationis eiusmodi operis, NOVI OPERIS NVNCIATIO dicitur.

(*) Caius aedibus suis, duarum contignationum, tertiam in praeiudicium Seii, vicini, iure prospectus gaudentis, addit; Mucius per aream Lucii fossam ducit, vt aquam a suo fundo auertat.

§. DC.

Noui operis nunciatio publica; priuata.

Prohibitio eiusmodi, quae a magistratu fit, PVBLICA (a); quae a vicino ipso, PRIVATA (b) dicitur NOVI OPERIS NVNCIATIO.

(a) Equidem olim Praetor interdicebat nouum opus fieri interdicto prohibitorio, vid. *L. 20. §. 1. D. de N. O. N.* hodie vero mandata S. C. decernuntur aduersus facientem nouum opus. Vid. C. d. C. G. O. *P. II. T. 25.* §. 14. et GAILIVS *L. I. Obs. 16.*

(b) Haec olim duplici modo fiebat, realiter, vel verbaliter; illo modo, vt nuncians lapidem vel glebam noui facti operis proiiceret, seruato licet silentio, vid.

L. 5.

L. 5. §. 10. et *L.* 16. *D. de N. O. N.* haec vero, vt nuncians coementarios vel fossores alloqueretur, rogaretque, vt sibi ab omni incommodo cauerent. STRYCK *V. M. Tit. de N. O. N.* Frequentior hodie solet esse prohibitio per Notarium et testes. W. Io. LVD. CONRADI *consensus legum super noui operis nunciatione eiusque remissione.* Lips. 1756. S.

§. DCI.

DAMNVM INFECTVM dicitur id, quod futurum metuitur (*). *L.* 2. *L.* 7. §. 1. *D. de damn. infect.* Lib. XXXVIIII. T. 2. *Damnum infectum.*

(*) V. g. Habet vicinus aedes adeo ruinam minantes, hae si concidant, probabile admodum vt sit, partem mearum aedium aut secum tracturas, aut damnum illaturas ad minimum eisdem; metus adest probabilis de damno subeundo, quod damnum infectum dicitur; nec absque omni ratione; Ita enim LIVIVS *VIII.* 23. *infectam victoriam* eam dicit, quae speratur, et IDEM *L. XXXVI.* 40. *infectum argentum*, quod nondum in nummos redactum est, sed et PLINIVS *XXXVI.* 1. *f.* infectum damnum in eo, quo nos, sensu sumit. Graecis dicitur: Ζημίας μελλούσης ἀγωγή.

§. DCII.

ACTIO AQVAE PLVVIAE ARCENDAE est in rem scripta, data domino fundi, cui aqua pluuia, propter opus factum in praedio rustico (*), nocuit, aduersus possessorem fundi vicini, in quo opus factum, ad destructionem eiusdem. Lib. XXXVIIII. T. 3. *Actio aquae pluuiae arcendae.*

(*) Si vrbanum, actio negatoria competit. *L.* 1. §. 19. *D. de aqu. et aqu. pluu. arc.*

§. DCIII.

VECTIGAL dicitur, quicquid pro in- et euehendis mercibus soluitur (*). Lib. XXXVIIII. T. 4. *Vectigal.*

(*) Vid. SALMASIVS ad LAMPRIDIVM *vit. Alex. Seueri* c. 39. de quibus latius egit BVRMANN *de vectigal. pop.*

 Rom.

Rom. et B. HEINECCIVS *A. R. L. I. adp. §. LIII. sqq.* et *L. 17. D. de V.S.* Dici a vehendo, in aprico est.

§. DCIIII.

Publicani. Conductores vectigalium, aliorumque redituum publicorum, PVBLICANI (a) dicuntur (b).

(a) Vectigalia, aliique reditus, populi Romani erant; quod populo competebat, publicum dicitur: Inde publicanus. *L. 16. D. de V.S.* VLPIANVS *L. 1. D. de publ.* ab eo dixit, quod publico fruerentur.

(b) Plerumque nobiles, s. equites Romani erant, qui istiusmodi vectigalia publice per auctionem conducebant, CICERO *pro domo c. 28.* probe distinguendi a publicanis s. ministris eorum, quos atro carbone notat nouum foedus *Matth. XVIII. 17. Luc. III. 12. sq.* etc. Publicanorum varia erat conditio, variumque nomen, qui enim a populo sub hasta conducebant, sublata manu *Mancipes.* se auctores profitentes, MANCIPES; vid. FEST. *h. v.* POLYB. *Hist. L. VI.* qui populo se obligabant, praedes an *Praedes.* esse vellent interrogati, annuentesque, PRAEDES; *Socii.* qui pro parte conducebant cum aliis, SOCII; SIGON. *de ant. iur. ciu. Rom. II. 4. p. m. 229.* qui reditus ex agris *Decumani.* locarent, DECVMANI, erant enim reditus decima *Scriptores.* pars; SIGON. *p. 245.* qui ex pascuis, SCRIPTORES, ob scripturam concurrentem; qui ex portubus, *Portores.* PORTORES dicti. Vid. de his omnibus SIGON. *l. c. p. 296.* et ASCON. *in Diuin. p. 1263.*

§. DCV.

Commissum. COMMISSVM dicitur, quicquid ob delictum alicuius desinit esse (*).

(*) VLPIANVS *L. 14. D. de public.* COMMITTERE est delinquere, inde commissum, quod propter delictum alicuius desinit esse. Ita VARRO *II. 2. 16. Ne si inscriptum pecus pauerit, lege censoria* COMMITTATVR. Propius ad nostrum scopum venit QVINTILIANVS *Decl. 341.: In* COMMISSVM *veniunt, quae quis professus non est.* Dabo exemplum, idque lepidum, cui ocularis quondam fui testis. Accidebat olim, vt ad celebrem aliquam metro-

metropolin iter facerem, instantibus nundinis vernalibus. Comitibus vtebar, praeter alios plures, studioso iuris, ex academia Altorfina reduce, atque mercatore quodam Pragensi. Hos inter mirus intercedebat in omnibus consensus. Ventum erat ante portas dictae ciuitatis, quum mercator rogaret studiosum, vt nonnulla specimina ornamentorum muliebrium, auro argentoque superbientia, apud se absconderet, se enim valde metuere, ne insolitum vectigal ipsi alias sit soluendum, studiosos vero ab his omnibus, si non iure, facto tamen immunes esse. Recusabat prima vice idipsum studiosus, instante vero mercatore, prosiliens e curru dicebat: Mitteret solum sub scamno, quo facto, redux arripiebat eo missa, secumque abscondebat, publicanum egregie fallens. Ego et studiosus diuersorium eligebamus commune, mercator nos comitabatur repetiturus iocalia sua; repetens vero repulsam ferebat. Nescius mercator vtrum luderet se studiosus, anne seria proferret, continuo vrgebat iocalia sua sibi reddenda, quem ad vltimum studiosus monebat, vt disceret in posterum cautius mercari. Se ipsi huius rei rationem paulo curatius explicaturum fore, scil. eo ipso momento, quo ad defraudandum vectigal merces suas occultare studuisset, dominium earum ipso iure eum amisisse, seque fuisse proximum occupantem, nemini vllum ius in his rebus esse, nisi fisco, et ne hic ab eo repetat, ab eo sibi cauere dudum se didicisse. Sponsae suae admodum conuenire ornamenta. Quaerebat causarum patronum, verum in vana recidebant consilia, tempusque tristitiam augebat.

§. DCVI.

Translatio rei nostrae gratuita (a) in alterum, DONVM (b); Transferens, DONANS, accipiens, DONATARIVS; MVNVS vero (c) dicitur donatio ob causam consuetudine receptam; donum denique in compensationem bene meritorum PRAEMIVM (d) vocatur. Lib. XXXVIIII. T. 5. *Donum; Donatarius; Munus; Praemium.*

(a) TRANSLATIO GRATVITA est, cuius intuitu accipiens nil omnino aut reddere, aut facere, nec pati, nec ex suo in promittentem aliquid transcribere tene- *Translatio gratuita.*

tenetur. Ita KOEHLERVS *Exerc. I. N. §. 1565.* vel breuius: *Voluntarie suscepta, cuius intuitu nil lucri ex accipiente in nos redundat.* Hinc HORATIVS donare vocat perdere, *L. II. Sat. 3. v. 171.*:

- - -, Postquam te talos, Aule, nucesque
Ferre sinu laxo, DONARE *et ludere vidi.*

et, quum voluntarie fit, nullo iure cogente fieri dicitur ab ICtis. Sic PAPINIANVS *L. 29. D. de don.*: *Donari videtur, quod nullo iure cogente conceditur,* et MARCIANVS *L. 214. D. de V. S.*: DONA *proprie sunt, quae nulla necessitate iuris et officii, sed sponte praestantur, et si praestentur, plerumque laus inest;* nec absone. An vero liberalitatis notio, generis loco recte ponatur, quod plerique ICtorum assumunt, de eo valde dubito. Fingas Euclionem patrino suo Titiolo xenium aliquot thalerorum sub auspiciis noui anni mittere, idque vel ex ea ratione, quod ceteri susceptores dignitate ipsi inferiores idem faciunt, re ipsa vero mortem patrini secum vouere, ne cogatur sequenti anno idem repetere. Donare Euclionem dubium non est, verum, an liberalis dici possit, ambigitur. Ego eum liberalem non esse certus sum. Est enim LIBERALITAS facilitas donandi modice. Perill. WOLFF vern. Ged. von der Menschen Thun und Lassen §. 969.

Liberalitas.

(b) Donum dictum a Graeco δῶρον, quod palmam s. manum apertam notat. PLINIVS XXX. 14. Sunt, qui dona solum ea interpretantur, quae Diis offerebantur a Romanis, NONIVS *C. XII. n. 32.* DONATVS ad TERENT. *Eunuch. Act V. Sc. 9. v. 17.* sed refutat eos vsus vulgatissimus.

(c) Ita, et optime quidem VLPIANVS in *L. 194. D. de V. S.* *Inter munus et donum hoc interest, quod inter genus et speciem. Nam genus esse* DONVM, *Labeo a donando dictum, munus speciem, nam* MVNVS *esse donum cum causa, vtputa natalitium, nuptalitium.* Subscripsit huic MARCIANVS *L. 214. eod.*: MVNVS, scribens, *est, quod necessarie obimus, lege, more, imperioue eius, qui iubendi habet potestatem.* Sic v. g. munus dixit TERENTIVS, quod serui dominae, quae partum enixa, dare solebant, *Phorm. Act. I. Sc. 1. v. 12. sqq.* [illegible]

Porro autem Geta
Ferietur alio MVNERE, *vbi hera pepererit.*

aut

aut quum herus minor duxerit vxorem. ID. v. 4. sq.

Nam herilem filium eius duxisse audio
Vxorem ei, credo, MVNVS hoc corraditur.

Errant vero, qui donum ac munus ita distinguunt, vt illud dantis, hoc accipientis intuitu dicatur, illudque vt a donando, ita hoc a muniendo s. mouendo deriuant, quod fecisse AGRAETIVM intelligo ex DION. GODOFREDO *veter. Gramm. p.* 1148. nec minus ii, qui dona Diis, munera hominibus offerri dicunt. Sed vel OVIDIVS *de arte amand. L. III. v.* 653. *sq.* contrarium docet, canens:

MVNERA, *crede mihi, placant* HOMINESQVE DEOSQVE,
Placatur donis Iupiter ipse datis.

(d) Vid. DONATVS *l. c.* Ita v. g. si donum datur puero, qui in examine optime stetit, aut militi egregia facinora perpetranti, PRAEMIVM dicitur. Sic VIRGILIVS *Aen. V.* 485. *sq.*

Protinus Aeneas celeri certare sagitta,
Inuitat, qui forte velint, et PRAEMIA *ponit.*

§. DCVII.

Donum, a principe militibus datum, DONATIVVM (a); populo, CONGIARIVM (b) dicitur (c). *Donatiuum; Congiarium.*

(a) Et quidem potissimum sub initium noui anni, aut die natalitio, vel inaugurationis, vid. PAVLVS DIACONVS *Lib. XI.* CASSIODORVS *Var. L. IIII.* 14. et *L.* 10. *D. de re milit.*

(b) Et quidem a congio, liquidorum mensura, quae octaua pars amphorae erat. Initio quidem liquida dabantur populo, oleum v. g. vid. LIVIVS *XXV.* 2. post panis, esculenta, nummi. SVETONIVS *Tiber. c.* 10.

(c) Ita probati auctores has notiones constituunt. SVETONIVS *Ner. c.* 12. *Deductus,* scribit, *forum tiro populo* CONGIARIVM, *militi* DONATIVVM *proposuit.* Idem recenset TACITVS *Annal. XII* 41. 2. *Additum nomine eius* CONGIARIVM *plebi,* DONATIVVM *militi.*

§. DCVIII.

Donatio modalis.

DONATIO ob causam finalem dicitur MODALIS (*).

(*) Vid. supr. §. DLXXX. V. g. confert in Caium donum aliquod X. Ducatorum Lucius, eum in finem, vt studiis diligenter incumbat, habilisque reddatur, ad subeundum olim munus Secretarii; donatio sub modo est. Vid. *t. t. C. de don. quae sub modo.*

§. DCVIIII.

Donatio mortis causa.

DONATIO ab eo, qui in periculo mortis constitutus, sub conditione mortis sequutae facta, MORTIS CAVSA dicitur (*).

(*) Ratio impulsiua, causa est; Vid. supr. §. DLXXXI. Mors, quam metuimus, ratio mouens donationis est; E. donatio talis est mortis causa. Cessante causa cessat effectus; E. cessante morte, cessat effectus donandi, *§. 1. I. de donat.* nisi adiecto pacto aliter idipsum determinetur; vid. *L. 27. D. de mort. caus. don.* Insufficiens plane est ea, quae vulgatur Dd. definitio, quod nimirum sit donatio, qua, mortalitatis cogitatione moti, rem in alium conferimus. Sed mortis cogitatio sola an mutationem realem negotii continebit? Cogitatio, quatenus per actus externos se non exserit, nil operatur. Neque adscribendum putauerim IVLIANO *L. 2. D. de mort. caus. don.* tres classes eiusdem constituenti: primam, quum quis, nullo periculo mortis existente, sola mortis cogitatione donat; alteram, quum quis, imminente mortis periculo, rem in alterum gratis transfert; tertiam, si quis, periculo mortis imminente, dicit se velle, vt alter post mortem suam rem illam habeat. Verum quis est, qui non videt, primam et vltimam speciem donationem inter viuos esse, mediamque solum huc pertinere. Exempla exhibet HOMERVS *Odyss. XVII.* EVRIPIDES *Alceste v. 1010.* LIVIVS XXXII. 38. et *L. 16. D. depos.* Addam aliud: An. 1739. d. 25. Maii Gen. Dn. de B. febri acuta correptus, grauiter decumbens, Notarium cum 5. testibus ad se vocari curat, iisque praesentibus, omnes claues suas contubernali suo L.. porrigit his verbis: Video morti me esse vicinum, accipe

cipe igitur, amice, id quod mihi est peculium, tibique soli, si, quod certe spero, decesserim, illud serues: Mortis causa donatio erat.

§. DCX.

MORTIS CAVSA CAPIO (a) est acquisitio rei cuiusdam propter mortem alicuius, absque vllo hereditatis titulo (b). *Mortis causa capio.*

(a) Capio vsitatum bonis auctoribus adeo non est. Deriuant a verbo capere, vt sit idem quod captio. GELLIVS *N. A. L. VII. c.* 10. Sic vsucapio dicitur, dominii capio, *L.* 18. §. 1. *D. de damn. inf.* Hic mortis causa capio, i. e. propter mortem rei captio.

(b) Sc. hereditatis, legati, aut fideicommissi. Ita GAIVS *in L.* 31. *D. de m. c. d. Mortis causa capitur, cum propter mortem alicuius capiendi occasio obuenit, exceptis his capiendi figuris, quae proprio nomine appellantur*, adeoque et mortis causa donatio huc refertur. *L.* 18. *D. de mort. caus. don. L.* 21. *D. eod.* Sic v. g. testator legauit Caio C. sub conditione, si Meuio L. dederit: Meuius L. mortis causa capit. Lucius a Titio heres scriptus est, hereditatem vero delatam adire detrectat; legatarii, ne legato excidant, CC. ipsi soluunt, vt adeat hereditatem, mortis causa CC. capit. *L.* 21. *D. de m. c. d.*

§. DCXI.

Qui seruum ex iusta seruitute dimittit, MANVMITTERE eum; et actus, quo serui ex seruitute dimittuntur, MANVMISSIO dicitur (*). Lib. XL. *Manumissio.*

(*) *Manus* potestatem significat inter alia. Sic LIVIVS *L. I. c.* 1. *Initio omnia manu a regibus gubernabantur.* Manumissio idem est, quod missio e potestate. Consentit VLPIANVS *L.* 4. *pr. D. de iust. ac iur. Est autem manumissio de manu missio, i. e. datio libertatis; nam, quamdiu quis in seruitute est, manui et potestati suppositus est, manumissus liberatur potestate.* Addi potest alia nominis ratio, eaque historica, ex antiquissimo omnium, si censum exceperis, manumissionis ritu petita; sc. manumissurus seruum, coram Praetore, Praeside prouinciae, Proconsule, caput eius manu prehendebat, inque gyrum acto cola-

colaphum infligebat, manuque ad se recepta dicebat: HVNC HOMINEM VOLO ESSE LIBERVM, quo facto, vindicta caput manumittendi percutiebat his verbis: AIO TE LIBERVM MORE QVIRITVM. Conf. LOON. *de Manumiss.*

§. DCXII.

Fideicommissaria libertas.

FIDEICOMMISSARIA LIBERTAS dicitur, quae per fideicommissum datur (*).

(*) Si quis sc. in testamento rogaret heredem, vt Stichum v. g. manumitteret, libertas Sticho dabatur per fideicommissum. Erat autem haec differentia inter manumissionem in testamento directam, et hanc, vt hoc casu heres liberti patronus esset, iuraque patronatus exerceret. Ita et propriis et alienis seruis libertas dari poterat, vid. OISELIVS *ad Caii Inst. L. II T. 9. p. m.* 117.

§. DCXIII.

Libertini.

LIBERTINI dicuntur, qui ex iusta seruitute manumissi sunt (*).

(*) Proprie liberti, horum vero liberi libertini dicebantur. Sed postea promiscuus vsus inualuit.

§. DCXIIII.

Statuliber.

Seruus, cui libertas sub conditione testamento data est, STATVLIBER (*) vocatur.

(*) Vid. FESTVS *h. v.* et PAVLVS *L. 1. D. de statulib.* inquit: STATVLIBER *est, qui statutam et destinatam in tempus vel conditionem libertatem habet.* Sed tempus conditio est; dubium enim est, an attigerit idipsum manumittendus. Mirum igitur te non habebit, me liberum definiuisse per seruum, serui enim erant et manebant statuliberi, vsque dum conditio existeret. *L. 9. pr. D. eit. L. 12. §. f. D. fam. erc.*

§. DCXV.

Restitutio natalium.

RESTITVTIO NATALIVM est actus, quo liberti pro ingenuis declarantur (*).

(*) Vid.

(*) Vid. *L. 2. D. de natal. rest.* Natales conditionem sanguinis ac familiae notant, vid. TACITVS *Hist. l. 49. 5.* qui claritatem natalium dicit celebritatem familiae. Seruos non e coniugio legitimo, sed ex contubernio, omni effectu ac iure destituto, natos fuisse, vel dupondius cognitum est. Nulla igitur eis agnatio, nulla ideoque familia. Seruus manumissus fiebat ciuis Romanus, si non ad antiquissima tempora respexeris; sed nec hoc ipso familiae ius statim adipiscebatur. Patronus proximus ipsis videbatur, hic pupillos tuebatur, vid. *1. D. de legit. pa r. tut.* hic ipsis ab intestato succedebat. Sed singe natalibus restitui libertum, h. e. per fictionem declarari ingenuum natum, vbi patronus? vbi patronatus ius? vbi successio? *L. 2. D. de natal. rest.*

§. DCXVI.

LIBERALIS CAVSA dicitur, quae continet quaestionem libertatis (*). *Liberalis causa.*

(*) Ita TERENT. *Adelph. II. 1. 39.*

Neque vendendam censeo, quae libera est.
Nam ego illam liberali assero causa manu.

Vocatur et liberale iudicium. PAVLVS *L. 3. §. 10. D. de acquir. vel amitt. poss.* ita scribit: *Si seruus, quem possidebam, pro libero se gerat, vt fecit Spartacus, et iudicium liberale pati paratus sit, non videbitur a domino possideri, cui aduersarium se praeparat.*

§. DCXVII.

COLLVSIO est dissimulatio duorum, eius, quod in tertii praeiudicium tendit (*). *Collusio.*

(*) Collusio dissimulatio veri est. V. g. Titius et Pamphilus, cum Sempronio ludentes chartis, signis inter se vtuntur, pecuniamque Sempronii omnem lucrantur inter se communem; collusisse eos dicimus. Ita seruus, pro libero se gerens, cum aliis tecte agit, vt ingenuum eum dicant, testenturque; dissimulauit seruitutem in damnum domini, E. collusit. B. HEINECCIVS *El. iur. sec. ord. Pand. P. VI. §. 159.* praeuaricationem dicit. Immo praeuaricatio est collusio.

§. DCXVIII.

Dominium; Dominus.

Ius re externa (a), exclusis aliis, vtendi (b) simul ac fruendi, deque ea in commodum nostrum disponendi, DOMINIVM (c), et cui tale ius competit, DOMINVS dicitur.

(a) RES EXTERNA est, quam vt a nobis separatam, f. diuersam, cogitamus, v. g. arbor, equus, ager, aedificium, vestis etc.

(b) Latius hic vox vtendi accipienda est, quam quidem supra (§. CCXLVIII.) in materia vsusfructus factum, hic enim ad rem alienam non adstringitur. Dominus itaque vtitur et fruitur re sua, et in hoc ab vsuario et fructuario differt. Sed et abutitur eadem, si vocem abusus interpreteris, quod sit vsus cum interitu rei.

(c) Addunt alii verba: *Eamque amissam vindicandi.* Verum vindicatio latet in nota dominii characteristica, exclusione nempe aliorum ab vsu eius rei, in qua dominium nobis competit. Monstri aliquid alere videbitur definitio acutissimi HVBERI *Prael. ad Pand. Tit. de acqu. rer. domin.* §. 1. legalis notam prae se ferens. Ita autem ille: DOMINIVM *est ius de re aliqua corporali, cum exclusione aliorum, perfecte disponendi, nisi lex, vel conuentio, vel etiam testatoris voluntas obsistat.* Cur non etiam addidit SCtum, plebiscitum, violenti inuasoris, domesticae crucis, Xantippes etc. voluntatem. Non est haec definitio dominii in genere spectati, sed limitati. Negandum quidem non est, posse et principem varia determinare circa liberam dispositionem subditorum, posse et quemlibet suae rei legem dicere, verum hac ratione limitatum oritur dominium, innumeris mutationibus obnoxium. Obscura est definitio, quam distinctam notionem esse oportebat, circulumque describit, LAVTERBACHII *Digest. Tit. de acqu. rer. dom.* et *Disp. de Thesauro, th.* 17. Dixit autem dominium *ius in re corporali, quo res propria alicuius est.* Sed quid proprium dicitur? Nonne id, quod in dominio est? Equidem non sum nescius, proprietatem ab aliis a dominio distingui, vocarique dominium absque reali vsu; vid. ZIEGLERVS ad GROTIVM *de iure belli ac pac. L. II. c.* 2. §. 1. et PVFENDORFIVS

DORFIVS *Iur. nat. et gent. Lib. IIII. c. 4. §. 1.* Verum ad hunc significatum LAVTERBACHIVM digitum non intendisse, certum est. Quid enim dominium a proprietate separatum? Sequutus LAVTERBACHIVM MAICHELIVS *Diss. de gener. domin. not. §. 8.* dominium philosophice magis vocans *relationem inter rem et personam, qua haec huic propria dicitur.* PVFENDORFIVS *de off. hom. et ciuis* idem definit: *Ius, quo alicuius rei velut substantia ita ad aliquem pertinet, vt eodem modo in solidum non pertineat ad alium.* Notarunt hanc definitionem Cel. OTTO *ad h. l. p. 193.* et HERMANN. *Disp. de origine dominii.* In facultate libere de re sua disponendi notionem dominii collocare videtur GROTIVS *de iur. bell. ac pac.* quam tamen nullibi distincte definit.

§. DCXVIIII.

Si effectus dominii inter plures diuisi sunt, MINVS PLENVM; si non, PLENVM DOMINIVM dicitur. *Dominium minus plenum; plenum.*

§. DCXX.

Ius de rei substantia (a) disponendi, separatum a iure vtendi fruendi ea, DOMINIVM DIRECTVM (b); ius disponendi de solo fructu rei, VTILE DOMINIVM (c) dicitur. *Dominium directum; vtile.*

(a) Non igitur de accidentibus, qualia sunt fructus. E. minus plenum est (§. praec.).

(b) Directum dominium habet dominus rei in feudum, emphyteusin, vel fundi, in quo superficies alteri competit.

(c) Differt dominium vtile ab vsufructu, quod vsufructuarius non de vsufructu, sed de fructibus saltim disponit; dominus vero vtilis etiam de vsufructu quoad dies vitae. Vtile dominium minus plenum est (§. praec.).

§. DCXXI.

DOMINIVM, modo iure naturae praescripto acquirendum, BONITARIVM (a); modo *Dominium bonitarium;*

Quiritarium. modo vero, ciuibus Romanis iure ciuili praescripto (b), acquirendum, QVIRITARIVM (c) vocabatur (d).

(a) Inde hoc ipsum φυσικὸν, h. e. naturale, appellant. Sunt autem modi acquirendi iuris naturalis, occupatio, accessio, traditio, praescriptio.

(b) Sc. in iure cessione, sub corona emtione, auctione, mancipatione, vsucapione.

(c) QVIRITES enim ciues Romani dicebantur a CVRIENSIBVS in societatem lectis, vid. LIVIVS *Lib I. c. 13.* inde ius Quiritarium ciuibus Romanis proprium. THEOPHILVS idem dixit ἔννομον, legitimum.

(d) Conf. VLPIANVS *Fragm. I. 16.*

§. DCXXII.

Dominium reuocabile. Ius vtendi fruendique re sua exclusis aliis, tempore circumscriptum, DOMINIVM REVOCABILE (*) dicitur.

(*) V. g. venditus fundus sub pacto de retrouendendo; in hoc enim emtor dominium reuocabile acquirit.

§. DCXXIII.

Dominium naturale. DOMINIVM minus plenum, cuius effectus ciuiles in alterum translati sunt, dicitur NATVRALE (*).

(*) Quale est, quod competit vxori in dote, cuius effectus ciuiles translati in maritum sunt.

§. DCXXIIII.

Patrimonium; τὸ Suum; Bona; in bonis esse. Complexus rerum, titulo dominii ad hominem sui iuris (a) spectantium, PATRIMONIVM (b); Omne vero, quo iure instructi sumus, et quibus perfectio nostra promouetur, τὸ SVVM (c); Complexus eorum, quae ad τὸ suum pertinent, BONA (d), et suum IN BONIS (e) ESSE dicitur.

(a) Si

(a) Si hunc omiseris characterem, peculium potius aduentitium erit, aut esse poterit.

(b) Patrimonium natiuo suo significatu notat hereditatem a patre acceptam. CICERO *de Offic. Lib. I. c. 33.* ita: *Optima autem hereditas a patribus traditur liberis, omnique* PATRIMONIO *praestantior gloria.* Coepit tamen dici de omni eo, quod dominii titulo ad nos spectat. Ita CICERO *Orat. pro Flacco c. 36.* *Dissipare* PATRIMONIVM *suum lauctis conuiuiis*, dixit, Et VLPIANVS *L. 25. §. 1. D. de hered. petit.* inquit: *Item, si rem distraxit et ex pretio aliam rem comparauit, veniet pretium in petitione hereditatis, non res, quam in* PATRIMONIVM *suum conuertit.* Vid. *L. 54. pr. D. ad SCt. Trebell. L. 6. D. de offic. Praefect. vrb.* Patrimonium totum est, singulae res in dominio sunt.

(c) Latiorem suo definito esse τοῦ sui definitionem KOEHLERI *Exerc. iur. nat. §. 747.* iam docui *Dissert. de princip. oblig. et non oblig. pactis per metum extortis, §. XXII. Schol.* Retulit namque is ad suum omne id, quo alter instructus est, idque absque vlla determinatione, quam ego omittere nolui, quum multa non iure possideantur, doloue ac fraude acquirantur; adeoque opus non est, vt ad GROTIVM prouocet, eumque auctorem laudet, cui tale ne quidem in mentem venisse putauerim.

(d) Bona ex eo dicuntur, quod beent, h. e. beatos faciant. BEARE enim *est prodesse,* inquit VLPIANVS *L. 49. D. de V. S.* Sed quid prodesse? Nonne perfectiorem facere?

(e) VLPIANVS *L. 49. D. de verb. signif.*: IN BONIS *nostris,* inquit, *computari sciendum est non solum, quae dominii nostri sunt, sed et si bona fide a nobis possideantur, vel superficiaria sint. Aeque bonis annumerabitur, si quid est in actionibus, petitionibus, persecutionibus: nam haec omnia in bonis esse videntur.*

§. DCXXV.

Res, in quibus, vel ad quas nobis ius competit, PECVNIAE (*) nomine veniunt. *Pecunia.*

(*) Pecunia dicta a pecude, quo omnes veterum diuitiae absoluebantur, docente SERVIO ad VIRGILII *Eclog. I.* Inde omnia corpora, quae in bonis sunt, pecuniae nomen sortita. VLPIANVS *L. 178. D. de V. S.* scribit:

scribit: *Pecuniae verbum non solum numeratam pecuniam complectitur, verum omnem omnino pecuniam, h. e. omnia corpora.* Huic iungas HERMOGENIANVM *in L. 222. D. eod.* docentem: *Pecuniae nomine non solum numerata pecunia, sed et omnes res tam soli, quam mobiles, et tam corporales, quam iura continentur.* Equidem PAVLVS *L. 5. D. eod.* pecuniam dicit ea, quae in patrimonio sunt, in bonis curatius dixisset, nam iura in dominio proprie non sunt, sunt tamen in pecunia. Melius CELSVS *L. 88. D. eod.*: *Tantum quisque* PECVNIAE *relinquit, quantum ex eius bonis recipi potest.* Ceterum, vti cum terminis iuridicis comparatum est, vt ambiguum plerumque habeant significatum, eadem et pecuniae vocabulo sors obuenit. Legibus XII. Tabb. pecunia ita latae interpretationis est, vt omnia, quocumque titulo ad nos spectantia, resque omnes, corporales et incorporales, denotet. *L. 50. D. de verb. obl.* omnem hereditatem, *L. 30. pr. D. de legat. 1. L. 2. D. de reb. cred. L. 1. 6. f. D. mandat. L. 1. §. 9. D. deposit.* res solas fungibiles, *L. 5. §. 2. D. de praescr. verb. L. 1. ad SC. Maced.* pecuniam numeratam designat.

§. DCXXVI.

Acquisitio; Modus acquirendi; originarius; deriuatiuus; Titulus; iustus.

Actus, quo rem aliquam nostram facimus, ACQVISITIO; Causa proxima, ius tribuens, MODVS ACQVIRENDI (a); et quidem, si id, quod mihi tribuitur, nullius est, ORIGINARIVS (b); sin alicuius, DERIVATIVVS (c); causa vero remota, TITVLVS (d), et si legibus approbatus, IVSTVS (e) dicitur.

(a) S. vt Perill. L. B. DE WOLFF *Iur. nat. Part. I. §. 112.* scribit: *Factum, quo iuris reddimur participes.* V. g. Caius videt rem derelictam a Sempronio, occupat eam, sibique retinet; Occupatio E. Caii factum illud est, quo iuris, dominii scil. particeps factus, simulque causa proxima tribuens dominium est; eo namque momento, quo Caius rem derelictam occupabat, dominus eiusdem fiebat.

(b) Tullius librum abiecit, animo derelinquendi, Sempronius occupauit. Res occupata erat nullius.

(c) Lucius

(c) Lucius Seio aedes suas vendit, easque tradit; res tradita erat non nullius, sed Lucii.

(d) In casu, nota praecedenti proposito, traditio proxima, emtio vero remota causa erat; E. illa modus acquirendi, haec titulus fuit.

(e) S. est ratio legalis, per quam patet, factum tale ius parere posse, vid. *Perill.* L. B. DE WOLFF *Iur. natur.* P. I. §. 115.

§. DCXXVII.

TITVLVS, qui me simul ad aliquid praestandum obligat, ONEROSVS (a), qui non, LVCRATIVVS (b) dicitur. *Titulus onerosus; lucratiuus.*

(a) Emtio venditio est titulus onerosus; alter enim rem, alter pretium praestat.

(b) Donatio est titulus lucratiuus; donatarius namque nihil vicissim donanti praestat.

§. DCXXVIII.

Translatio eius, quod nostrum est, in alium (*), ALIENATIO dicitur. *Alienatio.*

(*) Ita fere SENECA *de Benef. V.* 10. dum alienationem, rei suae iurisque in alium translationem, dicit. Ex hac definitione conficitur, id, quod in dominio venditoris manet, alienatum non dici posse, licet venditum fuerit. Vid. VLPIANVS *L.* 67. *D. de V. S.*

§. DCXXVIIII.

Iuris nostri circa rem plenaria abdicatio DERELICTIO audit (*). *Derelictio.*

(*) Caius, mutaturus habitationem, supellectilem, superfluam ei, foras proiicit, eoque facto abit. Declarat idem hoc facto, se nolle eam amplius in numero rerum suarum esse, abdicauit E. ea se, h. e. dereliquit eam.

§. DCXXX.

Occupatio; bellica. Factum, ex quo concipimus, quomodo res nullius, dominii capax, propria fiat (a), OCCVPATIO (b): et si res occupata hosti olim competiit, BELLICA OCCVPATIO (c) vocatur.

(a) Ita Perill. Dn. AB ICKSTADT *Iur. gent. Lib. III, c. 1. §. 3.* Alias etiam definiri posset OCCVPATIO, quod sit factum, quo rem nullius, animo eam retinendi, nobis attribuimus. Equidem Dn. AVGSPVRG in *Tract. de iur. dominii §. 21. Schol.* animum, rem occupatam retinendi, superfluum in definitione occupationis characterem iudicat. Verum non satis accurate, vt mihi quidem videtur. Animus possidendi, possessionis varietatem efficit. An eum, qui rem animo custodiendi ad se recipit, iuris quid in eam tribues? Quid iuris in rem consequitur quilibet detentor? Conf. STRYCK ad LAVTERBACHIVM *Tit. de acquir. rer. domin.* CHLADENIVS *Element. Theor. possess. ac domin.* occupationem dicit apprehensionem primam, seu possessionem momentaneam.

(b) OCCVPARE est capere ante alios, s. capiendo alios praeuenire, vid. *L. 9. D. de verb. oblig.* Ideoque ad rem occupandam requiritur, vt sit nullius, ni enim hoc, alios non praeuenit occupans, sed praeuentus continuat, quicquid alter habuit iuris. Atque vel ex hac ratione generalius solito occupationis definitionem *not. a. ad h. §.* constituendam iudicaui. Insufficiens namque, vt aliis iam, ita et mihi denuo visum vulgatum apprehensionis vocabulum, solis corporalibus rebus applicabile. Dein et apprehensio magis corporalem actum, quam animum respicit, cuius in occupatione non minores partes sunt. Apprehendimus enim non animo, sed manibus. CICERO *de Oratore Lib. I c. 56.* Exemplo rem illustrabo: Caius atque Titius, in via regia, Dresda Misniam ducente, ambulant. Prior videt Lucium equo vehentem inque terram librum indignabundum proiicientem, simulque abientem. Indicat consilium, de attribuendo sibi eo, itineris socio Caius, Titius vero hunc praecurrit, librumque abiectum ad se recipit, quem famosissimum de tribus impostoribus tractatum perspicit esse, dubium hoc casu nullum est, Caium, non Titium, occupasse librum derelictum,

arg.

arg. L. 78. D. de solut. L. 1. §. pen. D. de acqu. rer. domin. et TREBATIVS vulneratam a nobis feram nostram dixit. *L. 5. D. eod.* Vid. GVNDLINGIVS *in Via veritat. P. III. c. 19. §. 13.* Dein negare non possum, mihi valde displicere, quod multi in definienda occupatione generis loco ponant modum acquirendi. Occupatio in se spectata modus acquirendi dominii non est, nisi fiat animo acquirendi dominii, quod vlterius declaraui in Exerc. priu. Praesid. B. Dn. TREVERO Götting. MDCCXXXXI. habita.

(c) Rumpitur inter belligerantes ius pacis, proindeque et ius dominii inter illos tollitur, resque hostiles dominio vacuae fiunt. Res dominio vacuae sunt nullius, hae vero cedunt occupanti. Inde occupationis bellicae formatur notio.

§. DCXXXI.

Animalia bruta, quae non nisi vi in potestatem nostram rediguntur, ac in ea retinentur, FERAE (a); illa vero, quae licet vi in potestatem nostram redacta, consueuerunt tamen a nobis regi, MANSVEFACTA (b); quae vero in patrimonio nostro nata, sponte se in illo seruant, MANSVETA (c) dicuntur. *Ferae; mansueta animalia; mansuefacta.*

(a) Talia sunt leones, vrsi, pantheres, tigrides, elephantes, cameli etc. *L. 2. D. ad L. Aquil.* Ex eadem hac definitione ratio reddi potest, cur *apes* ferarum numero Romanis fuerint. Sed cur columbas feras dixerit CAIVS, *L. 5. §. 5. D. de acqu. rer. dom.* (TRIBONIANVM *§. 15. I. de rer. diuis.* non miror, is enim CAIVM exscripsit) rationem non video, maxime, quum constet, columbas Romanorum mansuefactas adeo fuisse, vt alligata pedibus earum epistola, nunciorum instar dominis fuerint. Vid. PLINIVS *Hist. natural. Lib X. c. 37.* et VARRO *de re rustic. Lib. X. c. 37.* Sed mansuefactorum oblitus est, argumentatus, omne, quod non est mansuetum, id esse ferum. Memini ICtos quosdam feram definire, cuius fera natura est, corollarium CAII *L. cit. 5.* pro definitione amplectentes. Sed quid hoc est, feram naturam habere? Cur non et hominem dicis, qui hominis

f. humanam habet naturam, et quadratum, quod quadrati habet naturam?

(b) Fera bestia, si eo perduceretur, vt abiret et ad manum rediret, mansuefacta dicebatur; nec adeo mihi displicet NONII etymologia *l. 94.* deriuata a *manu* et *suetus*, quasi ad manum sueta, et manu contrectari se patiatur. Erant Romae *Mansuetarii*, qui artem permulcendi, modificandique feritatem bestiarum profitebantur, de quibus vid. LAMPRIDIVS *in vita Heliogabali c. 21.* narrans: Leones ac pantheres ita fuisse domitos, vt manus faucibus eorum illaesa potuerit immitti, et SENECA *Ep. LXXXV.* elephantorum funambulorum meminit.

(c) Tales sunt v. g. canes, feles, equi, gallinae, vid. *L. 2. D. ad L. Aquil.*

§. DCXXXII.

Venatio; Aucupium; Piscatio.

Occupatio ferarum quadrupedum VENATIO; volucrum (a), AVCVPIVM; piscium (b), PISCATIO dicitur.

(a) TRIBONIANVS volucres animalia, quae coelo nascuntur, dicens, *§. 12. I. de rer. diuis.* specimen peruersae Physicae edit.

(b) Frustra a me exspectabis, vt quadrupedum, volucrum ac piscium definitiones sistam, rerum quippe omnibus notissimarum. Neque, dum praesentem definitiuam concinno iurisprudentiam, eo deduci me patiar, vt quaecumque per se satis clara definiam. Ridere enim soleo omnem et in definiendo excessum. Etenim haec lues ac mania aliquos adeo cepit, vt chartam atque papyrum, carnem bubalinam cum raphanis definiri sibi desiderent. Hac aliquando laborauit vir iuuenis nobilis ex academia redux, qui seruo suo mandabat, vt candelam emungeret, his verbis: Du Mensch, der du mir Dienste, gegen Kost und Lohn, zu leisten versprochen, (definitio serui mercenarii) fasse mit demjenigen Theil deines Körpers, der zum Angreiffen gemacht ist, (definitio manus) diese die Dunckelheit benehmende Machine, (definitio emunctorii) und benimm damit diesem talgigt = brennenden Cörper (definitio candelae) die Dunckelheit (definitio actus emungendi).

§. DCXXXIII.

Actus, quo rem, pro nullius habitam, animo eam retinendi, nobis attribuimus, INVENTIO (*) dicitur. *Inuentio.*

(*) Inuentio igitur et occupatio in eo differunt, quod haec supponat res nullius, haec vero res pro nullius habitas. Ita cum rectius sentientibus has notiones determino, maxime, vt vsui hodierno non repugnet. Quodsi vero antiquum ius Romanum spectaueris, multiplicemque rerum nullius distinctionem; occupationem pro attributione rerum facto, inuentionem pro attributione rerum natura nullius sumi intelliges. Sed et videmus ad inuentionem referri res communes ac publicas. *§. 12. 18. Inst. de rer. diuis.*

§. DCXXXIIII.

Res, cuius dominus omnium memoriam effugit, insolito loco recondita (a), THESAVRVS (b) dicitur (c). *Thesaurus.*

(a) Mobilis E. sit, necesse est, vid. *L. vn. C. de thesaur.*

(b) Thesaurum a θησαυρῷ dici, ad oculum patet. Proprie denotat locum, quo aliquid reconditur, compositum quippe ab ἄυρος et τίθημι. Ita hoc non solum LXX. Interpretes *Psalm. XIII. v. 57.* verterunt, sed et LIVIVS *Hist. Rom. Lib. XXXVIIII. c. 50.* thesauri sub terra, in quo vinctus quis demissus, meminit.

(c) Haec duo ad thesaurum requiro, 1) sc. vt non exstet memoria, quisnam eius sit dominus, adeoque res pro nullius habita thesaurus est, simulque habilis ad id, vt inueniatur; quodsi de domino aliquo modo constare possit, thesaurus non est. Declarat hoc ipsum *L. 67. D. de R. V.* 2) vt loco alias non solito repositus sit, v. g. terra absconditus, aut lateribus domus. PAVLVS *L. 31. D. de acqu. rer. domin.* dicit: *Thesaurus est vetus depositio pecuniae, cuius non exstat memoria, vt iam dominum non habeat.* IMP. LEO *in L. vn. C. de thesaur. Mobilia condita a dominis tempore vetustiore*, et CASSIODORVS *Lib. VI. Depositiuam pecuniam, quae longa vetustate competentes dominos amisit*, thesaurum dicit. Nec raro thesaurus pro qualibet re,

quam

quam nos habere ignoramus, accipitur. *L. 11. D. fam. erc. L. 15. D. ad exhib. L. 44. D. de acqu. vel amitt. possess.*

§. DCXXXV.

Connexum; Principale; Accessorium; Accessio.

Quicquid rationem alterius in se continet, id cum eo, cuius rationem continet, CONNEXVM; quicquid rationem reliquorum cum se connexorum continet, PRINCIPALE; quicquid cum principali connexum est, nec tamen in eius essentia rationem habet, ACCESSORIVM (*); factum, quo res cum principali aliquo connectitur, ACCESSIO dicitur.

(*) Sic v. g. ego principale, vestis mea accessorium, vacca principale, vitulus accessorium est, possum enim cogitari absque veste, et vacca absque vitulo. E. connexa essentiam non feriunt.

§. DCXXXVI.

Accessio naturalis; industrialis.

Si cum principali accessorium ita connectitur, vt nullum hominis ad id accedat factum, ACCESSIO NATVRALIS (a); Si facto hominis accedente connectuntur, INDVSTRIALIS (b) vocatur.

(a) Huc pertinent alluuio, insula nata in flumine, coalitio etc. Terminus est, nec adeo multum in ea inquirimus, quae protulit contra haec GEORGE D'ARNAVD *Consectur. Lib. I. p. m. 1.*

(b) Qualis est specificatio, confusio, commixtio, de quibus suo loco.

§. DCXXXVII.

Alluuio; Coalitio.

Incrementum, terrae nostrae fluminis ope adiectum, ALLVVIO (a); quodsi insignis portio adiiciatur, cumque nostra terra eadem coniungatur, COALITIO (b) dicitur.

(a) CAIVS *L. 7. §. 1. D. de acqu. rer. domin.* scribit: *Per* ALLVVIONEM *autem id videtur adduci, quod ita paulatim*

tum adiicitur, vt intelligere non possimus, quantum quoquo momento temporis adiiciatur. Addit his CAII verbis IMPERATOR §. 20. *I. de rer. diuis.* verba: *Incrementum latens.* Egregie LVCANVS his:

Illos terra fugit dominos, his rura colonis
ACCEDVNT *donante Pado.*

alluuionem describit. Et SICVLVS FLACCUS *p. 15.* scribit: *Si riuus alicuius terras minutatim ex alia parte abstrahat, et alii contrario relinquat, vocant* ALLVVIONEM.

(b) Vid. §. 21. *D. de R. D.* et *L. 7. §. 2. D. de acqu. rer. domin.* Coalescere dicitur, quicquid radicibus inter se, vel terra iungitur. Ita ICti passim hoc verbo vsi sunt, vid. *L. 9. pr. D. de acqu. rer. domin. L. f. pr. D. quod vi aut clam.*

§. DCXXXVIII.

ALVEVS (*), qui cursum mutauit, DERELICTVS dicitur. *Alueus derelictus.*

(*) Alueus est fluminis continuum mobile inter vtramque ripam. Vernac. der Strom.

§. DCXXXVIIII.

Factum, quo res mobiles solidae homogeneae connectuntur, ADIVNCTIO dicitur (*). *Adiunctio.*

(*) Et quidem si ferrum ferro, afferuminatio; si plumbum plumbo, adplumbatura; si fila lanea aliis filis laneis iungantur, intextura vocatur, vid. *L. 23. §. 5. D. de rei vind.*

§. DCXL.

Solidorum diuersarum specierum inseparabilis connexio, COMMIXTIO (a); fluidorum, CONFVSIO (b) dicitur. *Commixtio; Confusio.*

(a) Vid. §. 28. *Inst. de rer. diuis.* Miscetur v. g. hordeum Caii auena Titii, quae vno loco reponi debebant.

(b) *Fundere* de liquidis proprie praedicamus. Sic PROPERTIVS *Lib. IIII. Eleg. 6. v. 73. sq.*

Vinaque fundantur praelis elisa Falernis,
Terque lauet nostras spica Cilissa comas.

Confusio

Confusio itaque liquidis propria est. Vid. §. 27. *I. de rer. diuis.* Intellige et liquefacta, ceram v. g. argentum fusum, rel.

§. DCXLI.

Specificatio. Factum, quo res ita mutatur, vt sub alio genere (a) iam contineatur, SPECIFICATIO (b) dicitur.

(a) Sc. iuridico, h. e. specie philosophica.

(b) Dicitur a *specie* et *facere*, aliam speciem facere, i. e. ad aliud genus redigere. V. g. si ex argento infecto calicem confici curauerim, aut ex corio calceos.

§. DCXLII.

Traditio; breui; longa manu; symbolica. Factum, quo res e nostra in alterius possessionem (a) transit, TRADITIO (b); quodsi sola declaratione fit, BREVI MANV (c); si adhibito symbolo, SYMBOLICA (d); si monstratione rei tradendae e longinquo effectus translatae possessionis se exserit, LONGA MANV (e) dicitur.

(a) Et hoc quidem semper; non vero omni casu in dominium res tradita transit, nisi reliqua dominii adsint requisita. Vid. *L. 28. D. de verb. oblig.* et *arg. L. 3. §. 1. D. de act. emt. vendit.*

(b) Breuius: *Est datio possessionis.* THEOPHILVS *Inst.* traditionem vocat translationem ἀπὸ χειρὸς εἰς χεῖρα, de manu in manum. Sed haec traditionis solummodo species, nempe verae ac mobilium rerum, est. CHLADENIVS *Elem. theor. possess. ac dominii* §. 5. TRADITIONEM dicit: *Occupationem euacuatione continua, occupante et euacuante volente, factam.* EVACVATIONEM vero eam *possessoris naturalis actionem, qua possessione momentanea abstinere incipit,* vocat. Atque haec est ea traditio, quae Romanis *nuda* vocatur, opposita traditioni *nexu*, qua res mancipi tradebantur.

(c) V. g. Deposui apud Caium C. Caius igitur tenetur ad ea in speciebus suis restituenda. Iam vero deposi-

positarius litteris ad me datis rogat, depositam apud se pecuniam mutuo sibi dari. Concedo; et deposita pecunia fit mutuum, tamque in genere restituendum. Secundum ius strictum reddenda prius fuisset deposita pecunia, reddita vero tradi iterum. Sed has ambages euitaturus declarat, traditionis effectum habere debere concessionem, haecque traditionis breui manu nomine venit. *L. 9. §. f. D. de reb. credit.*

(d) Symbolica dicitur ab adhibito symbolo. SYMBOLVM est res, quae praeter sui notionem simul alterius rei notionem in animo generat. V. g. si claues aedium, loco harum tradantur. *L. 9. §. 6. D. de acqu. rer. domin.* *Symbolum.*

(e) Vid. *L. 18. §. 2. D. de acqu. vel amitt. poss. L. 1. §. 21. D. eod. L. 27. D. de solut.* Tres hae posteriores species *fictae traditionis* nomine veniunt.

§. DCXLIII.

In iure cessio; Sub corona emtio, Auctio, Adiudicatio.

Actus, quo, renunciatione dominii a domino facta, vindicatione alterius, et addictione magistratus rei dominium transferebatur, IN IVRE CESSIO (a); EMTIO bello captorum, SVB CORONA (b); rerum vero proclamate venumdatarum, AVCTIO (c); Translatio dominii, iudicis sententia facta, ADIVDICATIO (d) audit.

(a) VLPIANVS *Fragm. tit. XVIIII.* In iure cessio communis alienatio est et mancipi rerum et nec mancipi, quae fit per tres personas, in iure cedentem, vindicantem et addicentem. In iure cedit dominus, vindicat cessionarius, addicit magistratus, v. g. Praetor. Formulas vid. apud OISELIVM ad CAII *Instit. Lib. II. Tit. I. p. m. 44. sq.* et CICERONEM *in Topic. Lib. III.*

(b) Corona namque caput eorum, qui vendebantur, cinctum erat, indicio, eos esse venales. Vid. GELLIVS *Noct. Attic. Lib. VII. c. 4.* et late B. Dn. HEINECCIVS *Antiqu. Rom. Lib. II. Tit. I. §. 21.* Exempla vide apud IVSTINVM *Histor. Lib. III. c. 2.* qui refert, PHILIPPVM, Macedoniae regem, Graecos, hostili manu captos, sub corona vendidisse; et IVLIVM CAESAREM *de Bello Gallic.*

Lib.

Lib. III. c. 16. narrantem, Venedos captos sub corona vendidisse se.

(c) Obaeratorum quippe bona, publicato per praeconem die, hora ac conditione, facta designatione eorum, publice in foro Olitorio, vel Capitolio, sub hasta proponebantur venalia, atque sic plus licitanti addicebantur. Vid. SIGONIVS *de antiqu. iur. popul. Rom. Lib. II.* PLAVTVS *Maenechm. Act. V. Sc. 9. v. 94. sq.* ita:

Auctio fiet Maenechmi mane sane septimi;
Venibunt serui, supellex, fundi, aedes, omnia;
Venibunt, quique licebunt, praesenti pecunia;
Vxor quoque, si quis emtor venerit.

(d) In tribus sc. iudiciis diuisoriis, finium regundorum, familiae erciscundae, et communi diuidundo. Vid. VLPIANVS *Fragm. XVIIII. 6.*

§. DCXLIIII.

Missilia. Quae animo derelinquendi in vulgus sparguntur, MISSILIA (*) dicuntur.

(*) Consueuerant Romani diebus solemnioribus, praecipue vero Imperatores et Consules inaugurationis die, pecuniam non solum numeratam, sed et bellaria in vulgus mittere, ita, vt cederent occupantibus. SVETONIVS *in Caligul. c. 37.* de hoc ita disserit: *Quin et nummos, non mediocris summae, e fastigio Basilicae Iuliae, per aliquot dies sparsit in plebem.* Vid. *§. 46. I. de rer. diuis. L. 9. §. pen. D. de acqu. rer. domin.* Eleganter de his MARTIALIS *Lib. VIII. epigram. 78.*

Nunc veniunt subitis lasciua numismata nimbis,
Et in populum multa ruina cadunt.

§. DCXLV.

L. XLI. T. 2. *Detentio; Possessio; Quasipossessio.* Custodia rei, absque animo eam retinendi, DETENTIO (a); quod si cum animo eam retinendi coniuncta (b), POSSESSIO; Exercitium iuris, animo id sibi tribuendi, QVASIPOSSESSIO vocatur.

(a) Dicitur etiam possessio naturalis. Ita depositarius rem apud se depositam *L. 17. §. 1. D. depos.* dicitur possi-

possidere, h. e. alieno nomine detinere, it. vsufructuarius. *L. 12. D. de acqu. vel amittend. possess.* Alias possessionem distinguere solent a detentione ac possessione ciuili, quod haec fiat animo dominii, ista animo alterius iuris in re acquirendi, illa vero animo custodiendi.

(b) In hoc a detentione nuda differt possessio. Graeci, has duas distinguendo, vocabulis κατοχὴ et νομὴ vtuntur. Prius descendit ἀπὸ τοῦ κατέχειν, quod significat *tenere*, posterius ἀπὸ τοῦ νέμειν vel νέμεσθαι, *tribuere*, *attribuere*, atque ita illam nudam detentionem, hanc attributionem dixere. Vidit haec, sed infeliciter interpretatus est CVRTIVS νομάδων *Lib. I. c. 11.* νομὴν ἀπὸ τοῦ νέμεσθαι *pasci*, deriuans. Sed ad ipsam possessionis definitionem redeo, et quidem ad eam, quam CHLADENIVS *theor. possess. ac domin.* exhibet; Dicit eam *continuatam apprehensionem*, idque illustrat exemplo hominis nummum e terra tollentis manuque inclusum gestantis. Caueat E. ne marsupio eum immittat, et digitos subinde moueat ad capturam. Sed quorsum delabor? Nonne conseruatio Metaphysicis dicitur noua et continua creatio? Alii *possidere* dicunt, re pro domino vti, AVSONIVS POPMA *de Diff. verbor. Edit. Hekel. p. m. 149.* Sed haec definitio itidem strictior definito suo est, possessio namque potest esse absque vsu. Euclio myriada possidet, nec vllo vtitur obulo. Dein possessio dominii titulum non requirit, quamuis opinionem eiusdem quandoque desideret. Hoc innuit IAVOLENVS *L. 115. D. de verb. signif.* scribens: *Possessio ab agro iuris proprietate distat. quicquid enim de, reuendimus, cuius proprietas non pertinet, aut nec potest pertinere, hoc* POSSESSIONEM *appellamus.* Atque hac ratione possidetur seruitutis ius. Ceterum possessionis vocabulum ipsum dominium quandoque notat, declarante id PAVLO *L. 67. D. de verb. signif.*

§. DCXLVI.

POSSESSIO sub opinione dominii, BONAE FIDEI (a); scientis rem, quam possidet, ad se non pertinere, MALAE FIDEI (b); titulo legibus approbato nitens, IVSTA; dolo acquisita, INIVSTA (c) dicitur. *Possessio bonae fidei; malae fidei; iusta; iniusta.*

 (a) Lucius

(a) Lucius equum a Saufeio emit, nescius, quod hic eum Caio abegerit, bona fide equum possidet; credit enim venditorem dominum equi fuisse, seque proinde pariter dominium eiusdem equi acquisiuisse. MODESTINVS *L. 109. D. de verb. signif.* de hoc ita: *Bonae fidei emtor esse videtur, qui ignorauit, eam rem alienam esse: aut putauit eum, qui vendidit, ius vendendi habere.*

(b) V. g. Si quis scienter a fure emit, is mala fide, quod emit, possidet.

(c) V. g. Vi ablata, dolo acquisita, etc. iniusto titulo possidentur.

§. DCXLVII.

Turbatio; Spolium; Deiectio; Amittere; Amissio possessionis.

Offensio quoad possessionem, TVRBATIO (a); Iniusta priuatio possessionis, SPOLIVM (b), et quidem rei immobilis, DEIECTIO (c) est. AMITTERE vero quid dicimur, si omni, eius consequendae iterum, spe priuamur; hinc AMISSIO POSSESSIONIS dicitur priuatio possessionis et spei, eius iterum consequendae (d).

(a) Silius hortum per plures annos animo eum sibi attribuendi possedit; iam vero, ad eum accedens, fores eius obsessas ac occupatas videt a Lepido eiusque sociis, eum impedientibus, quo minus introeat, sed repelluntur, vacuamque sibi Silius horti sui asserit possessionem. Hoc turbationis exemplum est; offendit namque Lepidus Silium quoad possessionem horti.

(b) SPOLIA olim Romani vocabant pannicularia, quibus induti erant, qui ad supplicium ducebantur, quibusque iidem exuebantur in spoliario. *L. pen. D. de bon. damn.* Hinc spoliare, metaphora adhibita, est bonis aliquem exuere. *L. 1. D. de donat.* Adeo autem late spolii notio patet, vt cuiuscunque rei, s. mobilis s. immobilis, s. corporalis s. incorporalis sit, comprehendat. Exemplum spolii rei mobilis incidit in animum: Pignori dederat Caius subuculam suam e panno aureo intexto serico, Nathani, mutuum 12. thal. danti; post aliquod tempus debitor creditorem pignoratitium adit atque

atque eum ad id inducit, vt conditorium vestium secum intret; Annuit Iudaeus Catoque varia vestium indiuidua proponit, Inter haec conspiciens ille subuculam suam, pignoris nexu obligatam, eam clam subducit atque per fenestram apertam in plateam, vbi rarius iter fieri solet, proiicit, exceptam a Titio, cui id mandauerat. Spoliauerat hoc casu Caius Nathanem subucula oppignorata, interuerterat namque huic possessionem eiusdem. De actione spolii ad ius canonicum commodior dicendi locus erit.

(c) Piso possidet fundum Coriolanum; Mucius armata manu eum inuadit Pisonemque compellit, vt fundo exeat; Mucius Pisonem deiecit.

(d) Quem enim possessione priuat Caius, is possessionem non amisit, scit enim, aduersus quem ipsi competat regressus ad recuperand m eam. Optime PAVLVS *L. 14. D. de verb. signif.* inquit: *Amisisse videtur, qui aduersus nullum eius persequendae actionem habet.* V. g. Caio, apud Gallos degenti, domi aufertur possessio pretiosi cuiusdam; reuersus, idipsum non inuenit, nesciusque est eius, qui abstulit; amisisse rem et possessionem dicitur.

§. DCXLVIII.

Possessio (a) rei suae, alieno nomine, CONSTITVTVM POSSESSORIVM (b) vocatur. *Constitutum possessorium.*

(a) Sc. naturalis s. detentio.

(b) Caius aedes suas vendit Nonio, fidemque de pretio habet; additur pactum, et dominium et possessionem ciuilem, h. e. effectus possessionis legitimae, apud venditorem manere, Noniumque traditas aedes detinere solum debere, donec pretium soluatur. Atque hoc ipsum eum sortitur effectum, vt, non soluto pretio, neque rei vindicatione neque alia actione personali opus sit, ad hoc, vt aedes recipiat venditor, sed rem suam propria auctoritate occupare possit idem. Eum enim, cuius nomine possidetur res, eam possidere, non vero eum, qui possidet, dicit CELSVS *L. 18. pr. D. de acqu. vel amitt. possess.* qui locus huic rei classicus est.

§. DCXLVIIII.

Lib. XLI. T. 3. *Vsucapio; Praescriptio.*

Acquisitio rei, per diuturnam ac continuam possessionem, VSVCAPIO (a); Exceptio vero, qua dominus prior rei, per diuturnam ac continuam possessionem ab alio acquisitae, eam vindicaturus, repellitur, PRAESCRIPTIO (b) dicitur.

(a) Dicta ab *vsu* et *capere*, i. e. per vsum sibi attribuere. Vid. supra §. DCX. non vero *vsum capere*, vt visum fuit GELLIO *Noct. Attic. Lib. VII. c.* 10. scribenti *vsus capio*, quem refellit FR. GRONOVIVS *Obseru. ad Hist. eccles. c.* 4. VSVCAPIONEM definit PAVLVS *L.* 3. *D. de vsucap. Adiectionem dominii, per continuationem possessionis, temporis lege definiti.* Vocabulum adiectionis in adeptionem mutat VLPIANVS *Fragm. Tit. XVIIII.* §. 8. quod quidem magis distinctum reddit sensum. Porro ad vsucapionem ICtus requirit continuam possessionem, qui enim non continuo possidet, non vsucapiet, sed de nouo semper vt incipiat opus habet. Denique temporis lege definiti meminit idem, quod olim ex iure XII. Tabb. in mobilibus annus, in immobilibus biennium erat.

(b) *Praescriptionem* idem significare, quod exceptio, certum est. Ita enim hoc ipsum non solum *Tit. Dig. de except. praescript. et praeiudic.* sed et VLPIANVS *in L.* 95. *D. de solut.* praescriptionis doli meminit. Rationem denominationis reddit FABER *Semestr. Lib. XXI. p.* 18. *sq.* quod sc. a Praetore ante actiones scribi, ipsisque actionibus praeponi solerent. Sed haec de praescriptionibus in genere. Iam ad praescriptionem, quatenus modus acquirendi dominii: Scilicet, aderat Lex XII. Tabb.: VSVS AVCTORITAS FVNDI BIENNII, CETERARVM RERVM ANNVVS ESTO. Dicta erat haec lex ciuibus Romanis; E. excludebantur peregrini, fundique non Italici. Sed hoc aequitati repugnabat. Tenuerat Caius fundum prouincialem per longum tempus bona fide, nec tamen eum poterat vsucapere, eadem licet subesset ratio; hac re commotus Praetor, supplendo corrigendoue, non mutando iuri ciuili datus, eiusmodi per longum tempus possidentibus,

nec

nec tamen vſucapere valentibus dabat exceptionem perpetuam contra priorem dominum, ſi iſti mobiles res per triennium, immobilès per decem, ſi praeſens; viginti, ſi abſens hic, poſſederint. Hodie vero vſucapio et praeſcriptio ſynonyma ſunt. Sublata quippe earum differentia *L. vn. C. de vſucap. transf.*

§. DCL.

LONGI (*) TEMPORIS PRAESCRIPTIO dicitur exceptio poſſeſſionis decennalis inter praeſentes, vicennalis inter abſentes; LONGISSIMI TEMPORIS vero triginta vel plurium annorum; IMMEMORIALIS, ſi poſſeſſio hominis memoriam excedit. *Praeſcriptio longi; et longiſſimi temporis; immemorialis.*

(*) Longum dici intuitu breuioris termini, qui olim anni erat, vel biennii, inquit PAVLVS *Lib. V. Sentent. c. 2. et 5.*

§. DCLI.

Vſucapionis interruptio VSVRPATIO dicitur (*). *Vſurpatio.*

(*) Vid. PAVLVS *L. 2. D. de vſurp.* Tempus enim continuum ad vſucapiendum requirebatur, intra quod vſucapiens poſſeſſione ſi exciderat, vſurpatio facta dicebatur, opusque erat, vt de nouo inciperet. LL. XII. Tabb. vxor, ante annum completum ſi trinoctium a marito abfuiſſet, dicebatur VSVRPATA. Alias vſurpare eſt vtendo retinere *L. 6. §. 1. D. ſi ſeru. vindic.* et rem amiſſam vſu iterum acquirere. *L. 40. §. 1. D. ex quib. cauſ. maior.*

§. DCLII.

NON VSVS eſt ceſſatio actuum, quibus commoda rei percipi poſſunt. *Non vſus.*

§. DCLIII.

Indebitum accipiens, PRO SOLVTO (a); emens ſub conditione, PRO EMTORE (b); Lib. XXXXI. T. 4. ſeqq.

 qui

Pro soluto; pro emtore; pro herede; pro legato; pro donato; pro derelicto; pro dote; pro suo; pro possessore possidere.

qui putat rem ad hereditatem pertinere, PRO HEREDE (c); qui putat rem aliquam sibi legatam esse, PRO LEGATO (d); cui a non domino res donata, PRO DONATO (e); qui rem, a non domino derelictam, occupauit, PRO DERELICTO (f); cui res aliena inaestimata (g) in dotem data, PRO DOTE (h); qui titulo destituitur, PRO SVO (i); qui titulum nescit, PRO POSSESSORE (k) possidet.

(a) Vid. *L. 46. D. de vsuc.* (al. *L. 5. D. pro solut.*) De indebito supra actum est (§. CCCXXXIIII.).

(b) Vid. *L. 2. §. 2. 3. D. pro emt. L. 4. §. 5. D. de addict. in diem.* De addictione in diem supra (§. CCCLXXXX.) egi. De conditionibus suspensiuis nullum erit dubium, eas dominium venditori seruare; erit saltim de resolutiuis; haec vero licet perfectum negotium reddant, faciunt tamen, vt existente conditione emtio deuoluatur ad casum, quo nondum erat contracta.

(c) Ita vtrique satis fieri crediderim. Aliter namque in materia hereditatum, aliter hic pro herede possessio sumitur. Illo enim casu dicitur pro herede possidere, qui putat se heredem esse, hoc vero, qui vere heres est, remque saltim singularem ad hereditatem pertinere sibi persuadet, quae ad eam tamen non spectat.

(d) V. g. Si res aliena legata, aut legatum legatario, huius nescio, adimitur. Vid. *L. 1. sq. D. pro legato.*

(e) Vid. *L. 1. D. pro donat.* Caius Titio donat Seii annulum.

(f) *L. 2. D. pro derel.* Lucius librum Sempronii possidet bona fide, eumque derelinquit, occupat Meuius.

(g) Si aestimato data dos, eadem accipienti marito venditur, possidensque eam vsucapit pro vendito. *L. 10. §. 4. D. de iur. dot.*

(h) *L. 1. D. pro dot.*

(i) Hoc nomen generale est, omnibus, qui titulo destituuntur, commune. *L. 27. D. de vsucap.* V. g. Si quis rem, quam nullius putauit, occupauerit. Occupatio enim non est titulus, sed modus acquirendi.

(k) Ita

(k) Ita VLPIANVS *L. 18. §. 1. sq. D. de hereditat. petit.* scribit: *Pro possessore vero possidet praedo, qui interrogatus: Cur possideat? responsurus sit: Quia possideo.*

§. DCLIIII.

Determinatio iusti in casu aliquo praesenti, a iudice cognita causa facta, SENTENTIA (a); quae totum casum concernat iusque eidem applicet, DEFINITIVA (b); sin articulum incidentem, INTERLOQVVTORIA (c); articulus iste incidens si ita comparatus, vt ex eius decisione decisio casus principalis dependeat, MIXTA (d); sin minus, MERA (e); qui collato facto cum iure determinat, quid iustum sit, REFERENS; qui huic in conferendo auxilio est, CORREFERENS (f) dicitur.

Lib. XXXXII. T. 2. *Sententia; definitiua; interloquutoria; mixta; mera; Referens; Correferens.*

(a) Conf. Cel. SCHIERSCHMIDIVM *Element. iur. ciuil. p. 272.* Addidi 1) causae cognitionem praecedentem, in quo a Mandato S. C. maxime, differt, in hoc enim iudex pariter determinat, quid iustum sit in casu praesenti, idque remotis exceptionibus. 2) Omisi notionem iniusti, determinato namque iusto, patet oppositum huic esse iniustum. Licet vero plerumque etiam in sententiis determinari videatur, non quid iustum, sed quid iniustum sit, dum saepius audiamus pronunciari: Daß Klägern dergleichen Turbationes zu unternehmen nicht geziemet, sondern daran zu viel und unrecht gethan, tamen sequitur, quid iustum sit, et quid fieri debeat, inde est, quod adiciatur: So ist Beklagter derentwegen in die Straffe, dem Mandato einverleibt, zu erklären und zu verdammen, auch Klägern in dem ruhigen Besitz fernerhin bey Straff - - - zu turbiren untersaget. Dein iustum est, ne alter in vsu iuris sui turbetur. B. Dn. HEINECCIVS *Elem. iur. sec. ordin. Pandect. P. VI. §. 236.* sententiam definit: Solemnem controuersiae decisionem a iudice factam. Verum character sententiae solemnitas non est, Sententiis in Iudicio Imperiali Aulico nulla solemnitas adhibetur, neque eaedem publicantur. E. sententiae definitio haec illis applicari non poterit.

 (b) De-

(b) Definit namque sententia, quid iustum sit in casu proposito generatim spectato, non in singulis cum eo concurrentibus circumstantiis. Inde et PAVLVS definitiuam sententiam intelligit, in *L. 19 §. 1. D. de recept. arbitr.* scribens: *Dicere autem sententiam eum existimamus, qui ea mente quid pronunciat, ut secundum id discedere eos a tota controuersia velit*, et in *L. 1. C. de sentent.* eadem dicitur, quae absoluit vel condemnat.

(c) Interloqui dicitur, qui, causa principali adhuc controuersa, incidentem articulum decidit, quod facit, qui v. g. probationem alterutri parti iniungit, contra contumacem in non comparendo proclama decernit, etc.

(d) V. g. qua iniungitur ei, qui semiplene probauit, iuramentum suppletorium, hoc enim ab actore praestito reus condemnatur.

(e) V. g. qua legitimatio iniungitur.

(f) Sc. referens et correferens acta. Etenim si vel metus adsit, ne partium studio ducatur, vel ob alias iustas causas Correferentem petere parti licet, qui ex praxi Iudicii Aulici cum Referente communicat; Ex praxi vero Camerali cognitus non est.

§. DCLV.

Res iudicata.

Ex tacita litigantium approbatione sententiae RES IVDICATA (*) oritur.

(*) Dicta a iudice sententia, si cuipiam litigantium iniqua videatur, eadem aut appellatione, aut alio remedio infirmari potest, cui faciendo fatale certum praefixum, quod intuitu electae viae vel decendii, vel quadrimestre, vel quadriennii, vel longius est; hoc praeterlapso, nemine contradicente, tacite a litigantibus approbata sententia est, sicque in rem iudicatam transire dicitur.

§. DCLVI.

Praeiudicia.

Res similiter in iudicio iudicatae PRAEIVDICIA (*) dicuntur.

(*) PRAEIVDICIA dicuntur a *prae* et *iudicare*, i. e. ante, olim, iudicatum esse. Supponunt autem praeiudicia

iudicia simile iudicium in casu simili proposito. V. g. Petitur in Camera Imperiali Reuisio contra sententiam, restitutionem in integrum denegantem, dubitaturque de eadem admittenda, Allegat petens exempla concessae Reuisionis in similibus casibus, v. g. 1) in causa D. Millens contra Ritterin, Mandat. de dimitt. hypothec. 2) Mezenhausen contra Mezenhausen, Mandat. de edend. inuent. 3) Stopler contra Hanstedt, Appellat. tert. Praeiudicia hic allegauit.

§. DCLVII.

Sententia condemnatoria; absolutoria; confir- et reformatoria; declaratoria.

Si iudex determinat, ius ab actore propositum eidem competere, CONDEMNATORIA (a); si non, ABSOLVTORIA (b); si iudex alterius instantiae (c), priorem, aut seipsum (d) leges facto conuenienter applicasse, pronunciat, CONFIRMATORIA (e); sin minus, REFORMATORIA (f); si iudex obscurius pronunciata interpretatur, DECLARATORIA SENTENTIA dicitur.

(a) Impossibile est idem simul esse et non esse; E. et impossibile est, vt idem, quod actori priuatiue competit ius, alteri aut reo competere possit. Ius et obligatio relata sunt; Actori itaque si competit ius in re vel ad rem rei, huic incumbat obligatio necesse est. Ponas casum, Lucio actori competere ius exigendi a Caio C. flor. mutuo huic olim datos; Caio E. incumbit obligatio eos soluendi. Ponas sententia iudicem asserere hoc ius actori, ea adstringet simul reum ad soluendum et vice versa; Alterutro namque relatorum determinato, determinatum simul erit alterum. Hinc est, quod, asserto hoc modo iure actori, reus dicatur condemnatus, idque ex antiqua formula, qua iudex a Praetore dabatur. V. g. SI PARET LVCIVM TITIVM LVCIO CAIO C. EX MVTVO DEBERE, EVM CONDEMNA. Inde formula moderna: Daß Beklagter in die vom Kläger angebrachte Summe zu verdammen sey ꝛc. Idem dicitur CAVSA CADERE, idque ex formula XII. Tabb.

 (b) Quodsi

(b) Quodsi iudex pronunciauerit, actori allegatum a se ius in re, vel in rem rei non competere, simul declarat, nullam, intuitu huius, reo incumbere obligationem. Inde dicitur idem *absolui*, quod pleniorem significatum habet, quam quidem *solui* verbum, hoc enim obligationem sublatam, hoc plane non existentem significat, licet vsus quandoque sit promiscuus.

(c) INSTANTIA dicitur ordo litis institutae ab exhibitione libelli ad sententiam; quoties igitur libellus noua capita continens iudici porrigitur, toties noua oritur instantia.

(d) V. g. in instantia Restitutionis, ipse, qui sententiam grauantem tulit, in plerisque iudiciis manet iudex. Restituens enim corrigit sententiam a se prolatam non ob culpam a se ipso, sed ob culpam Aduocati aut litigantium alterutrius, qui documenta non exhibuit ad rem spectantia.

(e) *Confirmare* supra §. CI. dixi eum, qui legi quid conuenire iudicat. Quodsi igitur iudex sententiam priorem legibus conuenire, iusque apprime facto adplicatum esse, pronunciat, eamdem confirmat.

(f) *Reformare* idem est, quod rescindere, in melius mutare, vid. §. CLVIII.

§. DCLVIII.

Sententia paritoria; plena; minus plena, s. simplex.

Si iudex determinat, reum mandato eius obedientem esse debere, SENTENTIA PARITORIA (a); quae, si paritio reo simpliciter iniungitur, PARITORIA SIMPLEX, s. MINVS PLENA (b); si vero idem fiat reiectis eiusdem exceptionibus, PARITORIA PLENA (c) dicitur.

(a) Dicitur a parendo, maximeque in Processu Mandatorum vsu frequentatur.

(b) Atque ita ei, cui iniuncta paritio est, non praecluditur via opponendarum exceptionum. Formula haec est: In Sachen N. contra N. ist Lt. N. sein des Mandati arctioris geschehen Begehren abgeschlagen, sondern Dr. N. glaubliche Anzeig zu thun, daß dem aus-

außgangen, verkündt, und reproducirten Kays. Mandato in allen Stücken gehorsamlich gelebt, hiemit Zeit drey Monat pro termino et prorogatione von Amts wegen angesetzt ꝛc.

(c) Plena paritoria exceptiones propositas reiicit, nouasque proponendi facultatem adimit, reumque ad paritionem simpliciter adstringit hac formula: Sondern N. ohnerheblichen Einwendens (si non plene paruerit reus, ohngenugsamer Parition) ohngehindert, glaubliche Anzeig zu thun, daß ꝛc.

§. DCLVIIII.

Actus, quo consectaria legum, cum factis ciuium connexa, ad exitum deducuntur, EXECVTIO (*); qui eadem ad exitum deducit, EXECVTOR dicitur. *Executio; Executor.*

(*) Vid. V. C. SCHIERSCHMIDIVS in *Elem. iur. ciuil.* *p.* 272. V. g. Condemnatus fuit Caius ad hoc, vt reddat Seio C. mutuo ab eodem accepta; Renuit id facere; Capiuntur igitur pignora militari manu, atque hoc modo ad soluendum si compellitur Caius debitor, executio facta dicitur.

§. DCXL.

Formula sententiae definitiuae addita, paritionem intra praefixum terminum praecipiens, EXECVTORIALIVM (a) nomine venit. Praeceptum (b) iudicis, ad tertium (c) directum, quo huic iniungitur, consectaria legum, cum factis ciuium connexa, ad exitum deducere, MANDATVM DE EXEQVENDO; Praeceptum vero iudicis, quo reo paritio ac praestatio eius, quod ipse, addita clausula executiua (d) et hypothecae constitutione (e), promiserat, MANDATVM EXECVTORIALE audit (f). *Executoriales; Mandatum de exequendo; executoriale.*

(a) Executoriales annectuntur sententiae, idque praefixo ad parendum termino congruo. *R. I. de* 1654. §. 159. Ipsa

Ipsa autem formula, in Supremo S. R. I. Camerali Iudicio vsitata, haec est: Dann ist Beklagtem, zu würcklicher Execution und Vollziehung dieses Urtheils, Zeit v. g. 3. Monate pro termino et prorogatione von Amts wegen angesetzet, mit dem Anhange, wo er solchem also nicht nachkommen wird, daß er jetzt als dann, und dann als jetzt, in die Straffe von zehen Marck löthigen Goldes, (vid. *R. I. de* 1654. § *cit.* 159.) halb dem Kayserlichen Fisco, und zum andern halben Theil dem Kläger, unnachläßig zu bezahlen, erkläret werden, und der Real-Execution halber, auf ferneres Anruffen, ergehen solle, was Recht ist.

(b) Quod ex praxi Camerae Imperialis Mandatum sine clausula est.

(c) Tertius is aut est ordinarius magistratus mediati imperii subditi, aut, si immediatus sententiae parere debeat, Directori circuli, sub quo bona immediata sita sunt, vid. *R. I. de* 1654. §. 160. aut denique, si immediatus imperii nobilis idem, Curiae (dem Canton), sub quo eius bona sunt, executio demandatur.

(d) Tales sunt, quae rem litigiosam liquidam faciunt, inque eum statum redigunt, vt ab executione processus possit ordiri, v. g. clausula: Mit oder ohne Recht, *C. O. C. P. II. Tit.* 25. §. 6. it. si facultas inuadendi bona, aut arrestum personae permissum.

(e) In hoc differt Mandatum executoriale a Mandato de soluendo S. C. quod ad solas executiuas clausulas decernitur, licet hypotheca constituta non sit.

(f) Conferatur ad h. §. Ill. Dn. Io. Iac. Zwirlein, S. R. M. Britan. ac diuersis S. R. I. Statibus a Consil. Aul. Supr. Iud. Cameralis Aduoc. ac Procur. Patronus summa religione colendus, in *Annot. ad C. O. C. P. III. Tit.* 57. *princ.* qui huic doctrinae, satis perplexae, lucem affundit clarissimam.

§. DCLXI.

Lib. XXXXII. T. 2. *Confessio; iudicialis; extraiudicialis.*

Adfirmatio facti proprii (a), ab alio nobis imputati, CONFESSIO (b); quae, si in iudicio fit, IVDICIALIS; sin minus, EXTRAIVDICIALIS dicitur.

(a) Qvinctilianvs *Declam. CCCXIIII.* qualemcunque contra se pronunciationem, et Pavlvs *L.* 1. *D. de confess.* pro-

pronunciantis sententiam dicit. Priori subscribit AVSONIVS POPMA *de Different. verbor. Edit. Hekel. p.* 110. Sed omnes rem acu non tetigere. Ad confessionem requiritur non quaelibet pronunciatio seu sententia, sed talis, quae respondeat alterius, nobis factum obiicientis, sententiae. V. g. Caius postulat me mutui, ego, si adfirmauerim, me accepisse ab eo mutuum, idem confiteor. Dein adfirmatio sit propria opus est.

(b) CONFITERI a verbo fari deducit VARRO *de latin. lingu. Lib. V. p.* 54. simulque ostendit, idem notare aliquid cum aliquo fari, s. fari, quod alius fatur, i. e. colloqui cum quo. E. ponit duas personas idem asserentes, adeoque nobiscum consentit.

§ DCLXII.

Traditio bonorum obaerati, creditoribus suis, liberandi se a carcere gratia, facta, CESSIO BONORVM (*) dicitur. Lib. XXXXII. T. 3. *Cessio bonorum.*

(*) Debitores obaerati nec soluendo existentes intra certum tempus vincti in custodiam deducebantur, GELLIVS *N. A. attic. Lib. XX. cap.* 1. et adhuc hodie ducuntur. Inhumanum erat rigorem hunc extendere ad eos, qui per infortunium bonis priuati essent; Hinc lege Iulia cautum, vt, qui absque dolo malo creditoribus satisfacere non possent, cedendo bonis suis liberarentur a carcere. Vid. *L. 4. D. et 4. C. de cess. bonor.*

§. DCLXIII.

Beneficium (a), obaeratis, de futura solutione satisdantibus, concessum, ne intra certum tempus excutiantur (b), MORATORIVM (c), et quidem, si a superiori in scriptis conceditur, MORATORIVM RESCRIPTVM (d) dicitur; Tempus vero, intra quod excutiendus talis debitor non est, INDVCIARVM (e) nomine venit. *Moratorium; Rescriptum moratorium; Induciae.*

(a) In quibus beneficia legis a priuilegiis differant, vid. supra §. XXXVII.

(b) *Excu-*

(b) *Exequare* hic est, bonis, per executionem sententiae vel voluntatis superioris, priuare aliquem.

(c) Moratorium ab eo dicitur, quoniam moram executioni iniicit, seu eamdem differt. *Morari* enim est differre. *L. 1. §. 1. D. ut legat. seruand. nom. cau. L. 81. D. de diu. reg. iur.*

(d) Rescripti notionem vid. §. XXXVIIII. et quum his plerumque ad V. annos induciae soleant concedi, inde eadem vocata *Quinquennelle.*

(e) INDVCIARVM nomen, belligerantibus solemne, pacem castrensem per aliquot dies interpretatur VARRO, vid. GELLIVS *Noct. Attic. Lib. I. c. 15.* Idem in hunc sensum translatum est; nec inconcinne; quum litigia ciuilia non absimilia sint bellis ciuilibus, cuius vel violenta in ius vocatio, lis vindiciarum et adhuc hodie vernacula litis contestationis appellatio der Kriegsbefestigung, indicio esse possunt. Inde PAVLVS *L. 19. §. 1. D. de captiu.:* INDVCIAE *sunt, quum breue tempus conuenit, ne inuicem se lacessant.* Applices haec ad forenses inducias, id fieri apprime posse videbis.

§. DCLXIIII.

Lib. XXXXII. T. 4. *Missio in possessionem; ex primo; ex secundo decreto.*

Actus, quo possessio rei immobilis creditori debitoris a iudice tribuitur, MISSIO IN POSSESSIONEM, s. IMMISSIO; si sola detentio, EX PRIMO; sin possessio ciuilis, EX SECVNDO DECRETO dicitur (*).

(*) V. g. Caius Seio per plures annos debuit MM. thaleros, creditore saepius interpellante olim nunc continuo voluntarie absentem, fugientem, simulque impedientem, quó minus actio contra se institui possit valide. Implorat creditor denique iudicis auxilium bonorumque debitoris custodiam concedi sibi rogat. Conceditur eadem, atque traditur horum detentio pignoris loco; Ex primo decreto missus hoc casu dicitur Seius. Sed neque ad haec reuertitur Caius, neque solutionem adornat, tum ad nouam Seii implorationem tribuitur eidem possessio cum omnibus eiusdem commodis. *L. 15. §. 21. D. de damn. infect.* Demum proceditur ad venditionem.

§. DCLXV.

§. DCLXV.

Creditorum plurium vno tempore ad iudicem delata si fuerit instans crediti petitio, CONCVRSVS CREDITORVM oriri dicitur. *Concursus creditorum.*

§. DCLXVI.

Patrimoniorum confusorum distinctio SEPARATIO (*) dicitur. *Separatio.*

(*) Separatio supponit patrimonia diuersa, eaque confusa. Si patris, et dein fratris hereditate ex secundis tabulis mihi delata, parentis bonis repudiatis fratris adeo hereditatem; Separanda E. hoc casu erunt patrimonia. *L. 12. D. de vulgar et pupillar. substit.* Vel ponas, Gellium soluere debita non posse, existere concursum creditorum, fierique bonorum massam; iam Titium depositum cum massa confusum repetere; separandum hoc ab illo erit, ad aliud quippe patrimonium spectans. *L. 7. §. 2. D. L. 8. C. depos.*

§. DCLXVII.

Procurator, administrandis obaeratorum bonis datus, CVRATOR BONORVM; Procurator debitoris, eum contra creditorum petitiones defendens, CONTRADICTOR dicitur. Lib. XXXXII. T. 7. *Curator bonorum; Contradictor.*

§. DCLXVIII.

ACTIO PAVLIANA (a) est praetoria (b), qua creditores res, in fraudem eorum (c), imminente concursu (d) a debitore alienatas, reuocant. Lib. XXXXII. T. 8. *Actio Pauliana.*

(a) Nomen suum accepit a Praetore PAVLO, quippe qui eius auctor fuit. Vid. *L. 1. §. 1. D. quae in fraud. cred. L. 38. §. 4. D. de vsur.*

(b) *§. 6. Instit. de action.* IMPERATOR huic actioni locum inter reales praetorias concedit; fingit namque Praetor alienata non esse, quae re vera alienata sunt; igitur species vindicationis est. Sed et personalis, si alienanti debitori ius saltim ad rem competit.

(c) Ad

(c) Ad effectum intentandae actionis requiritur et intentio fraudandi creditores et euentus ipse.

(d) Imminente concursu alienata hac actione reuocantur moto eodem, quum prius de laesione constare nequeat.

§. DCLXVIIII.

Lib. XXXXIII. T. I. *Interdicta.*

INTERDICTA hodie (a) nil aliud sunt, quam actiones de possessione, vel quasi (b).

(a) Dixi hodie. Olim enim, temporibus sc. quibus Praetores iuri dicendo praeerant, interdictorum nomine veniebant formulae, quibus Praetor vel fieri aliquid iubebat, vel non fieri prohibebat, atque hoc modo idem interdicere aut interdictum dare dicitur. Erant Romanis cognitiones, vocatae extraordinariae, maxime in causis possessionum, aliisque moram non ferentibus, in quibus ab ordine iudiciorum in tantum recedebat Praetor, vt iudicem non daret, sed ipse leuato, vt vocatur, velo cognoscebat. Iubebat vero in talibus casibus ad implorationem actoris, qui interdicere dicebatur, (non Praetor,) vid. QVINCTILIANVS *Instit. Orat. III. 6.* quem, ducentem aquam in fundum vicini, hic prohibuerat, quo minus id fieret, et prohibebat hoc modo: VTI HOC ANNO AQVAM, QVA DE AGITVR, NON VI, NON CLAM, NON PRECARIO AB ILLO DVXISTI, QVO MINVS VIS FIAT, VETO; vid. *L. 1. D. de acqu. possid.* aut si v. g. precarii titulo alter ab altero quid teneret, reddereque idipsum repetenti denegaret, Praetor iubebat: QVOD PRECARIO AB ILLO HABES, AVT DOLO MALO FECISTI, VT POSSIDERE DESINERES, HABERE, QVA DE RE AGITVR, ID ILLI RESTITVAS etc.

(b) Sublatis Praetorum formulis licet, hoc tamen remansit, vt in possessoriis causis ad interdictorum modum procederetur, indeque et interdictorum nomen possessoriis actionibus fuit applicatum.

§. DCLXX.

Interdicta acquirendae

INTERDICTA vel ad constituendum ius possessionis, aut ad possessionem seruandam, aut

aut ad amissam recipiendam tendunt; isto casu ACQVIRENDAE (a), illo RETINENDAE (b), hoc RECVPERANDAE (c), sc. possessionis, dicta sunt. *dae; retinendae; recuperandae possessionis.*

(a) Anicius v. g. res hereditarias Aufidii possidet, Aufidius vero vitio laborat, quo minus heres esse possit, impetrauit tamen bonorum possessionem, agit proinde aduersus Anicium, vt possessione rerum hereditariarum cedat. Vid. *Tit. D. quor. bonor.*

(b) Possedi fundum a parentibus meis olim possessum bona fide, idque per plures annos, turbat possessionem meam Titius, eaque me deiicere vult; implorandus hoc casu iudex, vt prohibeat Titium, ne me amplius turbet.

(c) Si Caius deiecit me possessione aedium mearum, illasque nunc inhabitat, implorandus iudex, vt iubeat Caium restituere aedes, possessioneque cedere.

§. DCLXXI.

INTERDICTA, quibus vterque possessionem retinere laborat, DVPLICIA (*) dicuntur. *Interdicta duplicia.*

(*) Huc E. sola interdicta retinendae possessionis pertinent, *§. pen. Inst. de interdict. L. 2. D. de interd. L. 37. §. 1. D. de oblig. et act.*

§. DCLXXII.

Si iudex quid fieri iubet, vel non fieri vetat, hodierno stilo MANDATVM; formula Mandato addita, qua reo permittitur facultas, allegandi caussas legitimas, cur Mandato parere non possit, CLAVSVLA IVSTIFICATORIA (a); Mandatum, cui haec additur, CVM CLAVSVLA (b), cui non, SINE CLAVSVLA (c) dicitur. *Mandatum; Clausula iustificatoria; Mandatum c. et s. C.*

(a) Vid. *C. O. C. P. II. Tit. 23. pr.* quo verba ita se habent: Setzen, ordnen, und wollen, daß an dem Kayserl. Cammer-Gerichte die Mandata und Gebote nicht anders,

 wann

dann mit Einverleibung CLAVSVLAE IVSTIFICATORIAE, dadurch den Widertheilen, wider die solche Mandata ausgehen, vorgesetzet wird, Ursachen, warum dieselben nicht statt haben sollen, vorzubringen &c. Inde formula illis inseritur: Oder erhebliche und beständige Ursachen in Rechten vorzubringen, warum dem Kayserlichen Gebot, durch welches (ihr) beschwert zu seyn vermeynet, nicht zu geleben. Proinde errat BLVMIVS *in Processu camerali Tit. XXXIII. n. 17.* defendens, clausulam hanc dici iustificatoriam, quod Mandata reddat aequiora ac iusta, quasi iniqua atque iniusta essent Mandata S. C. Rectius ab eo dici putauerim, quod reo permittat iustam declarare non paritionem, factumque suum, quod videbatur iniustum.

(b) Sc. iustificatoria, Vid. *not. a.*

(c) Subintellige iterum iustificatoriam, hoc ni feceris, definitio vitio laborabit; Mandata namque absque omni clausula non dantur, neque a Supremis Imperii Tribunalibus reo simpliciter paritio iniungitur, sed additur semper citatio ad docendam paritionem, (quae clausula paritoria dicitur,) aut ad opponendas exceptiones sub-et obreptionis. Formula haec est: Oder erhebliche Ursachen, warum solche Erklärung nicht geschehen sölle, der rechtlichen Gebühr vorzubringen.

§. DCLXXIII.

Lib. XLIII. T. 5. *Tabulae.*

TABVLAE h. l. testamentum notant (*).

(*) Antiqui namque in tabulis, cera plerumque obductis, scribere solebant, inde testamentum scriptum in tabulis metonymice pro tabulis acceptum. Extensus vero post significatus ad quamcunque materiam, notante VLPIANO *in L. 1. D. de bonor. possess. secund. tabul.: Tabulas testamenti accipere debemus omnem materiae figuram: siue igitur tabulae sint ligneae, siue cuiuscunque alterius materiae, siue chartae, siue membranae sint, vel si e corio alicuius animalis, tabulae recte dicentur.*

§. DCLXXIIII.

Lib. XLIII. T. 16. *Vis armata.*

VIS (a), quae instrumentis, quibus vitae aut sanitati hominum noceri potest, perpetratur, ARMATA (b) dicitur.

(a) Vim

(a) Vim definiui supra §. CXC.

(b) ARMA sunt instrumenta, quibus vita homo priuari, aut sanitati eius damnum inferri potest, aut idem auertitur. Ad haec relata leges fustes, lapides, gladios, hastas, frameas, s. romphaeas, *L. 3. D. de vi et vi armat.* Posteriorem definitionis armorum partem si respexeris, videbis, non absone GAIVM *L. 41. D. de verb. signif.* ad arma referre scuta et galeas. *Arma.*

§. DCLXXV.

Ius, omnem vtilitatem ex area fundi alterius percipiendi, SVPERFICIES (*); qui iure tali gaudet, SVPERFICIARIVS; quicquid vero pro iure tali domino fundi praestatur, SOLARIVM vocatur. Lib. XLIII. T. 18. *Superficies; Superficiarius.*

(*) SVPERFICIES, s. superficium, (vid. *L. 19. D. de legat. 2. L. 32. D. de iur. dot.*) natiuo suo significatu superiorem rei partem, seu faciem denotat; vsus tamen seruauit, vt superficies accipiatur pro eo, quod superficiei impositum vel insitum est, vt aedificium, *L. 44. D. de obligat. et act.* planta, vinea, arbor. *L. 13. D. de seruitut. praed. rustic.* Ipse CICERO *Lib. I. ep. 4. ad Atticum,* superficiem ab area distinguit. Itaque, qui superficie gaudet, is in alterius area aedificium exstruere, inque eiusdem solo frumenti semina terrae mandare ac frumentum suo tempore sibi asserere poterit, item ligna, arboribus caesis, colligere valebit, cuius exemplum habemus in silua territorii Nassoici, der Rühmarck dicta, cuius superficies ad ciuitatem imperialem Wetzlariensem, solum vero ad Sereniss. Principem Nassoicum Weilburgensis lineae spectat. Differt autem superficies a seruitute, tum reali, tum personali. Superficiarius nimirum dominus vtilis est. Item ab emphyteusi, quae culturam agri pro obiecto habet, atque quodcunque emolumentum respicit, differt. Vid. LVDOVICI *vsu pract. distinct. iur. Tit. de Superfic. Diss. I.*

§. DCLXXVI.

AQVA, quae sola aestate ducitur, AESTIVA; quae per omnem annum, QVOTIDIANA (a); Lib. XLIII. T. 20.

Aqua aestiua; quotidiana; castellaria. quae in commune receptaculum colligitur, vt inde per canales ad vsum priuatum ducatur, CASTELLARIA (b) dicta.

(a) VLPIANVS *L. 1. §. 3. D. de aqu. quot. et aestiu.* scribit: *Aqua quotidiana ab aestiua vsu differt, non iure:* QVOTIDIANA *enim ea est, quae duci assidue solet, vel aestiuo tempore, vel hiberno;* AESTIVA *vero ea est, qua aestate sola vti expedit.* Atque ideo, quae irrigandis hortis adhibetur eaque propter ducitur, aestiua, quae in vsum culinarium, quotidiana erit.

Castella. (b) CASTELLA erant aedificia magnifice exstructa, hunc in finem, vt aqua e fonte per aquaeductus deriuata, inque receptacula plumbea (Vid. *L. 38. D. de act. emt. vendit.*) collecta, inde rursus per canales ad vsum priuatum cuiuslibet duceretur. Vid. VICTRVVIVS *Architect. Rom. Lib. VIII. c. 7.* Dicuntur etiam *conceptacula L. 1. C. Theodos. de aquaeduct.* et *diuidicula.* FESTVS *de verb. signif. Lib. IIII.*

§. DCLXXVII.

Lib. XLIII. T. 21. *Riuus.* Locus in longitudinem depressus, quo aqua decurrit, RIVVS (*) dicitur.

(*) Ita VLPIANVS *L. 1. §. 1. D. de riuis.* Dicitur a Graeca voce *ῥεῖν* fluere. Differt 1) ab INCILI, quod ad deducendam aquam e fossa, aut flumine, aptatur. Inciditur enim vel terra, vel lapis, vt liberior aquae sit cursus, *L. 1. D. de riuis.* item 2) a SEPTIS, quae ad incile adhibentur, siue sint trabes siue saxa ad latera posita. *c. L. 1. D. de riuis.*

§. DCLXXVIII.

Lib. XLIII. T. 22. *Fons.* Locus, ex quo aqua sponte profluit, FONS (*) dicitur.

(*) Hinc VLPIANVS *L. 1. D. de fonte,* aquam, e fonte profluentem, viuam dicit, quoniam scilicet perpetuo, atque e featurigine fluit.

§. DCLXXVIIII.

§. DCLXXVIIII.

Locus, per quem colluuies ducitur, CLOACA (*) vocatur. Lib. XLIII. T. 22. *Cloaca.*

(*) Vid. Vlpianvs *L. 1. §. 1. D. de cloac.* Erant autem cloacae vel publicae, vel priuatae. Illas magnifico opere exstructas memorant rei Romanae scriptores; hae huc pertinent.

§. DCLXXX.

REMISSIO hic notat decretum Praetoris, ius, nuncianti nouum opus, nunciandi nullum fuisse (*). Lib. XLIII. T. 25. *Remissio.*

(*) *L. 1. D. de remiss.* Alia erat priuata, pacto nimirum inter nunciantem et eum, cui nunciatum erat nouum opus, interueniente. *L. 1. §. 10. D. de nou. oper. nunciat.*

§. DCLXXXI.

Concessio rei non fungibilis (a), ad vsum indefinitum, PRECARIVM (b); idque, si cum re simul possessio transfertur, NON SIMPLEX, sin minus, SIMPLEX dicitur. Lib. XLIII. T. 26. *Precarium; simplex; non simplex.*

(a) Fungibilis enim res si hoc modo conceditur, mutuum est.

(b) Atque ita precarium differt a commodato, quod ad vsum definitum conceditur, v. g. equus, vt Moguntiam proficiscat, vid. §. CCCXLIII. Precarium vero ad vsum indefinitum conceditur, indeque nec vllum ius, nec obligationem producit. Etymologia precarii liquet ex eo, quod idem ad preces alterius concedatur, inque arbitrio concedentis positum sit, quamdiu pati velit, vt alter re sua vtatur. Precarii vsus inter eruditos maxime frequens est, videmus enim eos praecipue, qui librorum supellectili instructi sunt numerosa, ab aliis, quorum curta supellex est, quotidie adiri schedulis hunc v. g. in modum conceptis:

Mindanum de processibus
offic. petit
Iauolenus.

Quodsi Iauolenus eumdem accipiat, precarium accipit, nescius enim libri dominus est, vtrum Mindanum exscribere, anne saltim conferre cum scripto aliquo velit Iauolenus. Neque minus solemne est precarium inter vicinas, mox enim Pamphili vxor ahenum, mox cribrum, mox cupam rogat vtendam. Ita EVCLIO apud PLAVTVM *Aulular. Act I. Sc. 2. v. 17. sqq.* Staphylae suasor est, vt a precario caueat:

Cultrum, securim, pistillum, mortarium,
Quae vtenda vasa semper vicini rogant,
Fures venisse atque abstulisse dicito.

Quum vero precarium ad preces saltim petentis concedatur, actus liberalitatis dicitur *L. 1. §. 1. L. 8. §. 3. in f. D. de prec.* nec eo nomine iure ciuili prodita erat actio. *L. 14. D. eod.* Inde praetorio interdicto opus erat; et quum ad vsum indefinitum idem concedatur, concedenti competit facultas reuocandi idipsum, quandocunque libuerit, siue petens illud eo opus adhuc habeat, siue minus. Inde est, quod VLPIANVS in *L. 1. D. de prec.* scribat: PRECARIVM *esse, quod precibus petenti vtendum conceditur tamdiu, quamdiu is, qui concessit, patitur.*

§. DCLXXXII.

Lib. XLIII. T. 32. *Migrare.*

MIGRARE dicitur, qui domum conductam, finita conductione, relinquit (*).

(*) Diffident interpretes, vtrum migrare sit solum exire domo, an cum supellectile simul abire. HOTOMANNVS ad CICERONIS *Verrin. IIII.* eiusdem ac PLAVTI loca allegat, quibus posterius probatur, id quod *Tit. D. de migrando* magis conuenit, disponit enim de illatis in domum conductam. Atque migrare dicitur de praedio vrbano, maxime habitationi destinato, vnde TERENTIVS *Hecyr. Act. IIII. Sc. 4. v. 13. sq.*

- - - Quaeso, quid istuc consilii est;
Illius stultitia victa, ex vrbe, tu rus habitatum migras?

Solebant autem inquilini maxime Calendis Iulii migrare; Hic enim terminus soluendi contractus locationis conductionis aedium apud Romanos erat. Vid. *L. 9. D. qui potior. in pign.* Idem patet ex MARTIALI *Epigr. Lib. XII.* sarcastico stilo notante migrantem:

O?

O! Iuliarum dedecus Calendarum,
Vidi, Vacerra, sarcinas tuas vidi.
Quas non retentas pensione pro bina
Portabat uxor.

§. DCLXXXIII.

Propositio rei, excludens ius actoris (a), EXCEPTIO (b) s. PRAESCRIPTIO (c) dicitur. Lib. XLIIII. T. I. *Exceptio s. Praescriptio.*

(a) Olim quidem exceptionis notio adeo late patuit, vt propositionem tam rei, quam actoris post libellum notarit, vnde etiam quandoque replicatio dicta fuit. *L. 2. §. 1. L. 22. §. 1. D. L. 11. C de except.* Demum vero ad defensionem rei contra petitionem actoris restricta fuit. Huc VLPIANVS digitum in *L. 2. D. de except.* intendit, scribens: EXCEPTIO *dicta est, quasi quaedam exclusio, quae interponi actioni cuiuscunque rei solet, ad excludendum id, quod in intentionem condemnationemue deductum est*, i. e. cuius condemnatio ab actore petita.

(b) Tota iudicii facies certamini respondebat; reus dicebatur *fugere, L. f. C. de bon. mat. L. 2. C. de iur. calumn. L. 13. §. 2. et 3. C. de iudic.* actor reum *persequi, pr. Inst. de act.* reus vero iterum tela in eum vibrata *excipere.* Habes hic nouum documentum metaphorae a re militari desumtae, quod ad *§. CCCLVI.* referas, illumque hic conferas.

(c) Praescriptionem idem notasse olim, quod exceptio, probat *L. 9. pr. D. de transact. L. 12. sq. C. de except. s. praescript.* Indeque dicta praescriptio longi temporis, quod reus exciperet, se vltra X. vel XX. annos rem possedisse. Vid. *§. DCXLVIIII. not b.* et *§. DCL.* Item dicitur DEPVLSIO *pr. Inst. de except.* INFICIATIO, CONDITIO *L. 22. pr. D. de except.* inter quas tamen haec differentia deprehenditur, vt Inficiatio exceptionem facti, Depulsio exceptionem tertii, qui non obligatus erat, notet. Vid. VINNIVS *ad cit. princ. Inst. de except.*

§. DCLXXXIIII.

Exceptio conditionis personae, qua futura actio diditur, PRAEIVDICIVM (*), vel EXCEPTIO PRAEIVDICIALIS dicitur. *Praeiudicium; Exceptio praeiudicii.*

 (*) Dictum

(*) Dictum ex eo, quod, antequam ad principem quaestionem deueniatur, diiudicanda sit haec exceptio. V. g. Meuius conuenit Sempronium, vt sibi qua filio alimenta subministret; Sempronius excipiendo negat Meuium esse filium suum; expediendum igitur hoc ipsum prius erit, quam de alimentis praestandis ipsis iudicium ferri possit. Exceptio haec erat praeiudicialis, concernebat namque conditionem, seu statum Meui. Item seruus vindicatus, negans se esse seruum, praeiudicialem exceptionem opponit, ac *de conditione sua litigare* dicitur, in *L. 1. D. de liberal. caus.*

§. DCLXXXV.

Exceptio ciuilis; praetoria.

EXCEPTIO, quae rationem inuenit in legibus, CIVILIS (a); quae in edicto Praetoris, PRAETORIA (b) dicitur.

(a) Talis v. g. est exceptio SCti Macedoniani, conditi auctore VESPASIANO, vid. SVETONIVS *in vita eiusdem c.* 11. it. exceptio ordinis, diuisionis etc. illa enim fundata est in *Nouell. IIII. c. 1.* haec in *Edicto* D. HADRIANI. Vid. *§. 4. Inst. L. 3. C. de except.*

(b) V. g. doli ac metus, has enim edicto Praetoris debemus, vid. *L. 9. §. 3. D. quod met. caus.* et *L. 1. in f. D. de dol. mal.* Formulae vero exceptionum tam ciuilium, quam praetoriarum sunt: NISI; SI; SI NON, et EXTRA QVAM, vtpote: NISI DOLO MALO INDVCTVM EVM STIPVLANTI PROMISISSE APPAREAT. *L. 1. D. de dol. mal. et met. except.* Item: SI NON METV INDVCTVM STIPVLANTI PROMISISSE APPAREAT. *L. cit. 1. D. de dol. mal. et met. except.* Item: EXTRA QVAM EVM IVSTO ERRORE INDVCTVM STIPVLANTI SPOSPONDISSE APPAREAT. *L. 7. D. de dol. except.*

§. DCLXXXVI.

Exceptio personalis; realis.

EXCEPTIO, quae non nisi personae determinatae, aut a persona determinata opponi potest, PERSONALIS (a); quae vero omnibus cum re aliqua connexis obiici potest, REALIS (b) dicitur.

(a) Sic

(a) Sic v. g. Caius mercator non potest opponere exceptionem competentiae, bene vero Titius, Iuris Doctor. Sempronius maritus itidem hanc exceptionem opponit Semproniae vxori, post diuortium dotem repetenti, non vero Iauoleno ex mutuo cum ad iudicem vocanteni.

(b) Exceptio realis supponit nexum personarum cum, vel mediante re. V. g. Aulus a Mucio mutuo sumsit C. Aufidio securitatem crediti subsidiariamque solutionem debiti promittente. C. numerata res est, quacum Aulus et Mucius, mediante vero hac, Mucius et Aufidius, connexi sunt. Etenim Aulus centum illa mutuo accepit, Mucius numerauit eadem, Aufidiusque reddere haec, si cessauerit prior, promisit. Post aliquod tempus Caius Aulo C. cedit a Mucio, hoc casu compensatio ipso iure facta est, *L. 4. D. de compens.* iamque Aulus moritur, aut labitur bonis, Aufidiusque fideiussor a creditore Mucio conuenitur ex stipulatu, conuentus opponit exceptionem compensationis ab Aulo factae, est enim realis. Conf. *L. 7. §. 1. D. de except.*

§. DCLXXXVII.

EXCEPTIO dicitur **PERPETVA** (a), quae competit ad excludendam actionem post triginta aut plures annos intentatam; **TEMPORALIS** vero, si breuiori spatio temporis extinguitur actio (b). Lib. XLIIII. T. 3. *Exceptio perpetua; temporalis.*

(a) *Perpetuum* Romani dicebant, quod triginta annos vel vltra durabat, *L. 3. C. de praescript. 30. ann. L. 6. §. f. D. de R. I.* Antiquissimo namque tempore omnium actionum in iudicio proponendarum ius perpetuo durabat, neque idipsum aliquo tempore excludebatur, vt animaduertit Glossator ad *L. 1. C. de praescript. 30. ann.* perpetui itaque significatus tum erat vulgaris, ita vt in *L. 8. D. de transact.* perpetuum vitae humanae terminum, in *L. f. D. de vsufr. leg.* vero C. annos, (vid. BARTOLVS *ad h. l.*) in *L. 8. C. de pignorat. act.* iterum infinitum tempus notat. Postquam vero terminus aliquis actionibus positus, idemque ad XXX. et plures annos ad summum reuocatus, denominatio perpetui huic largissimo termino adplicata est.

(b) Sic post biennium si pecunia ex tenore chirographi soluenda flagitetur, exceptio non numeratae eiusdem amplius opponi nequit priuilegiato modo. *L. vn. I. de liter. obligat.*

§. DCLXXXVIII.

Exceptio peremtoria; dilatoria.

EXCEPTIO, qua ius actoris plane excluditur, PEREMTORIA (a); qua idem in aliud tempus differtur, DILATORIA (b) vocatur.

(a) Quid sit perimere et peremtorium, vid. *§. CXVI. not. a.* Exceptiones peremtoriae ius actoris perimunt in totum, atque excludunt omnino. *L. 3. D. de except.* Dicuntur vernacula endliche Exceptionen, *C. O. C. P. III. Tit. 32. rubr.* quoniam omnem litem dirimunt ac finiunt. Talis est v. g. solutionis. Ponas Seium a Lucio accepisse mutuo CCC. thal. Lucio igitur competit ius exigendi CCC. thal. a Seio; quodsi soluat hic, sublatum istius ius erit; Quoties igitur reus excipit se soluisse, sublatum creditoris ius esse adfirmat idem. Exceptio igitur solutionis est peremtoria.

(b) Dilatoriae exceptiones ius actoris non tollunt plane, sed persequutionem eius tantum differunt. Si quis v. g. S. R. I. Princeps a Supremo Imperii Tribunali citatus excipiat: Se gaudere beneficio Austraegarum, eaque exceptione declinare supremum hoc iudicium velit, peremtoria eadem non esset, sed dilatoria, non enim ius actoris excludere, sed persequutionem eius tantum differre intenderet, donec Austraegas elegerit actor. In *C. O. C. P. III. Tit. 17. rubr.* vocantur: Außzüge, so die Hauptsache aufhalten, und nicht gar abschneiden.

§. DCLXXXVIIII.

Exceptiones litis ingressum finientes, s. intentionis.

EXCEPTIONES peremtoriae, in continenti liquidae, LITIS INGRESSVM FINIENTES, s. INTENTIONIS (*), dicuntur.

(*) Harum olim tres numerabantur, iurisiurandi nimirum, rei iudicatae atque transactionis. Hodie huc referas omnes, quae statim probari possunt. W. Conf. elegans progr. G. B. et O. D. H. BECMANNORVM *de exceptionibus litis ingressum impedientibus.* Goett. 1753. S.

§. DCXC.

§. DCXC.

Propositio, qua actor ius suum aduersus rei exceptiones defendit, REPLICATIO (a); qua vero reus exceptionem suam aduersus replicationem actoris defendit, DVPLICATIO (b) audit. *Replicatio; Duplicatio.*

(a) REPLICARE idem esse, ac reflectere, retorquere, SENECA auctor est, hinc replicare dicitur actor, qui tela a reo in eum vibrata retorquet, qui exceptionem remittit, suumque ius stabilire nititur. IMP. *pr. I. de replic.* scribit: Replicatio vocatur ex eo, quod per eam replicatur atque resoluitur ius exceptionis. Si exceptionem generali significatu sumseris, quem indicaui §. *DCLXXXIII not. a.* replicatio erit exceptio actoris, vt loquitur VLPIANVS *L. 2. §. 1. D. de except.* Titius filiusfamilias mutuum CCC. thal. in academia N. contraxit, deinde remotis arbitris sarcinulas collegit atque abiit. Post mortem patris Titii creditores eum conueniunt de soluendo, quod debet, excipit ille de SCto Macedoniano, se fuisse filiumfamilias, replicant creditores, eum maiorem ratihabuisse, constituendo debitum per litteras. Replicationis signum in LL. est particula AVT SI. V. g. Si exceptio: SI NON CVRATOR VENDIDERIT; Replicatio erit: AVT SI SATISDATIONE INTERPOSITA SECVNDVM DECRETVM VENDIDERIT. *L. 14. D. de exc. rei iudic.*

(b) DVPLICATIO itaque est duplex replicatio, altera ab actore, a reo altera; est enim allegatio, quae datur reo, ad infirmandam replicationem actoris. *§. 1. I. de replic.* Titius Caium, testamento Sempronii heredem scriptum, in ius vocat, legatumque sibi praestari cupit; Caius negat se esse heredem, Titius replicat, Caium adiisse hereditatem proindeque esse heredem, Caius duplicat se quidem adiisse hereditatem, sed in minorennitate absque curatore, et fuisse restitutum contra aditionem sibi damnosam.

§. DCXCI.

Conuentio litigantium, de lite, iam satis instructa, iudicis arbitrio committenda CONCLVSIO IN CAVSA f. SVBMISSIO (*) dicitur. *Conclusio in causa.*

(*) Causa

(*) Causa satis instructa, litigantes sententiam iudicis desiderantes, arbitrio eius eam committere solent, quod licet de processu communi non sit necessitatis, de iure camerali vero aliter dicendum erit, quo, si partes non concluserint, causa ex officio iudicis pro conclusa acceptatur. *C. O. C. P. III. Tit. 16. §. 4.* Formula antiqua conclusionis erat: Setzt vel Steht, DE LVDOLF *Comm. Syst. S. 1. §. 8. n. 19* hodie vero: Will hiermit in GOttes Namen submittiren; Submittire, und bitte gnädigst förderlichst Urtheil. In *c. 5. X. de caus. poss.* dicitur, quando lis iudicis cognitioni submittitur, conclusionem in causa esse, sed submissio idem est, quod conclusio.

§. DCXCII.

Lib. XLIIII. T. 2. *Exceptio rei iudicatae.*

Quicunque ius actoris sententia iudicis, illius tacito consensu confirmata, elidere vult, EXCEPTIONEM REI IVDICATAE (*) opponit.

(*) Ex tacita vtriusque partis approbatione sententiae oritur res iudicata (*§. DCLV.*), E. qui de re iudicata excipit, allegat sententiam aliquam iudicis inter eosdem litigantes de eadem re, eorumdem tacito consensu approbatam. V. g. Vniuersitas I. Titium ac Caium, eiusdem socios, conuenit, de praestandis oneribus publicis et de conferendo symbolam condignam ad eam, quae praestanda erat, summam; exemtionem ab oneribus allegant, eamque sententia iudicis, nullo, neque suspensiuo, neque deuolutiuo remedio suspensam, ideoque confirmatam consensu partium, allegant; Titius ac Caius exceptionem rei iudicatae opposuere.

§. DCXCIII.

Lib. XLIIII. T. 4. *Exceptio doli; metus.*

Qui ius actoris ex fictitia eiusdem repraesentatione, qua alter inductus ad agendum fuit, ortum dicit, EXCEPTIONEM DOLI (a) allegat; qui se ob taedium futuri mali obligasse dicit, EXCEPTIONEM METVS (b) proponit.

(a) Dolus s. fraus est repraesentatio ficta, qua alter ad agendum inducitur (*§. CXCII.*), E. qui inductum se ad agendum a terius ficta repraesentatione dicit, doli exceptionem proponit. V. g. Sempronius a Caio implemen-

plementum transactionis super hereditate desiderat, hoc excipiente: Subductis ab actore instrumentis hereditariis se fuisse inductum ad transactionem; de dolo commisso excipit. Et haec ea doli exceptio est, quae dicitur SPECIALIS, cui aliam eamque doli GENERALEM opponunt, quoties scilicet ius actoris, subtili legum ratione validum, per aequitatem naturalem infirmatur. V. g. Stipulatus fuit Caius Mucio, se velle illi dare C. Postea conuenit inter eos pacto, ne petatur. Petens nihilominus, repellebatur exceptione doli generalis. Pacta de stricto iure obligationem non producebant, atque ita debitor, licet interuenerit pactum, manebat obligatus. Praetor tamen, aequitate iuris naturalis motus, exceptionem pacticentibus concedebat, inquiens: NISI CREDITOREM DE NON PETENDO PACTVM FVISSE APPAREAT. *L. 7. D. de pact.* Turpe enim est pacta non seruare, quae seruanda ipsa ratio praecipit. Plura exceptionis doli generalis exempla vid. in *L. 2. §. 3. L. 4. §. 33. L. 12. D. de dol. et met. exc.*

(b) METVS est taedium ob futurum malum. Qui *Metus.* E. metum allegat, asserit se egisse ob taedium futuri mali; Exceptio metus proinde est allegatio metus, vt motiui obligationis, proindeque iuris actoris. V. g. Sempronius chirographum Caii producit, quo confessus fuit idem, se ei debere centum. Excipit reus, actorem secum contracturum talia motiua insuauia ipsi repraesentasse, vt taedio coactus chirographo subscripserit, licet nullam pecuniam acceperit; Titius exceptionem metus allegat.

§. DCXCIIII.

Qui ius actoris propterea cessare dicit, quod, eodem deferente iusiurandum, iurauerit, illi nullum ius competere, EXCEPTIONEM IVRISIVRANDI opponit (*). *Exceptio iurisiurandi.*

(*) Est haec exceptio vna ex illis, quam intentionis dixere, fundata in *L. 3. et 14. D. de iureiur.* verb. nisi appareat eum actore deferente iurasse: Se nil debere.

§. DCXCV.

§. DCXCV.

Lib. XLIIII. T. 6. *Litigiosum.*

LITIGIOSVM dicitur, quicquid in iudicium deductum est (*).

(*) Iudicium est legitima causae controuersae, coram competente persona, inter actorem et reum disceptatio, vid. §. CCX. E. litigiosa fit res, quum incipit esse controuersia inter plures, et quoties controuersiae huius decidendae adest iudex. Controuersia autem existit, quando adest contradictio, haec vero non nisi post litem contestatam oritur. E. litigiosa fit res post litis contestationem. *L. 1. D. de litig.* Actor, iudicem adiens, quidem declarat, se cum reo contendere velle, seque sibi ius in eum aut rem eius asserere; citatus vero reus nondum declarauit, vtrum cedere an contendere malit, comparens vero atque excipiens, actori contradicit. E. adest controuersia, E. iudicium, hincque res litigiosa. Quodsi vero contumax fuerit idem, tum, quia non cessit, praesumitur contendere sicque contradicere velle; E. ex praesumto eius consensu colligitur contradictio, lisque pro contestata, sicque iudicium accipitur, et res in controuersiam deducta litigiosa fit. Iudicium enim accipi post litis contestationem, demonstrant *L. 1. pr. D. si ex noxal. caus. L. 9. D. de V. O. L. 34. D. de iud. L. vn. C. de lit. contest. L. 10. D. rem. rat. hab.*

§. DCXCVI.

Obligatio actiua; passiua.

Connexio motiuorum cum actione libera dicitur OBLIGATIO (a) et quidem ACTIVA; Determinatio actionis liberae per motiua OBLIGATIO PASSIVA dicitur (b).

(a) Obligationis vocabulum metaphoricum est; obligare enim idem est, quod colligare, arctiusque constringere. Hoc ipso vocabuli significatu inductus TRIBONIANVS *pr. I. de oblig.* scripsit: OBLIGATIONEM esse *vinculum iuris, quo necessitate adstringimur alicuius rei soluendae, secundum nostrae ciuitatis iura.* Notauit hanc definitionem Perill. L. B. DE WOLF in denen vernünfftigen Gedancken von den Kräfften des menschlichen Verstandes, *C. 1. §. 40.* et *C. 9. §. 2.* atque digna eadem est, vt limam patiatur. Definitio est notio distincta

distincta ac determinata. Distincta vero non potest esse notio, quae aliud pro alio repraesentat. E. metaphoricus significatus distinctus non est. Quid est ligare? In nodum constringere filum, restim. Sed an in nodum constringitur animal rationale? Dein, non essentiam atque naturam obligationis, sed effectum exponit citata legalis definitio. Quid faciendum ei, qui alterum obligare vult? Respondebit TRIBONIANVS, vincire, adstringere alterum debet. Ad quid? Vt soluat. Elegans responsio, contradictio elegantissima: Ligare aliquem, vt soluat. Colliga Titii manus, vt nodum, quo Caii manus sunt constrictae, soluat. Infelicius adhuc philosophatus est HORATIVS *Lib. II. Satyr. 3. v. 70.* obligationem nexus iuris catenam vocans. W. Liberius, more suo, hac de re exposuit CHR THOMASIVS in Diss. de *philosophia iuris in doctrina de obligationibus et actionibus*. rec. Hal. 1734. S.

(b) Duplex obligatio est, altera ACTIVA, PASSIVA altera; obligat enim quis, et obligatur alter. Haec dici etiam potest necessitas moralis ad aliquid faciendum vel non faciendum. Actio, cuius contraria contradictionem inuoluit, necessaria dicitur; Iam vero natura humana ita comparata est, vt non nisi id, quod bonum videtur, appetat, nec nisi id, quod malum apparet, fugiat; hinc si actionem alicui vt bonam repraesentaueris, feceris que vt eamdem vt proficuam sibi cognouerit, impossibile erit, vt eam omittat, E. necesse erit, vt perpetret eam, hacque ratione obligabitur ad eam faciendam. Ex opposito si actionem alicui vt malam repraesentaueris, idemque eamdem vt talem cognouerit, impossibile erit, vt edat hanc, hinc necesse erit, vt omittat eamdem; hac ratione obligasti eum ad praetermittendam actionem malam.

§. DCXCVII.

Motiua, quae cum actione libera connectuntur, si desumta sint ex nexu exiltentium in orbe rerum, NATVRALIS (a); si ex lege aliqua ciuitatis, CIVILIS (b); si vtraque connectuntur, MIXTA (c) dicitur OBLIGATIO. *Obligatio naturalis; ciuilis; mixta.*

(a) Nexus

(a) Nexus existentium in orbe rerum NATVRA dicitur. (Vid. §. VII. not. a.) E. natura motiua si suppeditat ad aliquid faciendum vel non faciendum, naturalis obligatio est. Suppeditat autem natura motiua, quoties perfectionem nostram et aliorum monstrat. Pacta seruanda ius naturae docet, repraesentat enim nobis motiua ad hoc, vt pacta seruemus, ipsa natura. Pactum enim non seruatum alterum reddit imperfectiorem, imperfectio vero auertenda a quolibet, ex innato principio: Fac ea, quae statum tuum et aliorum perfectiorem reddunt, omitte contraria.

(b) Ius Romanum, quando disponit, promissa, metu extorta, seruanda esse, motiua ad implenda pacta metu extorta suppeditat, E. obligat nos ad idem; *§. 1. I. de except.* Ius naturae vero talia pacta nulla dicit. Conf. Diss. meam *de principio oblig. et non oblig. pacti per metum extorti, Gryphisw.* 1716. Obligatio E. ad seruanda pacta, metu extorta, ciuilis est.

(c) Ad restituendum mutuum obligatus quis iure naturae, ad idem iure ciuili. E. est mixta obligatio.

§. DCXCVIII.

Obligatio immediata; mediata s. respectiua.

OBLIGATIO ciuilis, ad quam seruandam motiua lex suppeditat ita, vt factum concurrens non supponat, IMMEDIATA (a); si vero supponit factum aliquod, MEDIATA s. RESPECTIVA (b) dicitur.

(a) Pater obligatur ad dotandam filiam, *L. 19. D. de rit. nupt.* Est haec obligatio immediata, non enim concurrit factum aliquod patris, v. g. promissio etc.

(b) Fractum a me fuit speculum Caii, adeoque ipsi damnum facto meo datum. Ad damnum datum resarciendum L. Aquilia obligabar. E. obligatio haec est mediata, s. respectiua, supponit enim factum.

§. DCXCVIIII.

Imputatio.

IMPVTATIO (a) est collatio facti alieni (b) cum legibus (c).

(a) PVTARE idem est, ac rationes subducere, conferre, quod docet PAPINIANVS in *L. 31. D. de neg. gest.* scribens:

scribens: Qui aliena negotia gerit, vsuras praestare cogitur, eius sc. pecuniae, quae, PVTATIS necessariis sumtibus, superest. Et PLAVTVS *Aulul. Act. III. Sc. V. v. 53.*

itur, PVTATVR *ratio cum argentario.*

Et imputare est, rationibus alicuius aliquid inferere, in rationes inferre. SENECA *Ep. VIII.* scribit: IMPVTARE esse in rationes, vel tabulas expensi referre, a Conto stellen. Idem indicat Germanica vox Zurechnung. Est itaque imputationis verbum metaphoricum. Quemadmodum enim id, quod rationibus alicuius infertur, soluere is debet; ita huic, quod cuidam imputatur, satisfacere eum oportet.

(b) In hoc imputatio differt a CONSCIENTIA, quae est collatio facti proprii cum lege. *Conscientia.*

(c) Vel est iudicium de actione libera, quo eiusdem auctorem aliquem habemus. Conf. PVFENDORF *Elem. Iur. prud. Univ.*

§. DCC.

ACTIO (a) est allegatio iuris (b) nostri, iudici (c) eum in finem facta, vt id, quod nobis quocunque modo debetur (d), obtineamus (e). *Actio.*

(a) Vocabuli actionis significatus adeo late patet, vt huic recensendo pagina deficeret. In sensu philosophico ACTIO est *mutatio rei, cuius ratio sufficiens in re mutante reperitur*. v. g. actio libera, coacta etc. in sensu vero comico agere idem notat, quod populo esse spectaculo, seu persona indutum, alterius mores imitari. Vid. HORATIVS *de art. poet v. 193.* Actiones etiam nonnunquam pro orationibus, apud populum iudicesque habitis, veniunt, teste ipso CICERONE *de art. rhet. L. II.* In significatu iuridico vero plerumque pro formula certa, qua ius suum intentabat actor, accipitur. Harum formularum artifices erant Pontifices, qui easdem cum litigaturis communicabant. Vid. CICERO *de Orat. I. c. 41. Orat. pro Roscio Comoed. c. 8.* Opus autem erat, vt actor formulam sibi datam, ne verbulo quidem mutato, aut omisso, decantaret, ni causa cadere vellet. *L. 1. C. de calumn.* SENECA *Ep. 49.* Sic v. g. formula actionis furti adiuti erat: OPE, CONSILIO TVO FVRTVM *Actio in significatu philosophico.*

 FACTVM

FACTVM ESSE, AIO. Vid. CICERO *de Nat. Deor. L. III. c. 30.* Hinc formula excidere, erat caufa cadere. SENECA *Ep. 48.* SVETONIVS *Claud c. 14.* Sublatis vero formulis *§. f. l. de Interd* propofitio actoris, ius fuum continens, actio vocabatur. Reftat actionis etymologia, quam aliqui ab eo deriuant, quod actor reum fugientem quafi pecus agat, idemque ex ritu in ius vocationis, quo obtorto collo idem ad Praetorem raptus, declarare voluere, fed inuita admodum Minerua. Non enim actor agere reum dicitur, fed cum reo. Vid. CVRTIVS *Εἰκασῶν Lib I. c. 15.* Ingeniofe magis, quam vere dictum puto, quando aliquis, quod memini, defendit, actionem dici a comico fpectaculo, quum iudicia Romana fcenicum ludum referrent maxime. Mihi nihil impedire videtur, quo minus generalem actionis conceptum huic proprium facere poffimus. Actor actionem quoties ad iudicem defert, mutatio adeft; res enim nunc litigiofa fit, quae antea non erat. Ratio mutationis in actore eft; is enim actionem detulit ad iudicem. E. adeft actio. Reus ad iudicium quando accedit, iterum mutatio adeft, res enim, quam fuam opinatus erat, nunc redditur controuerfa. Ratio vero mutationis huius in actore, prouocante ad iudicium, erat quaerenda. E. reus non agit.

(b) Actor, fiue in rem, fiue in perfonam acturus, allegat ius, idemque fibi afferere vult. Qui aedes fuas a Caio vindicat, afferit fibi ius, iis, exclufis aliis, confequenter etiam Caio, vtendi, h. e. dominium. Qui librum commodatum, a Seio reddi fibi poftulat, afferit fibi ius librum repetendi, hoc eft, ab hoc tempore, excluſo Seio, eo vtendi.

(c) Qui igitur debitorem v. g. intra priuatos parietes de foluendo debito monet, non agere, fed INTERPELLARE eum dicitur. *Interpellare.*

(d) Vocabulum DEBERI hic in latiori fignificatione accipimus, prout feq. nota pluribus indicabitur.

(e) ACTIO in *L. 25. pr. et L. 51. D. de O. et A.* definitur, quod fit *ius perfequendi in iudicio, quod fibi debetur.* Quae definitio quum vulgata maxime fit, eam pauciffimis illuftrare volui. Etenim funt, qui omnia mouent, vt hanc definitionem omnibus actionum generibus

vindi-

vindicent, adeoque verba, vt videbimus, mirum in modum torquent. Ego quidem persuasissimus sum, ICtum hic non nisi actionem personalem definiisse. Hoc vt credam, me inducit ipse VLPIANVS in *L.* 178. *D. de V. S.* scribens: *Actionem in specie opponi petitioni, illam in personam, hanc in rem esse.* Idem confirmant *L.* 18. *§.* 1. *D. de acceptil. §.* 21. *I. quib. mod. toll. obl. L.* 21. *§.* 1. *ad SCt. Vellei.* et VLPIANVS *L.* 28. *D. de O. et A.*: ACTIO *in personam infertur*, PETITIO *in rem.* Vsus tamen hactenus vicit, atque haec actionis definitio a ICtis pro generali notione accepta fuit. Dicitur autem actio *ius persequendi.* Negandum non est persequutionis verbum generalissimum esse, atque quandoque omnibus actionibus, siue reales eaedem sint, siue personales, accommodari, id quod colligere licet ex *L.* 28. *et* 51. *D. de obl. et act. pr. I. de act. L.* 17. *D. de pign.* In specie vero persequutio extraordinarium remedium notat. *L.* 178. *§.* 2. *D. de V. S.* CVIACIVS, *Comment. ad Tit. de act.* ius persequendi pro formula accipit, sed formulae iam erant sublatae *§. f. I. de interd.* Conf. MARCILIVS *ad pr. I. de act.* Persequendum ius *in iudicio*, i. e. apud iudicem pedaneum, non in iure, apud magistratus. Postquam vero omnia fere iudicia in magistratus translata sunt, haec obseruatio vtilitatem non habet. *L.* 2. *§. f. C. de ped. iud.* A COSTA *ad pr. I. de act.* Persequebatur actor, *quod sibi debebatur.* Vocabulum debere licet cuilibet actioni accommodare velint ICti, ad personalem tamen proprie refertur. DEBERE enim et SVVM ESSE sibi inuicem opponuntur, *L.* 27. *§.* 2. *L.* 34. *D. de auro ac arg. leg. L.* 6. *§.* 2. *D. quae in fraud. cred.* Vid. HOTOMANNVS *L. III. c.* 17. *obseru.* 11. et MARTIALIS *Epigr. L. II.*

Debet enim, si quis soluere iure potest.

Soluere vero est, id, ad quod obligati eramus, implere, vt infra ostendam.

§. DCCI.

Principium facultatis allegandi iura nostra in iudicio si in legibus reperitur, ACTIO CIVILIS (a); si in edicto Praetoris, PRAETORIA (b) dicitur. *Actio ciuilis; praetoria.*

(a) Talis

(a) Talis v. g. actio emti, *L. 33. pr. D. de aedil. edict.* et venditi. *L. 13. §. 13. D. de A. E. V.* etc.

(b) Praetores potestate pollebant ius dicendi, interpretandi, supplendi ac corrigendi; nouum vero ius constituere nequibant. Hinc opus erat fuco ad constituendum ius nouum nouasque actiones. Suppeditabo huius rei exemplum: Si quis rem, sibi propriam, amiserat, eam a possidente vindicare poterat. Sed quid, si re bona fide possessa exciderit? Nulla omnino competebat actio. Iniquum hoc videbatur Publicio Praetori, maxime, si alter potior esset iure. Nouum ius nouamque actionem proponere non poterat, hinc fingebat, rem, bona fide possessam, esse vsucaptam. Vsucapio vero erat modus acquirendi dominii, *L. 3. D. et pr. I. de vsuc.* atque ita quasi vindicari ex iure praetorio debebat res bona fide possessa iterumque amissa. Dicebatur haec actio Publiciana, in honorem architecti sui PVBLICII.

§. DCCII.

Actio realis; personalis.

Allegatio iuris in re, iudici eo fine facta, vt idipsum competere nobis idem declaret, ACTIO REALIS (a); Allegatio vero iuris ad rem, eo fine iudici facta, vt idem alterum nobis debere declaret, ACTIO PERSONALIS (b) dicitur.

(a) Realis igitur actio iuris in re erat consequens, actorque formulam in ipsam rem intendebat. V. g. FVNDVS, QVI EST IN AGRO, QVI SABINVS VOCATVR, MEVS EST, EVM EGO EX IVRE QVIRITVM MEVM ESSE AIO. INDE IBI EGO TE, EX IVRE, MANVM CONSERTVM VOCO. Conf. CICERO *pro Muraena C. 12.* Dicebantur etiam vindicationes, *L. 25. pr. D. de obl. et act.* ex antiquo vindiciarum ritu, de quo FESTVS *de verbor. signif. h. v.* denominationem accipientes, it. petitiones, *L. 178. de verb. signif. L. 27. D. de O. et A.* Tales sunt v. g. hereditatis petitio, rei vindicatio, Publiciana etc.

(b) Personalis actio iuris ad rem consequens est, atque obligationem stricte dictam, siue ex facto licito, siue illicito oriatur, ex parte rei requirit. *§. 1. I. de act. L. 25. pr. D. de O. et A.* Formula eius haec erat: AIO TE MIHI

MIHI DARE (FACERE) OPORTERE, *cit. §. 1.* Conf. HOTOMANNVS *in formul. ap.* PITISCVM *h. t.* Tales sunt actio commodati, mandati, pro socio, furti etc.

§. DCCIII.

ACTIO personalis, quoties aduersus tertium, actori speciatim non obligatum, extenditur, IN REM dicitur (*) SCRIPTA. *Actio in rem scripta.*

(*) Vocabulum in rem scriptum idem est, ac absque denominatione certae personae. Ita namque VLPIANVS *L. 9. in f. D. quod met. caus.* de actione quod metus causa scribit: *Cum autem haec actio sit in rem scripta, nec personam vim facientis coerceat, sed aduersus omnes restitui velit etc.*

§. DCCIIII.

Allegatio iuris, ex statu nostro competentis, iudici facta, vt nobis idem tribuat, ACTIO PRAEIVDICIALIS (*) dicitur. *Actio praeiudicialis.*

(*) Quid sit praeiudicium? vid. §. DCLXXXIIII. Tales sunt confessoriae et negatoriae vtiles, quibus v. g. quis filium declarari, aut patrem negari vult.

§. DCCV.

Allegatio iuris recipiendi id, quo imperfectiores facti sumus, ACTIO REI PERSEQVVTORIA (a); Allegatio iuris postulandi ex patrimonio rei resarcitionem laesionis, ACTIO POENALIS (b); Allegatio iuris recipiendi vtrumque, MIXTA (c) dicitur. *Actio rei persequutoria; poenalis; mixta.*

(a) Ad hanc classem referes omnes actiones reales, *§. 17. I. de act.* easque, quae descendunt e conuentione *§. f. I. de V. O.* regulariter, excepta depositi miserabilis inficiati actione, *L. 1. §. 1. D. depos.* nonnullisque ex delicto orientibus. Caio ac Caiae matrimonium est improle; ratio in sterilitate Caiae quaerenda est, quae eapropter diuortium metuens marito pretiosa pecuniamque numeratam subducit, atque ad parentes suos defert; sequitur ipsum diuortium, eoque facto, Caius demum

 demi-

deminutum per vxorem, quae olim fuerat, patrimonium intelligit. Adit proin iudicem, eique allegat ius suum, amota sibi ab vxore recipiendi; rem persequitur actione rerum amotarum. *L. 21. §. 5. D. rer. amot.*

Poena. (b) Malum physicum, cum actione connexum, POENA dicitur. Malum vero physicum vocatur, quod statum nostrum externum imperfectiorem facit. Qui igitur ius recipiendi ab alio aliquid, quo imperfectior alter fit, idque ob actionem ab eodem perpetratam, iudici allegat, poenaliter agit. V. g. Titius iniuriis bene multis onerauit Caium, recensendo, dum ambibat munus Consiliarii, crimina, quae olim ab eodem perpetrata vult. Caius adit iudicem, Titiumque iniurias euomentem in ius vocari postulat; Apparente eodem, ob actionem ab hoc editam, dum famae suae male per eamdem consuluerat, sicque imperfectiorem eum fecerat, 6000. fl. numerari sibi postulat, iusque exigendi hanc summam, iureiurando firmatam, sibi esse ex §. 7. *I. de iniuriis* contendit. Poenam h. e. persequutus est Caius, adeoque actio iniuriarum aestimatoria est poenalis. §. 10. *I. de iniur.*

(c) Actione igitur poenali mixta rem et poenam persequimur. Talis est actio v. g. vi bonorum raptorum, qua praeter rem recipimus triplum eiusdem. §. 19. *I. de act.*

§. DCCVI.

Actio bonae fidei; stricti iuris; arbitraria. Allegatio iuris, secundum naturalem aequitatem sibi a iudice adplicandi, ACTIO BONAE FIDEI (a); Allegatio iuris, secundum conuentionum verba tribuendi a iudice, ACTIO STRICTI IVRIS (b); Allegatio iuris, ex naturali aequitate sibi applicandi, et, si non tribuat reus idipsum, extendendi, ACTIO ARBITRARIA (c) dicitur.

(a) Edita atque intentata ab actore apud Praetorem actione, idem iudices simul ab actore petitos dabat de eadem re, ni extraordinaria cognitio esset, de qua vid. *Tit. D. de extraord. cognit.* iudicaturos. Iudicaturis vero certam praescribebat formulam, quam attenderent, neque

neque ab ea discederent latum unguem. Atque harum formularum differentia diuersorum generum actionum rationem in se continet. In iudiciis bonae fidei, in quibus naturalis aequitas omne ferebat punctum, Praetor iudicem constituebat hac formula: EX BONA FIDE, cui respondebat formula bona fide contrahentium: VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET; et SINE FRAVDATIONE, vid. CICERO *de offic. Lib III.* 13. 17. Atque haec formula iudici tribuebat potestatem ex aequo et bono pronunciandi. Innuit hoc ipsum IMPERATOR in §. 29. *I. de act.* scribens: *At in bonae fidei iudiciis libera potestas permitti videtur iudici, ex aequo et bono aestimandi, quantum actori restitui oporteat.* Quaenam Romanis fuerint actiones bonae fidei, determinari nequit; diiudicandum hoc esset ex formulis, sed omnium actionum formulae non exstant. Sunt, qui §. 28. *I. de act.* pro norma adsumunt, sibique persuadent IMP. omnes actiones bonae fidei ordine recensuisse, non recensitas igitur stricti iuris esse volunt, eaquepropter actiones bonae fidei his versiculis memoriae commendare voluere:

Emti, ercifcundae, mandati, depositique,
Pignora, conducti, communi, pro socioque,
Dotis et heredes, tutelae, commoda, gestor,
Praescriptis verbis, permutat et aestimat istas.
Dico BONAE FIDEI, STRICTI *sunt cetera* IVRIS.

Nolim alicui suasor esse, vt his nugis memoriam oneret. Satis est, actiones hodie omnes esse bonae fidei, aequitatem stricto iuri praeferri omnino. Conf. de cetero GVNDLINGII *Diss. de vsu pract. act. b. f. et str. iur. Gryph.* 1716.

(b) Stricti iuris actiones itidem ex formula, qua iudex petitus dabatur, dignoscuntur; Erat autem haec: SI PARET LVCIVM TITIO TANTAM PECVNIAM DARE OPORTERE, CONDEMNA. *Quid est in iudicio?* inquit CICERO *pro Roscio, directum, asperum, simplex. Si pateret tantam pecuniam dari oportere.* V. g. Marcus Manlius Cneium Sulpitium in ius vocauerat, asserueratque hunc sibi ex stipulatu debere C. Praetor iudicem dabat hac formula: SI PARET CNEIVM SVLPITIVM MARCO MANLIO DEBERE C. EX STIPVLATV ILLVM IN C. CONDEMNA. Quid

si nunc appareret reum debere C. et XX.? Non poterat iudicare iudex, quippe ad hunc casum non datur. Aut si apparebat eundem debere XCV. iterum potestas iudicandi cessabat, datus enim erat ad C. non vltra nec infra hanc summam. Atque vel ex hoc colligitur, cur actor plus petendo causa ceciderit.

(c) Actiones arbitrariae quidem in eo cum actionibus bonae fidei conueniebant, quod largior iudici potestas concederetur formula: QVANTVM AEQVIVS MELIVS, vid. CICERO *pro Q. Roscio c. 4.* attamen officium in his magis restrictum, neque quaecunque aequitas obiectum eius erat. V. g. In actione de dolo iudex decipientem condemnat ad rem restituendam; quod si non restituatur, admittit actorem ad iusiurandum in litem, reumque summam iureiurando firmatam soluere iubet, *L. 18. pr. D. de dol. mal.* atque in tantum, non vltra, iudicis arbitrium admittitur, adeoque restrictus significatus tribuendus IMP. *in §. 1. de act.* quando scribit: Actionem arbitrariam dici, *quod ex arbitrio iudicantis pendeat.*

§. DCCVII.

Actio directa; contraria. Allegatio iuris, ex contractu sibi competentis, iudici facta, ACTIO DIRECTA; Allegatio iuris exigendi ab eo, quocum contraximus, indemnitatem, CONTRARIA (*) dicitur.

(*) Directa actione persequimur ius ex contractu nobis competens, v. g. ex contractu commodati, ius recipiendi rem commodatam, in contractu depositi, rem depositam etc. Conuenit enim inter contrahentes in priori casu, vt rei vsus concederetur ad determinatum finem, eoque obtento, restitueretur res, in posteriori vero casu, vt depositum custodiretur, atque, quando placuerit deponenti, redderetur a depositario. Contraria vero actio indemnitatem pro obiecto habebat, de quo in contractu mentio nulla facta erat. V. g. Commodatus equus muco laborauit, quo infectum equile meum fuit; depositum frumentum curculionibus infectum; damnum vtroque datum mihi, quod resarciendum contraria actione postulo. Directae autem dicuntur hae actiones, quod directe et immediate ex contractu oriantur,

oriantur, iusque ex eo competens persequamur iisdem; contrariae vero, quod quasi contra naturam contractus ex aequitate naturali dentur. Hinc IMPERATOR §. 1. et 2. *I. de obl. quae quasi ex contr. nasc.* dixit: Contrarias actiones proprie ex nullo contractu nasci. Conf CONRASIVM *Misc. Lib. VI. c. 6.* Numeramus autem sex actiones contrarias, commodati, mandati, depositi, negotiorum gestorum, tutelae et pignoratitiam. Atque nunc porro liquet, vnde fiat, quod v. g. actio pro socio vtrinque directa dicatur; scilicet quod vterque sociorum ius suum immediate ex contractu deducat.

§. DCCVIII.

ACTIO, cuius iudici proponendae ius ex legum verbis competit, DIRECTA; si ex ratione legis, VTILIS (*) dicitur. *Actio directa; vtilis.*

(*) PAEDIVS, referente id VLPIANO *in L. 13. D. de LL.* docuit: *Quoties lege aliqua vnum atque alterum introductum, bonaque occasio est, cetera ad eamdem vtilitatem interpretatione vel iurisdictione supplenda esse.* Atque hoc ipsum idem est, quod ratiocinari ex ratione LL. prout dictum §. *XVIII.* de interpret. extensiua. In hac interpretatione fundamentum actionum vtilium quaerendum est, V. g. Asserenti sibi seruitutem in praedio alieno actione confessoria agendum erat. *§. 2. I de act.* Actio enim confessoria erat assertio iuris in alieno praedio sibi in vtilitatem praedii sui competentis. Sed quum eadem ratio sit omnium iurium mihi in alium competentium, formula actionis confessoriae extensa est ad reliqua iura, maxime vero ad ea, quae ex statu hominum oriuntur. Ita v. g. filium qui se asserit, eaque propter alimenta a patre exigit, actione confessoria vtili hoc faciat, necesse est,

§. DCCVIIII.

ACTIONEM, cuius proponendae ratio in aequitate naturali legibus comprobata latet, DATIVAM; cuius ratio in facto obligatorio, NATIVAM dicunt (*). *Actio datiua; natiua.*

(*) Egregium hoc acuminis specimen, ICtorum parenti BARTOLO debetur, quo iurisprudentiam nostram

valde exornauit, commendabilemque maxime fecit. Placuit viro huic perspicacissimo partum suum ad exemplum Iouis, e cerebro suo, absque matre edere, absque patre ausus idipsum non fuit, alias enim fuisset spurius. Audiamus ipsum ad *L. 1. D. de act.* ita differentem: DATIVAE *actiones sunt, quae immediate a lege conceduntur, sine matre, vt L. iuris gent. de pact.* NATIVAE *sunt, quae sine matre habent obligationem, L. licet §. ea oblig. D. de proc. vt, ecce, Adam fuit homo datiuus sine patre et matre a Deo datus. ceteri natiui sunt.* Acute, lepide, vt nihil supra! Est idem venerando nostro parenti, qui omnibus hominibus inest, mos, vt quicquid vitii in nobis apparet, eo Adamum, commune obiectum, onerare cupiant. Crediderim ego dari et inter BARTOLI discipulos homines datiuos, licet in praedicamento passionis. In iuris ciuilis opere hanc distinctionem frustra quaeres.

§. DCCX.

L. XLV. T. 1. *Verborum obligatio; Stipulatio.*

VERBORVM OBLIGATIO est contractus, cuius principium obligandi in consensu, verbis declarato, latet (a); Contractus vero nominatus, in quo obligatio ex solemni interrogatione et congrua responsione oritur (b), STIPVLATIO (c) dicitur.

(a) Triplici modo apud Romanos quis verbis obligabatur, nimirum 1) *stipulatione,* 2) *dotis dictione,* et 3) *iureiurando liberti se dona daturum vel operas praestiturum patrono.* De priori not. seq. agendum erit. Dotis dictio fiebat quidem verbis, sed sine stipulatione, h. e. praecedente interrogatione, cuius exemplum est apud TERENTIVM *Andr. Act. V. Sc. 4. v. 47.* et in *L. 57. pr. D. de iur. dot. L. 44. §. 1. L. 46. D. eod.* Vid. *§. CCCCLXXXI.* Quoad tertiam speciem notandum; Libertum manumissum patrono promittere debuisse: Se velle eidem operas artificiales exhibere, v. g. vestes conficere, in tabulis imagines pingere, dona ac xenia statis temporibus eidem offerre, *L. 1. D. de V. O.* CAII *Inst. II. 9. 3.* cuius formula non exstat. Hanc vero promissionem iureiurando plerumque firmarunt, atque ita ex sua promissione, suoque iureiurando obligati sunt liberti.

(b) STI-

(b) STIPVLARI quidem proprie, atque in significatu iuris, interrogationem solam, exclusa responsione, notat, vid. *L. 7. D. de eo, quod certo loco*, atque ideo opus olim fuit restipulatione, quae fuit congrua, ad interrogationem stipulantis, responsio, vid. *L. 43. §. f. D. de damn. inf.* ISIDORVS tamen *Etymol. L. V. c. 24.* stipulari idem, quod promittere, PRISCIANVS vero *Grammat. L. V.* generale verbum, ad interrogantem et respondentem pertinens, esse docuit. Huius opinio receptissima est. Stipulationis autem ratio haec fuit: Pactis Romani obligationem quoad effectum agendi vel ex eo inesse noluerunt, quod, experientia teste, homines in promittendo faciles incautique esse soleant, atque promissi interdum statim eos poeniteat; Igitur, vt de consensu vero promittentis constaret, excitanda eiusdem attentio solemni interrogatione, quam sequuta congrua responsio, distinctae perceptae interrogationis specificaeque declaratae voluntatis signum. Concepta autem responsio ita esse debuit, vt interrogationi per omnia responderit. Hinc pactum plerumque antecessit stipulationem, ex quo interrogatio ac responsio formandae. Omnem rem egregie exponit PLAVTVS in *Pseudol. Act. IIII. Sc. 6. v. 1 -- 16.* cuius verba tecum communicabo:

BA. *Minae viginti sanae ac saluae sunt tibi,*
Hodie quas abs te inde stipulatus Pseudolus.
SI. *Velim quidem hercle.* BA. *roga me viginti minas,*
Si ille hodie illa sit potitus muliere,
Siue eam tuo gnato hodie, vt promisit, dabit.
Rogato; hercle, obsecro, gestio promittere,
Omnibus modis tibi esse rem vt saluam scias,
Atque etiam habeto mulierem dono tibi
SI. *Nullum periclum est, quod sciam, stipularier.*
Vt accepisti verba, VIGINTI MINAS
DABIN'? BA. DABVNTVR. SI. *Si hoc quidem,*
actum est haud male.

(c) Stipulationis vocabulum a stipulo, quod antiquis firmum significabat, deducunt. Vid. *pr. I. de V. O.* PAVLVS *Sentent. L V. T. 5.* MENAGIVS *Amoen. iur. ciu. c. XXXVIIII. p. m. 371. sq.*

§. DCCXI.

§. DCCXI.

Stipulatio voluntaria; iudicialis; praetoria.

STIPVLATIONIS contrahendae auctor fuit vel vterque contrahentium, vel tertius, isque vel iudex, vel Praetor. Isto casu VOLVNTARIA (a); illo IVDICIALIS (b); hoc PRAETORIA (c) dicta.

(a) Talis v. g. fuit dotis promissio, aut stipulatio non recipiendae dotis, qualis occurrit ap. PLAVTVM *Aulul. Act. II. Sc. 4. v. 77.*:

ME. *Quid nunc? etiam mihi despondes filiam?* EV. *Illis legibus,*
Cum illa dote, quam tibi dixi. ME. SPONDEN' ERGO? EV. SPONDEO.

(b) Voluntariae stipulationi opponitur necessaria, ad quam celebrandam aliquis compellitur. Ea autem est vel *iudicialis* vel *praetoria*; illius celebrandae necessitatem imponit iudex in cautionibus v. gr. de dolo, de seruo persequendo etc. Deducta in iudicium lite, actor veritus, ne possessor rei litigiosae dolum committeret, exegit ab eo cautionem ne hoc fieret, cautio vero per stipulationem interposita hoc modo: Spondes ab ea re, de qua agitur, dolum malum abfuturum? Spondeo, Vid. *L. 1. pr. D. de V. O.*

(c) Praetoriarum stipulationum auctor fuit Praetor. Hic enim iussit caueri, stipulatione interposita, de damno infecto, rem ratam haberi, et aliis casibus. Vid. VINNIVS *ad §. 2. I. de diuis. stipul.* V. g. Aedes Titii ruinosae in Seii praedium, per quod quotidie iter fit, ita propendent, vt ruinae proximae sint. Seius monet Titium de reficiendis aedibus; negligentem tamen refectionem vocat ad Praetorem, hodie ad iudicem, postulans cautionem damni infecti. Annuente illo stipulatio fit: SPONDES DAMNVM EX AEDIBVS TVIS PENSATVRVM? SPONDEO. *L. 7. pr. D. de damn. inf.*

§. DCCXII.

Stipulatio Aquiliana.

Remissio obligationis ex contractu in stipulationem mutato, STIPVLATIO AQVILIANA dicta (*).

(*) Nihil

(*) Nihil tam naturale est, quam quo quid colligatum est, eo et dissoluatur modo. *L. 35. D. de div. reg. iur.* Verborum obligatio verbis solemnibus erat concepta, E. et verbis solemnibus soluenda fuit eadem. C. AQVILIVS GALLVS vero inuenit modum soluendi omnem obligationem solemnibus verbis. Docuit namque quamlibet obligationem in stipulationem esse prius deducendam, dein per acceptilationem tollendam. Formulam habes in *§. 2. I. quib. mod. toll. obl.* et *L. 8. D. de acceptilat.* QVICQVID TE MIHI EX QVACVNQVE CAVSA DARE, FACERE OPORTET, OPORTEBIT, PRAESENS IN DIEMVE, AVT SVB CONDITIONE, QVARVMQVE RERVM MIHI TECVM ACTIO, VEL ADVERSVS TE PETITIO, VEL ADVERSVS TE PERSEQVVTIO EST, ERITVE, QVODVE TV MEVM HABES, TENES, POSSIDES, DOLOVE MALO FECISTI, QVO MINVS POSSIDEAS, QVANTIQVE QVAEQVE EARVM RERVM RES ERIT, TANTAM PECVNIAM DARE STIPVLATVS EST AVLVS AGERIVS, SPOSPONDIT NVMERIVS NIGIDIVS. -- QVOD NVMERIVS NIGIDIVS AVLO AGERIO SPOSPONDIT, ID HABERETNE A SE ACCEPTVM, N. N. A. A. ROGAVIT; A. A. N. N. ACCEPTVM FECIT.

§. DCCXIII.

Condictio certi et actio ex stipulatu.

Actio, qua is, qui determinatam quantitatem stipulari sibi passus fuit, eam a stipulante solui poscit, CONDICTIO CERTI EX STIPVLATV; Actio, qua is, qui indeterminatam quantitatem stipulari sibi voluit, eamdem a stipulante postulauit, **ACTIO EX STIPVLATV** dicta (*).

(*) Vid. *pr. I. de V. O.* Priori casu, si forsan C. stipulatus fuit reus, hac formula iudex datus: SI PARET AVRELIVM LICINIO STIPVLANTI C. SPOSPONDISSE, TVM AVRELIVS CENTVM LICINIO DARE DAMNAS ESTO. Posteriori: SI PARET AEMILIVM CORNELIO STIPVLANTI HOMINEM SPOSPONDISSE, TVM, QVANTVM

TVM EX EO STIPVLATV CORNELIO AEMILIVM DARE, FACERE OPORTEBIT, TANTI AEMILIVS DAMNETVR, homo enim incerti valoris erat.

§. DCCXIIII.

L. XLV. T. 2. *Correi credendi; debendi.* Plures, qui commune ius in alium habent, CORREI CREDENDI; qui vero simul eodem modo alii obligati sunt, CORREI DEBENDI dicuntur (*).

Reus. (*) REI vocabulum olim latissimum fuisse supra *§. CCXX. not. b.* obseruatum est. Hic saltim notare iuuabit, et contrahentium vtrumque dictum fuisse reum. *L. 5. D. de V. O.* Inde creditores, quorum cuilibet res in solidum debetur, appellati correi credendi, *pr. I. de duobus reis,* qui debent, seu obligati sunt, correi debendi. *pr. I. cit. Tit.*

§. DCCXV.

L. XLVI. T. 1. *Fideiussor s. Adpromissor; Constitutor; Expromissor; Sponsor; Mandator.* Qui alterius obligationem ita recipit, vt, illo soluere non valente, eam impleat, nobis, Romanis vero, qui alienam obligationem stipulatione intercedente vltro recepit, FIDEIVSSOR (a) s. ADPROMISSOR (b) dictus. Qui idem sine stipulatione fecit, CONSTITVTOR (c); qui alienam obligationem ita recepit, vt obligatus alter e nexu plane dimissus fuerit, EXPROMISSOR (d); qui alienam obligationem, rogatus, in euentum non praestitae solutionis, recepit, SPONSOR (e); qui obligationem futuram hoc modo recepit, MANDATOR (f) dictus fuit.

(a) Fideiussio apud Romanos contracta per stipulationem, atque in hoc a moderna fideiussione differt, quae nudo pacto etiam constituitur. Crediturus alteri pecuniam, qui ipsi non soluendo videbatur, circumspiciebat alium, cuius fidem sequeretur. Quodsi esset, qui fidem suam interponeret verbis, obligatio ex hoc, vt

vt nudo pacto, oriebatur nulla. Opus proinde erat, vt in stipulationem redigeretur omne negotium. Crediturus itaque eum, cuius periculo esset contracturus, v. g. mutuum, rogabat: FIDENE TVA IVBES, QVANTAM PECVNIAM TITIO LVCIO CREDIDERO? Hic autem respondebat: IVBEO Atque ita respondens, dicebatur FIDEIVSSOR, quippe, qui sub fide sua iusserat dari pecuniam debitori. Sin vero rogatum fuerat: FIDENE TVA PROMITTIS? et responsum: PROMITTO, FIDEIPROMISSOR respondens audiebat.

(b) Adpromissorem cum fideiussore conuenire certissimum est. ADPROMITTERE enim est, idem, quod alius promisit, iterato promittere. Docet hoc POMPONIVS *L. 5 D. de V. O* SATISACCEPTIO *est stipulatio, quae ita obligat promissorem, vt* ADPROMISSORES *quoque ab eo accipiantur, i. e.* NB. *qui idem promittant.* Conf. FESTVS *voc. adpromissor. L. 34. §. 4. D. sol. matr.* et CICERO in *orat. pro Roscio Amer.* passim.

(c) De constituto disserui supra §. *CCCXLI.* Idem fiebat vel stipulatione, vel nudo pacto, a Praetore tamen confirmato. §. 8. *I. de act.*

(d) Expromissor itaque omnem alterius obligationem in se recipit, ita, vt alter e nexu plane dimittatur, atque hoc ipsum nouatio infra dicetur. E. fideiussio absque, expromissio cum nouatione fiebat, vid. *L. 9. et 10. D. de pign. act. L. 53. D. de C. E. V. L. 4. D. de R. I.* vnde est, quod expromissor nonnunquam reus dicatur, *L. 7. D. de dol. mal.* atque ita debitor principalis fiat.

(e) Fideiussor plerumque vltro se offerebat ad id, vt fidem suam interponeret. Quodsi vero debitor, cui nemo credere volebat, vndique conquireret, inueniretque demum, qui fidem suam interponeret, SPONSOR is dicebatur, dum ad rogationem: CENTVM, QVAE MIHI LVCIVS TITIVS DEBET, EADEM MIHI DARE SPONDES? responderet: SPONDEO. Vid. SALMASIVS *de modo vsurar. c. 16.* et CICERO *ad Attic. Lib. I. Ep. 6. Tulliola, deliciolae nostrae, tuum munusculum flagitat, et me* SPONSOREM *appellat. Mihi abiurare,* i. e. iureiurando abnegare, *satius est, quam dependere,* i. e. soluere. *L. 5. D. de vsu.* Huius rei hanc fuisse ratio-

rationem putauerim: Sponsores quum non vltro se offerrent, sed a debitoribus precibus plerumque intempestiuis adigerentur, ante omnia opus erat, vt constaret, sponte eos fideiubere. Vt autem huius veritas elucesceret, interrogabantur: Vtrum sponderent, h. e. sponte intercederent? Spondere enim a sponte promittere dictum esse, auctor est VARRO *de lat. lingu. Lib. V.* Quodsi nunc sponderent, i. adfirmarent, se sponte intercedere, creditor securus erat aduersus futuram exceptionem intercedentis.

f) Mandati notio §. *CCCLXXII.* explicata est. Inde MANDATOR est, qui mandat alteri, vt tertio pecuniam credat. Mandatum igitur principalem obligationem praecedit, atque in hoc a fideiussione differt.

§. DCCXVI.

Fideiussor principalis, succedaneus; indemnitatis.

Qui obligationem debitoris in casum non factae solutionis recipit, FIDEIVSSOR PRINCIPALIS; qui obligationem fideiussoris hoc modo suscipit, FIDEIVSSOR SVCCEDANEVS (a); qui obligationis residuum praestare promittit, FIDEIVSSOR INDEMNITATIS (b) vocatur.

(a) Interdum fit, vt fideiussor videatur non esse soluendo; hoc itaque casu, alius vt detur, aequissimum est; is vero, qui obligationem fideiussoris suscipit, ita, vt solutionem promittat, hoc non valente soluere, succedaneus, ab eo, quod in locum alterius succedat, dicitur. Ita SVCCEDANEVS damni in *L. 10. C. quis tut. dar. poss.* dicitur, qui damnum alterius praestare debet. Et PLAVTVS *Epidic. Act. I. Sc. 2. v. 36. sq.*

Men' piacularem oportet fieri ob stultitiam tuam,
Vt meum tergum stultitiae tuae subdas succedaneum.

(b) Debitore itaque non omne, quod debebat, soluente, indemnitatis promissor, quod erat residuum, praestabat. Vid. *L. 21. D. de sol. et L. 116. D. de V. O.*

§. DCCXVII.

Praes, Vas, Subpraes; Subuas; Vindex.

Qui se obligat pro reo in iudicio ciuili, olim PRAES (a); qui se obligauit pro reo in iudicio publico, VAS (b); qui obligationem praedis vel vadis

vadis in euentum non factae liberationis suscepit, SVBPRAES vel SVBVAS (c); qui reum compariturum promisit, VINDEX (d) dicitur.

(a) Ita olim res sese habebat. PRAES dictus a praestando, quasi praestes, atque erat fideiussor rei in iudicio ciuili, aut lite nummaria. VAS vero fuit fideiussor accusati in iudicio publico. Docet nos hoc AVSONIVS *in Monosyllab. Idyll. XVI. v. 99. 100.*

Quis subit poenam capitalis supplicii? VAS,
Quis, quum lis fuerit nummaria, quis dabitur? PRAES.

Postea vero praedes dicti sunt, qui publicanis, aut in iudicio publico pro mulcta populo fideiussere, vid. FESTVS voc. *Praes*. Alii praedes fuisse volunt vades, sub obligatione pignorum, quae plerumque praedia erant, datos.

(b) VADES qui olim vocati fuerint, not. praec. (a) dictum est. Sequentibus vero temporibus latius sumtum vadis vocabulum, vt denotaret omnem, qui actori caueret a damno per reum inferendo. Vid. supra Vadimonium §. CXX.

(c) Vid. SALMASIVS *de mod. vsur. c. 16.* quasi qui vices vadis vel praedis subit. I. GODOFREDVS ad *LL. XII. Tabb. Tab. II. p. 191.* subpraedem dicit, qui pro actore fideiussit.

(d) Et quidem ex iure XII. Tabb. cuius verba: SI ENSIET, QVI IN IVS VOCATVM VINDICIT, MITTITO, ASSIDVO (i. e. locupleti, GELLIVS *N. A. Lib. XVI.* 10.) VINDEX ASSIDVVS ESTO: PROLETARIO, i. e. qui vltra 1500. asses in patrimonio suo non habuit, vid. ID. *c. l.* CVIQVE VOLET VINDEX ESTO. VINDEX igitur docente FESTO voc. *Vindex* ab eo dictus, quod vindicet, quo minus is, qui prensus est, ab aliquo teneatur. Atque ita et a procuratore, quocum eum confudit BOETHIVS ad CICERONIS *Topic. II.* et a praediatore, a quo eum non satis distinxit CVIACIVS *Lib. V. obs. 19.* differt. Vid. B. Dn. HEINECCIVS *Ant. Rom. L. III. T. 21. §. 2.*

§. DCCXVIII.

Ius, fideiussori conuento a creditore competens, remittendi hunc ad debitorem, BENEFICIVM ORDINIS (a) s. EXCVSSIONIS (b) dicitur. *Beneficium ordinis s. excussionis.*

 (a) Fide-

(a) Fideiussor obligationem debitoris in se recipit absque nouatione, E. debitor non liberatur, sed vterque eorum obligatus est in solidum, proindeque creditori liberum est in ius vocare, quem horum velit. *L. 5. C. de fideiuss.* Verum haec durissima fideiussorum erat conditio, qua commotus IMPERATOR IVSTINIANVS *Nou. IIII. c. 1.* iis tribuit hoc beneficium, vt non nisi excusso debitore teneretur fideiussor, atque ita hic conuentus exciperet de non seruato ordine, et de debitore prius conueniendo.

Excutere. (b) EXCVTERE idem est, quod inquirere in rationes alicuius, vtrum soluere possit. *L. 1. D. si quis omiss. caus. L. 1. C. de reuoc. iis, quae in fraud. credit.* Fideiussor enim ante debitorem conuentus vrgebat, inquirendum primum esse in facultates debitoris, vt liquido constet: Vtrum soluere possit, an minus?

§. DCCXVIIII.

Beneficium diuisionis. Ius, fideiussori, in solidum conuento, competens, liberandi se ab obligatione, solutione ratae, BENEFICIVM DIVISIONIS (*) dicitur.

(*) Si plures pro vno debito simpliciter fideiusserant, eorum quilibet tenebatur in solidum, *L. 3. C. de fidei.* adeoque et quilibet conueniri poterat. IMPERATOR vero HADRIANVS iis beneficium tribuit, vt si omnes tempore litis contestationis essent soluendo, quilibet eorum vltra ratam suam non teneretur. *L. 26. sq. D. de fidei.* Atque hac ratione diuiditur inter plures obligatio, quae cuilibet incumbebat tota.

§. DCCXX.

Beneficium cedendarum actionum. Ius, confideiussori, in solidum conuento atque soluenti, competens, postulandi a creditore, vt ius suum in debitorem et confideiussores ipsi cedat, BENEFICIVM CEDENDARVM ACTIONVM (*) dicitur.

(*) Inter confideiussores nullus erat nexus: nullum proinde ius, obligatio nulla; atque sic nec actio confideiussori contra confideiussorem prodita erat. Confideiussor E. integrum debitum soluens, a nemine indemni-

demnitatem poterat petere. Debitor enim non erat ſoluendo, alias enim prius fuiſſet excutiendus. Tributum ideo confideiuſſori beneficium, vt adigeret creditorem ante ſolutionem ad id, vt ſibi cedat omnia ſua iura omnesque actiones in principalem debitorem, ad meliorem olim fortunam venientem, et reliquos fideiuſſores. Sed et fideiuſſori interdum in debitorem competebat actio mandati, ſi ille mandauerat, vel negotiorum geſtorum, ſi abſens ille ac ignarus, quae gererentur, erat, ſed et interdum nulla, ſi debitor contradixerat. Ceſſis actionibus confideiuſſor contra confideiuſſores vel principalem agebat vt procurator in rem ſuam.

§. DCCXXI.

NOVATIO eſt mutatio obligationum (a); DELEGATIO eſt mutatio perſonarum obligatarum (b). L. XLVI. T. 2. *Nouatio; Delegatio.*

(a) Nouare idem eſt ac nouam rei formam dare, ſeu immutare eamdem, quod docet ICtus in *L. cum Aquil. D. de trans.* Qui igitur nouat, obligationem mutat, mutatur vero, ſi non manet eadem aliaque pro alia ſubſtituitur. V. g. Lucius Titius Lucio Caio ex emto debebat C. Emtio venditio erat contractus bonae fidei, adeoque ſecundum naturalem aequitatem interpretandus erat, Luciusque Caius verebatur, ne de pretio quid amitteret. Malebat igitur ex ſtipulatu ſibi deberi ea C. adeoque Lucium Titium rogabat: Quae ex emto vendito mihi a te, Luci Titi, debentur, eane iam ex ſtipulatu promittis? Lucius Titius reſpondebat: Promitto. Nouatio erat, mutata namque emtio venditio in ſtipulationem. Titius apud Iauolenum millia quatuor florenorum depoſuit, iam vero Iauolenus, indigens aeris, a Titio petit, vt ſibi liceat vti pecunia depoſita. Annuente Iauoleno fit mutuum, quod fuerat depoſitum, E. nouatio eſt, atque hodie nudo pacto fit, quod olim fiebat ſtipulatione interueniente. VLPIANVS *L. 1. D. de nou.* nouationem dicit prioris debiti in aliam, vel naturalem, vel ciuilem obligationem, transfuſionem atque translationem. Poſteriora verba metaphorica ſunt, priora rem tangunt. Conſtituunt praeterea duplicem nouationis ſpeciem, alteram voluntariam, ne-

cessariam alteram, hancque per L. C. fieri volunt, *arg. L. 29. D. de nou.* per quam quasi contrahitur. Verum etsi lis contestata fuit, manet tamen prior obligatio priorque actio, nisi quod ex temporali fiat perpetua et procurator dominus litis. Hinc admodum improprie haec locutio est.

(b) DELEGARE, est alium debitorem substituere. *L. 11. D. de nouat.* V. g. Caius Sempronio debet C. Conuenit autem, vt frater Caii vices eius subeat, hoc ex nexu dimisso, atque ab obligatione liberato. Delegatio facta est; et quum Caius obligatione solutus, eademque in eius fratrem translata, adeoque obligata persona mutata sit, nouationem delegatione fieri, simul intelliges. Ad nouationem vero requirebatur olim stipulatio, E. et ad delegationem. Vid. *L. 2. C. de nou.* Sunt, qui delegationis ac cessionis limites maxime confundunt. Sed 1) per delegationem debitor, per cessionem creditor mutatur, 2) delegatio fit nouatione, cessio non item. Vid. HAHN *ad Wesemb. Tit. de nouat.*

§. DCCXXII.

L. XLVI. T. 3. *Solutio.*

Praestatio realis (a) eius, quod in obligatione (b) erat (c), SOLVTIO (d) dicitur.

(a) Qui soluere volt, id, ad quod erat obligatus, actu praestet. Quodsi verbis obligatio tollatur, tunc aut acceptilatio, si vtriusque; aut remissio, si creditoris; aut oblatio, si debitoris verba intercedant, facta esse dicitur. Si non id, ad quod obligatus erat debitor, praestet, non solutio, sed datio in solutum est. Licet hic verissimus solutionis character sit, negandum tamen non est, solutionis vocabulo ICtos in significatu adeo lato vsos esse, vt liberationi, §. DCCXXV. definiendae, aequipolleret. *L. 54. D. de solut. L. 4. §. 7. de R. I.* Solutionem satisfactionem continere dixit VLPIANVS *L. Solut. de V. S.* MARCIANVS (vid. *L. 49. D. de solut.*) SATISFACERE vocat *verbis obligationem tollere.*

(b) Stricte ita dicta, quatenus scilicet opponitur iuri ad rem; nam qui vindicanti aedes suas eas tradit, non soluere, sed generali nomine praestare, et speciali, restituere dicitur.

(c) Hanc solutionis definitionem debeo Perill. S. R. I. L. B. de WOLFF, Praeceptori religiose colendo, qui

eam *Horis subsecius. Marb. 1710. trimestr. brum. n. 2. §. 2.* proposuit, quaeque prae aliis se commendat perspicuitate. Equidem VLPIANVS *L. 167. D. de V. S.* SOLVERE eum dixit, *qui fecit, quod facere promisit*; quum vero faciendi et dandi obligatio plerumque in iure Romano sibi inuicem opponatur, vid. inter al. *L. f. D. commod.* haec definitio, ceteris paribus, strictior esset definito, dum solam faciendi obligationem tollere doceret. Sed forsan VLPIANVS generalem vocis facere significatum ob oculos habuit, quo denotat omnem omnino faciendi caussam, dandi sc. soluendi, numerandi, iudicandi, ambulandi, docente *L. 218. D. de V. S.*

(d) Obligationis vocabulum metaphoricum est, dicitur enim a ligando, constringendo, et ipsa obligatio vinculum. (Vid. §. *DCXCVI.*) Quicquid vero ligatum atque constrictum nodo est, id solui oportet; hinc ICti obligationi contrarium vocabulum pariter voluere esse metaphoricum, idque, quod ligatum erat, iterum solui dixere. Hinc praestatio eius, quod in obligatione erat, solutio vocata.

§. DCCXXIII.

Qui id, ad quod obligatus erat, realiter praestare potest, SOLVENDO ESSE (*) dicitur. *Soluendo esse.*

(*) IAVOLENVS *L. 114. D. de V. S.* scribit: *Nemo soluendo esse intelligitur, nisi qui solidum soluere potest.* Igitur qui M. debet, nec vltra DCCC. in bonis habet, soluendo non est.

§. DCCXXIIII.

Praestatio eius, quod non erat in obligatione, ab eadem se liberandi caussa, DATIO IN SOLVTVM dicitur (*). *Datio in solutum.*

(*) *L. 40. §. f. D. de min. L. 46. D. de solut.* Obaeratorum conditio olim durissima fuit, dum, si non essent soluendo, in neruum ducti, et creditori addicti fuerunt, ad operas seruiles subeundas; vid. CVIACIVS *Obs. Lib. XIII. 9.* Dein vero ex L. Poetilia Papiria famosa possessio bonorum introducta. Iulius tandem Caesar obaeratis plenius consulens, iis beneficium dationis in solutum concessit. Rem ita enarrat SVETONIVS in *vita*

 Iul.

Iul. Caes. c. 42. : De pecuniis mutuis, disiecta nouarum tabularum exspectatione, quae crebro mouebantur, decreuit tandem, vt creditoribus satisfacerent per aestimationem possessionum, quanti quasque ante ciuile bellum comparassent, deducta summa aeris alieni, si quid vsurae nomine numeratum aut perscriptum fuisset, qua conditione quarta pars fere crediti deperibat. Ipse vero CAESAR *de bello ciuili L. III. c. 1.* ita rem exponit: *His rebus confectis, cum fides tota Italia esset angustior, neque creditae pecuniae soluerentur, constituit, vt arbitri darentur, per eos fierent aestimationes possessionum et rerum, quanti quaeque illarum ante bellum ciuile fuissent, atque eae creditoribus transderentur. Hoc et ad timorem nouarum tabularum tollendum minuendumque, qui fere bella et ciuiles dissensiones sequi consueuit et ad debitorum tuendam existimationem aptissimum existimauit.* NOVAE vero TABVLAE, quarum mentio hic fit, fuerunt Edicta, quibus debitoribus obaeratis debita remissa. Vid. CICERO *de offic. Lib. II. c. 23.*

§. DCCXXV.

Liberatio. Factum, quo quaelibet obligatio soluitur, LIBERATIO (*) audit.

(*) Liberatio itaque genus, solutio vero, cum reliquis modis tollendi obligationem, species sunt. Liberatur itaque quis ab obligatione, siue soluat, quod debuit, siue debitum eidem remittatur, siue feratur acceptum. Separantur autem *in rubris D. et C. h. t.* solutio ac liberatio, id quod ita erit interpretandum: De solutionibus, et reliquis modis tollendi obligationem.

§. DCCXXVI.

Confusio. Quoties ius, et eidem respondens obligatio in vna eademque persona concurrunt, toties CONFVSIO adesse dicitur (*).

(*) Sempronius Caio fratri suo C. ex mutuo debet; mortuo vero hoc, iste ab intestato huic succedit, heresque eius fit; heres vero succedit in omnia iura, omnesque obligationes defuncti, (§. *DXXI.*) E. et Sempronius successit in ius exigendi a seipso creditum C. idemque obligatus est ad soluendum debitum C. sibi ipsi, hocque modo ius atque obligatio in vna persona concurrunt,

seque

ſeque inuicem propterea tollunt, quaſi facta fuiſſet compenſatio. Vid *L. 50. D. de fideiuſſ. L. 95. §. 2. D de ſolut.* B. Dn. HEINECCIVS *Elem. iur ſec. ord. Pand. P. VII. §. 60.* CONFVSIONEM dicit: *Obligationis crediti, et iuris debiti in vnum coalitionem*, in qua, quod notem, non eſt, niſi vnicum coalitionis vocabulum, quod metaphoricum eſt.

§. DCCXXVII.

INTERIRE dicitur res, quando e ſtatu actualitatis in ſtatum poſſibilitatis deducitur (*). *Interire.*

(*) Vel dicas: Quae exiſtere deſiit, perinde erit. Res enim deſinit exiſtere, quoties e ſtatu actualitatis in ſtatum poſſibilitatis deducitur, h. e. quae realiter exiſtebat, nunc poſſibilis eſt. Cogites Titii aedes, eleganti forma exſtructas, in foro ſitas; et eas actu exiſtere cogitabis. Iam vero easdem incendio conſumtas tibi repraeſentes; non amplius adeſſe cogitabis. E. poſſibiles tantum erunt. Exiſtere namque Titii aedes, cogitari poteſt, nec contradictionem haec cogitatio inuoluit, licet actu iisdem careat Titius.

§. DCCXXVIII.

Declaratio ſe velle praeſtare, quod eſt in obligatione, OBLATIO; quae, ſi cum exhibitione rei obligatae, aut inſtrumenti ad praeſtandum factum coniuncta, REALIS (*); ſin minus, VERBALIS dicitur. *Oblatio; realis; verbalis.*

(*) Realis oblatio ſolemni modo fieri debet; res enim, quae erat in obligatione, v. g. pecunia, offerenda iudici, citato creditore, oblata obſignanda, priuatis licet ſignis, *L. 11. §. 3. D locat.* et demum in iudicio deponenda. *L. 19. C. de vſur.* Olim deponebatur apud aedem ſacram. Vid. CICERO *ad Attic. Lib. V. Ep. vlt.* Credebant enim Romani depoſitam pecuniam a Diis cuſtodiri, id quod vel exemplo EVCLIONIS, aurum ſuum apud fanum Fidei deponentis, probari poteſt; ita autem ille apud PLAVTVM *Aulul. Act. IIII. Sc. 2. v. 7. ſq.*:

Vide Fides, etiam atque etiam nunc ſaluam vt aulam abs te auferam.
Tuae fidei concredidi aurum: in tuo luco et fano modo ſitum eſt.

§. DCCXXVIIII.

Remissio. Renunciatio iuris exigendi creditum REMISSIO dicitur.

§. DCCXXX.

Lib. XLVI. T. 4. *Acceptilatio.* Stipulatio (a), qua verborum obligatio tollitur (b), ACCEPTILATIO (c) dicta.

(a) Acceptilatio fuit stipulatio; E. mediante interrogatione et responsione (§ DCCX.) facta. Debitor igitur, qui liberari voluit, creditorem, cui fuit obligatus, interrogauit: HABESNE ACCEPTVM, QVOD PER STIPVLATIONEM TIBI PROMISI? Creditor vero respondit: HABEO ACCEPTVMQVE FERO. Atque hac ratione exstinctum fuit ius creditoris, per propriam eius confessionem: Se debitum habere acceptum; adeoque vel MODESTINVS *L. 1. D. de acceptil.* fallit, putans acceptilationem esse *liberationem per mutuam interrogationem, qua vtrinsque contingit ab eodem nexu solutio.* In acceptilatione namque non mutua, sed vnica tantum fit interrogatio, nisi respexeris Aquilianam stipulationem. Neque vterque, sed solus debitor ab obligatione liberatur, creditor enim obligatus non erat, et stipulatio est contractus vnilateralis. Conf. VINNIVS *ad §. 1. I. quib. mod. toll. oblig.* HOTOMANNVS *Obs. iur. ciuil. Lib. IIII c. 18.*

(b) Quum nihil tam naturale sit, quam quod eodem modo, quo quid colligatum est, idem et dissoluatur; *L. 35. D. de diuers. regul. iur.* stipulatio, dum solemnibus verbis contracta erat, et dissoluenda solemnibus verbis. Hac ratione quum facta acceptilatio, sequitur eam fuisse actum legitimum. *L. 77. D. de R. I.*

(c) *Acceptum ferre* idem est, quod scribere, se accepisse. *L. 56. D. de administr. tutel.* Quilibet paterfamilias, commercio studens, tabulas habebat expensi atque accepti, de quibus dictum ad §. *CCCXI.* Si non haberet, argentariorum tabulis vtebatur. Quicquid creditum, tabulis expensi inscribebatur, id vero si solutum, aut remissum debitum, expuncto eo, in altera pagina, acceptum idem latum fuisse, notabatur. Docet hoc PLAVTVS *Cistellar. Act. I. Sc. 3. v. 40.*:

Nunc, quod reliquum est, volo persoluere,
Vt expungatur nomen, ne quid debeam.

§. DCCXXXI.

§. DCCXXXI.

Qui praestat id, quod ex sententia iudicis praestandum erat, IVDICATVM SOLVIT (a); qui securitatem praestat, futurum, vt condemnatus iudicatum soluat, DE IVDICATO SOLVENDO, seu IVDICATVM SOLVI CAVET (b).

Lib. XLVI. T. 7. *Iudicatum soluere; Cauere de iudicato soluendo. Iudicatum.*

(a) *Iudicatum* idem est, quod res iudicata, seu sententia, tacito partium litigantium consensu approbata. §. DCLV. *Soluere* vero idem est, quod *facere. L. 5. C. de reb. cred.* Iudicatum igitur soluere, notat facere id, quod iudex fieri voluit. Antiquiores vero Romanos id, quod recentiores dixerunt iudicatum soluere, dixisse: *Iudicatum facere*, nos docent XII. Tabb. disponentes: NI IVDICATVM FAXIT, SECVM DVCITO.

(b) Si reus ab alio in iudicio defendendus esset, aut constituisset procuratorem, opus erat cautione de iudicato soluendo, sententia namque erat ferenda in procuratorem et defensorem. *L. 1. C. de sent. ac interloc. L. 76. D. de procurat.* Fiebat autem haec cautio olim stipulatione, hodie vero fit satisdatione. Conf. §. CXX.

§. DCCXXXII.

RATIHABITIO est consensus in negotium sui gratia ab altero iam susceptum (a); Qui securitatem praestat eius, alterum consensurum in negotium a se iam susceptum, DE RATO CAVET (b).

Lib. XLVI. T. 8. *Ratihabitio; Cautio de rato.*

(a) Vid. KOEHLERVS in *Elem. iur. nat.* §. 1375.

(b) Procurator actoris, reique defensor in actione reali securitatem praestare tenebantur, actorem vel reum habiturum ratum, quicquid a se fuerit gestum. *L. 40. §. 2. D. de procurat.* Haec securitas plerumque praestabatur stipulatione. *L. 2. D. ratam rem hab.*

§. DCCXXXIII.

Lib. XLVII et XLVIII.

Ius criminale quum neque soleat, neque etiam curatius addisci possit ad ductum Digestorum, morisue potius in academiis sit, vt idem vel ad normam Constitutionis criminalis CAROLI V. vel duce auctore systematico, quos inter palmam omnibus praeripit Illustr. Dn. Io. SAM. FRID. BOEHMERVS, S. R. M. Pruss. a Consil. Aul. ac Antecess. Halens. Fautor ac Patronus summopere colendus, tradatur; definitiones criminalium rerum, hic omissas, Iurisprudentiae criminali definitiuae, propediem, si Deus vires ac otium concesserit, in lucem edendae, destinaui.

§. DCCXXXIIII.

Lib. XLVIIII. Tit. I. *Grauamen; iudiciale; extraiudiciale; Prouocatio; Appellatio; Appellans; Appellatus.*

Laesio, ex peruersa applicatione iuris ad factum orta, GRAVAMEN (a); si factum coram iudice fuit controuersum, IVDICIALE; sin minus, EXTRAIVDICIALE (b); Querela de grauamine illato, apud competentem iudicem, PROVOCATIO (c); Prouocatio ad superiorem APPELLATIO (d); prouocans, APPELLANS; ei contradicens, APPELLATVS (e) dicitur.

(a) Omne grauamen est laesio; est enim violatio τοῦ sui; Laedit vero me, qui mihi competere negat ius, v. g. exigendi a Caio C. dum idem mihi competit; E. grauamen mihi infert, dum ius facto peruerse applicauit.

(b) Iudicium est legitima controuersiae inter litigantes, coram iudice competente, disceptatio. §. CCX. *Iudiciale* igitur id dicendum, de quo inter plures coram iudice competente disceptatur; *extraiudiciale* vero, cui vel vnicus iudicialis character deficit, v. g. si res non controuersia, vel si disceptetur quidem de re, sed aut non coram iudice, aut saltim non competente. Distinctio iudicialis et extraiudicialis, maxime vero quoad praxin Supremi Cameralis Iudicii, nodus semper

Gordius

Gordius iis fuit, qui limina Augustissimi S. R. I. Tribunalis non salutarunt. Sed et aliis, praxi in eodem studentibus, difficile fuit ad distinctas notiones vtrumque terminum reuocare. Tentaui idipsum pro viribus meis, et fateor non inanem hic fuisse operam, quam olim philosophiae impendi; pattar autem aliquando scriniis meis excidere Commentationem, de *Limitibus processus Supremi Camerae Imperialis Iudicii extraiudicialis et iudicialis, deque vtriusque distincta notione.* Sed redeo ad grauamina iudicialia et extraiudicialia. Illorum species est v. g. quando iudex heredem negat, qui talis est, seque esse contra alium defendit, it. quando creditori, debitum verum C. thal. exigenti, addicit L. Horum vero, si quis v. g. incarceratus vel captus non iure sit. Conf. LYNCKER *de grauam. extraiud.*

(c) PROVOCARE licet in legibus Romanis nonnunquam denotet citare, vocare ad iudicem, *L. 13. sq. D. de in ius voc.* vsu tamen obtinuit, vt significet conqueri de grauamine illato, atque sic hoc vocabulum latius est appellatione. Conf. SCACCIAS *de appellat. qu. 1. n. 8.* et prae omnibus Ill. Dn. GEORGIVS LVDOVICVS BOEHMERVS, S. R. M. Brit. a Consil. ac Antecess. Goettingens. Fautor ac Patronus singulari adfectu colendus, in Opusc. *de Prouocationibus iuris Germanici.* Olim quidem prouocatio Romanis aliud quid denotauit, quod quidem hodie, atque separata fuit ab intercessione, ita, vt prouocatio esset appellatio a grauamine iudicis ad populum, vid. LIVIVS *Histor. Roman. Lib. X. cap. 9.* intercessio vero esset aduocatio in auxilium collegae eiusdem, qui reum capitis damnauerat. Vid. MANVTIVS *de Senat. Rom. c. 10.*

(d) Vt prouocatio omnem de grauamine illato querelam notabat; ita appellatio prouocationem ad superiorem, ob grauamen quodcunque, supponit. Hic enim verus appellationis character est, adeoque errauit SCACCIAS *de Appellat. qu. 1 n 8.* appellationem supponere iudicium sibi persuadens, quum tamen extraiudicialis appellatio expressa lege 1. §. 3. *D. quand. appell.* contineatur. Ita autem VLPIANVS c. l. *Solent plerumque Praesides remittere ad ordinem nominatum, vt Gaium Seium creent magistratum, vel alius quis honor, vel munus in eum conferatur. Verum igitur tunc appellandum est, cum ordo decretum inter-*

interposuerit: an vero a remissione, quam Praeses fecerit, appellatio sit interponenda? Et magis est, vt tunc sit appellandum, cum ordo decreuerit. Magis enim consilium dedisse Praeses videtur, quam ipse constituisse. Add. *L. 21. §. 2. D. de appellat.* Equidem negandum non est, appellationem Romanis idem olim fuisse, quod intercessio; vid. SIGONIVS *de ant. iur. prouinc. Lib. III. c. 10.* sufficit tamen adesse grauamen, idque resarciendum tollendumque probari a legibus. SELDENVS *de Synedr. vet. Ebraeor. Lib. III. c. 2.* APPELLATIONEM dixit *qualemcunque ab alio ad alium velut superiorem, seu dignitatis amplioris, ad controuersias ac difficultates soluendas, arbitrum prouocationem*, qui verbis parcere potuisset.

(e) APPELLATI vox canonici iuris Doctoribus frequens est, in legibus Romanis idem saepe dicitur *aduersarius. L. 3. pr.* et *L. f. D. de appell.*

§. DCCXXXV.

Appellatio iudicialis; extraiudicialis.

APPELLATIO ob grauamen iudiciale, IVDICIALIS; ob grauamen vero extraiudiciale, EXTRAIVDICIALIS dicitur (*).

(*) Vid. *§. praeced. not. b.* Con- et disconuenientiam appellationis iudicialis et extraiudicialis vid. apud LYNCKERVM *de grauamine extraiudic.* et V. C. FENNEBVM I. V. D. ac Imp. Cam. Aduoc. in Diss. *de appellatione extraiud. an imped. attentat. Cap. II.*

§. DCCXXXVI.

Iudex a quo; ad quem.

IVDEX, qui peruersa applicatione iuris ad factum grauamen intulit, A QVO; qui vero pro eo tollendo imploratur, AD QVEM (*) dicitur.

(*) Scilicet a quo et ad quem prouocamus.

§. DCCXXXVII.

Fatale; appellationis; interponendae et pro-

Spatium, intra quod ius aliquod exspirat, FATALE (a); Spatium vero, quo ius conquerendi apud iudicem superiorem de grauamine, peruersa

uersa iuris ad factum applicatione illato, exspirat, FATALE APPELLATIONIS (b); Spatium, quo ius declarandi se, se velle conqueri de grauamine illato, exspirat, FATALE INTERPONENDAE (c); Spatium, intra quod testimonium interpositae appellationis a iudice a quo petendum, FATALE PETENDORVM APOSTOLORVM (d); Spatium, intra quod ius, iudici ad quem grauamen eiusmodi exponendi, exspirat, FATALE INTRODVCENDAE (e); Spatium, intra quod ius probandi, grauamen tale sibi illatum esse exspirat, FATALE IVSTIFICANDAE (f), aliis vero FINIENDAE (g) APPELLATIONIS; Si, praetermisso temporis spatio, iure conquerendi de grauamine exclusus appellans est, FATALIA LAPSA dicuntur. *tendorum Apostolorum, introducendae; iustificandae; finiendae; fatalia lapsa.*

(a) *Fatum*, quod proprie diuinam prouidentiam denotat, plerumque mortem etiam vel interitum, maxime hominis, designare solet. FLORVS *Epitom. hist. Rom. Lib. III. c. 12. n. 42.* ita scribit: *Hic alterum ex Caesaribus nepotibus misit, ambo* FATO *breues.* IDEM *Lib. III. c. 9. n. 15.: Et quidem ad res famam veneno* FATA *praecepit;* it. *Lib. III. c. 21. n. 26.: Piget posthaec referre ludibrio habita* FATA *Carbonis,* FATA *Sorani Praetoris atque Venuleii.* Translate etiam de rerum interitu eodem verbo vtitur IDEM *l. c. Lib. III. cap. 9. n. 1.: Aderat* FATVM *insularum.* Maxime vero hanc metaphoram ciuilibus rebus accommodarunt ICti, iisdemque vitam tribuerunt ac mortem. Ita IMPERATOR IVSTINIANVS *L. 4. C. de tempor. appell.* APPIONI P. P. rescripsit: *Nemo arbitretur, imposterum licentiam futuram, suis consultationibus vltra statuti temporis* VIVENDI *spatia* etc. et in *L. 1. §. 1. C. de annal. except.* actionis personalis VITAM XXX. annos excedere noluit, atque in *pr. Instit. de perpet. et temporal. act.* eamdem VIVERE dixit IDEM. Simili ratione lis MORI dicitur in *L. 5. §. 1. D. quae in fraud. credit.* et *L. 2. D. iudic. solu.* Inde dies fatales, seu fatalia dicta tempora, quibus ius aliquod exspirat. Vid. *L. 2. C. de*

de appell. Alias etiam solemnia vocantur. *L. 11. C. de administr. tutel.*

(b) Fatalia E. appellationis spatium illud sunt, intra quod ius appellandi exspirat. Vid. *L. 1. C. de appell. L. f. C. vbi senat.* Dicuntur etiam dies temporales, *L. 32. C. de appellat* i. e. quae certo temporis spatio excluduntur. In determinando fatalium numero ICti non conueniunt, aliis quatuor, 1) interponendae, 2) petendorum Apostolorum, 3) introducendae et 4) iustificandae; aliis tria, 1) interponendae, 2) introducendae ac 3) prosequendae, admittentibus. Posterioribus subscripsere omnes fere Doctores R. I. Nouissimo antiquiores. Add. GAILIVS *Lib. I. obs. 119. n.* . Ipse vero *R. I. N. de 1654. §. 69.* quatuor fatalium meminit, 1) interponendae scilicet, 2) requisitionis actorum, 3) exhibitionis supplicis libelli pro impetrandis processibus, et 4) introducendae. In quantum hi inter se conueniant, videbimus notis sequentibus. Ordinationes tamen atque consuetudines iudiciorum inter se differunt.

Appellatio interponitur. (c) INTERPONI dicitur appellatio, quando, grauamine illato, grauatus declarat, se velle conqueri de eodem. Idipsum vero olim intra biduum in caussis propriis, *L. 1. §. 5 et f. L. 2. §. 1. D quand. appell.* in alienis vero intra triduum *L. 3. D. de appell. rec.* fieri oportebat, quod tempus dein in decendium mutatum est. *Nou. XXIII. c. 1.* Hodie aut appellatio interponitur viua voce et stante pede, aut ex interuallo, in scriptis. Vtrumque appellantis arbitrio relictum est, modo exceperis appellationem 1) ab interloquutoria simplici; hanc enim nisi in scriptis atque allegatis grauaminibus proposueris, frustra prouocabis. *c. . de appell. in 6. C. O. C. P. II. Tit. 3. §. 3.* MEVIVS *Part. I. Decis. 7. n. vlt.* MVNSINGER *Obseru. Cam. Cent III. obs. 15. n. 5.* De appellatione ab interloquutoria plenius aliquando ex praxi Supremorum Imperii Tribunalium differam. 2) a sententia competentiae, i. e. qua exceptio fori non competentis reiecta. Vid. *C. O. C Part. II. Tit. 32. §. 4* Quodsi viua voce appellare quis velit, id faciat in continenti, iudice adhuc pro tribunali sedente, et idipsum dicitur stante pede, i. e. antequam loco cesserit grauatus, appellare. In continenti si appellatum non fuerit, idem in scriptis expediri poterit, *L. 1. §. f. et L. 2. D.*

D. quand. appell. cui negotio decendium praefixum, *Nou. XXIII c. 1.* quod ratione initii vtile est, i. e. computatur a momento scientiae grauaminis, *L. 1. §. 7. D. quand. appell. c. 8. de appell. in 6.* nisi procurator apud acta fuerit constitutus, *L. 1. § 1. D. quand. appell.* GAILIVS *Lib. 1. obs. 159. n. 8.* ratione vero durationis continuum est, et de momento in momentum currit, *L. 1 C. de feriis,* ita quidem, vt si v. g. calend. Maii hora 2. pomeridiana sententia lata sit, ius appellandi exspiret hora 2. post meridiem XI. Maii. Hinc in supr. camerali iudicio decretum aliquando: Noch zur Zeit abgeschlagen; Würde aber Supplicant horam decreti a quo bemercken, soll ferner ergehen, was Recht ist.

(d) Apostolorum definitionem habes §. *DCCXLV.* qui petendi intra XXX. dies, post latam sententiam, aut scientiam, si procurator apud acta constitutus non fuerit. *L. 24. C. de appell.* Hodie vero, maxime ex praxi Summorum Imperii Tribunalium, necessitas petendorum Apostolorum appellantibus est remissa, vid. *C. O. C. Part. II. tit. 35. pr. O. C. de Ann. 555. Part. II. tit. 30. §. 1.* eorum tamen loco intra trigesimum acta prioris instantiae appellans requirere a iudice a quo tenetur. *C. O. C. Part. II. tit. 31. pr. R. I. N. §. 61.*

(e) INTRODVCIT appellationem, qui coram iudice superiori de grauamine, illato sibi, conqueritur. Tempus, intra quod introducenda appellatio, olim varium fuit, vt videre est ex *tit. C.* et maxime *§. f. de temporib. appell.* In Aug. S. R. I. Architribunali, Camerae Imperialis axiomate inclyto, duplex appellationis datur introductio, extraiudicialis altera, altera iudicialis. Prior fit per exhibitionem supplicis libelli pro processibus appellationis, ad cuius narrata et probata aut recipitur appellatio aut denegantur processus per decretum extraiudiciale. Exhibendus autem supplex, quem dixi, libellus intra quadrimestre spatium a tempore latae sententiae, vel scientiae, pro re nata. *R. I. N. §. 67.* Fallunt E. plerumque ICti ac Aduocati exteri, errarunt etiam hunc errorem pragmaticorum antesignani LAVTERBACHIVS, BRVNNEMANNVS, STRYCKIVS in suis scriptis passim, sibi ac aliis persuadentes, fatale introducendae in hoc Aug. Tribunali appellationis esse semestre spatium, decepti *C. O. C. P. II. Tit. 33. §. 1.* verb.:

Appellationem intra-[...]re.

So

So soll demnach der Appellant - - - - die 6. Monat haben, solche seine Appellation obgemeldter Massen am Cammer-Gericht anhängig zu machen, quem locum interpretati sunt Status Imperii *R. I. N. §. 67.* ita quidem, vt quatuor menses praefixi sint introductioni extraiudiciali, duo vero dein introductioni iudiciali appellationis. Iudicialis autem introductio fit in publica audientia, reproductione insinuatorum appellationis processuum.

(f) Hoc fatale in quibusdam iudiciis, v. g. Brunsuico-Lüneburgicis, post introductam appellationem arctat appellantem, vt grauamina sua deducat, eademque probet; in aliis vero tempus denotat olimque denotauit, intra quod absoluenda omnis appellationis instantia.

(g) Appellationis instantia olim exspirabat anno, aut, si legitime impeditus esset appellans, biennio. *Auth. Ea qui etc. et L. f. §. 4. C. de recip. appell.* Hoc tamen contraria consuetudine abrogatum est, neque in Supremis S. R. I. Tribunalibus amplius obseruatur. GAILIVS *L. I. obs. 147. n. 7.*

§. DCCXXXVIII.

Solemnia appellationis; Iusiurandum appellationis; Pecunia succumbentiae.

Externa quaecunque, grauamen ipsum non respicientia, ab appellante in securitatem, ne temere appellarum, praestanda, SOLEMNIA APPELLATIONIS (a) dicuntur. IVSIVRANDVM, de non temere appellando, APPELLATIONIS (b); Quantitas in iudicio eum in finem deposita, vt, si prouocatio temeraria reperiatur, poenae loco fisco cedat, PECVNIA SVCCVMBENTIAE (c) vocatur.

(a) Solemnia appellationum et prouocationum in genere neque naturali neque ciuili iure nituntur, sed vel consuetudini, vel legi prouinciali, vel denique priuilegiis de non appellando Caesareis debentur. Equidem solemnium prouocationis mentio fit in *L. 10. §. 1. D. de appell. L. 11. C. de administr. tutel.* verum, si curatius attenderis ad ea, quae ibidem proponuntur, perspicies, agi ibidem de fatalibus, quae nonnunquam solemnia dici

dici asserui §. *praec. not.* (*a*). Recepta autem solemnia varia, pro diuersitate iudiciorum, in quibus recepta. Ita in iudiciis inferioribus Ducatus Holsatiae, puta Ding und Recht ciuitatum, coenobiorum, praefecturarum etc. appellans pro facultate appellandi soluit pecuniam, quae interdum 24. solidis, interdum Ioachimica valet, atque dicitur der Appellations-Schilling, vel das Schottsmaal. Maxime vero frequentia solemnia sunt 1) iusiurandum, 2) cautio de iudicio sisti ac iudicatum solui, et 3) pecunia succumbentiae.

(b) Iusiurandum E. appellationis iurisiurandi calumniae species est, vid. *R. I. N.* §. ... *et* 118. licet in accidentalibus ab eodem differat; quod docuere FVCHS *de solemnib. appell. Cap. IIII Sect. I. Art. I. n.* .. RODING *Pand. cameral. Lib. III. Tit.* 30 V. C. KOENIG *de iuram. appellat. Cap. I.* §. 21 formulam vid. in C. O. C. *Part.* 3. *Tit.* 38. *in f.* Iurat namque appellans, 1) se causae suae confidere; 2) se interrogatum non celaturum veritatem, 3) se probationibus falsis non vsurum, 4) se ab appellato superfluas probationes non exacturum, 5) se corrumpendi gratia nil daturum, 6) se litem non protracturum, 7) se eam derelicturum, quamprimum animaduerterit, caussam suam non esse iustam. Exigitur idem a iudice ad quem, quum deuolutio appellationis ad superioritatis iura pertineat; GAILIVS *de Arrest. c.* . *n* 14. iusiurandum vero appellatio. is appellandi licentiam restringat, nisi priuilegium habeat iudex a quo. Vid. *R. I. N.* §. 117. *et* 118.

(c) Receptum est in nonnullis iudiciis, vt loco cautionis ab appellante de iudicio sisti ac iudicato soluendo praestandae sec. *R. I. N.* §. 11 . vel praeter eam, certa pecunia eum in finem deponatur, vt si causa ceciderit prouocans, eadem fisco cedat, quae ab eo, quod succumbens eam soluat, *succumbentiae* dicitur. Vid. B. Dn. HEINECCIVS *in Diss. de pecunia, in casum. si causa ceciderint, ab appellantibus, aliisque remedio vtentibus, deponenda.* Originem haec pecuniae succumbentiae depositio traxisse videtur ex antiquo Sacramentorum apud veteres Romanos ritu. Erat autem SACRAMENTVM certa pecuniae summa, quam vterque litigantium deponebat, hunc in finem, vt, qui victor abiret, suam reciperet, victi vero committeretur. VARRO *de Lat. lingu. Lib. IIII. c.* 36.

c. 36. ita rem exponit: *Ea pecunia, quae in iudicium venit in litibus, sacramentum a sacro. Qui petebat et qui inficiabatur de aliis rebus vterque quingenos aeris ad pontem deponebant de aliis rebus item certo alio legitimo numero assium. Qui iudicio vicerat, suum sacramentum a sacro auferebat, victi ad aerarium redibat.* Litigantes vero se inuicem prouocabant, altero interrogante: QVANDO NEGAS v. g. AEDES ESSE MEAS, SACRAMENTO QVINQVAGENARIO TE PROVOCO. SPONDESNE, SI MEAE SINT? altero vero respondente: SPONDEO, SI TVAE SINT. Iam inuersa oratione respondens prior interrogabat priorem interrogantem: ET TV SPONDESNE QVINGENTOS, NI TVAE SINT? ad quae alter: SPONDEO, NI MEAE SINT. Quo facto, pecunia quingentorum aeris deponebatur apud Pontificem, et hoc VARRO *c. l.* dicit *apud pontem.* Pontifex enim dictus a ponte Sublicio, cuius reficiendi cura ipsis incumbebat. Vid. LIVIVS *Histor. Rom. Lib. X. c. 6.* Conf. SIGONIVS *de antiqu. iud. pop. Rom.* Victi vero summa aerario cedebat, in vsum sacrificiorum adhibenda, vnde sacramenti nomen huic pecuniae haesit. FESTVS *de verb. signif. voc. Sacramentum.* Huc pertinet egregia CICERONIS ad VOLVMNIVM allusio *Lib. VII. ep. 32. i Pugna, si me amas, nisi acuta ἀμφιβολία, nisi elegans ὑπερβολή, nisi παράγραμμα bellum, nisi ridiculum παρὰ προσδοκίαν, nisi cetera, quae sunt a me in secundo libro de Oratore per Antonii personam disputata de ridiculis, ἔντεχνα et arguta apparebunt, vt* SACRAMENTO *contendas, mea non esse.* Conf. TACITVS *Annal. Lib. XIIII. c. 28.*

§. DCCXXXVIIII.

Summa appellabilis.

Quantitas, ad quam grauamen illatum computatur, SVMMA APPELLABILIS (*) dicitur.

(*) Non quodlibet grauamen querelae, ad superiorem iudicem deducendae, obiectum est; refraenanda fuit litigantium temeritas, adeoque iis certa quantitas determinanda fuit, infra quam facultas appellandi ipsis non competeret. Ea, pro diuersitate iudiciorum, iterum diuersa est. Dicam saltim de praxi Supremi Archidicasterii Cameralis, cuius Ordinatio lex Imperii, omnium

omniumque inferiorum iudiciorum norma iure est. Erat autem summa appellabilis olim 50. flor. Rhen. Vid. *Ord. Cam. de 1521. art. 14. Ord. Cam. de 1555. Tit. 28. §. 4.* Postea per *Rec. Imp. de 1570. §. 66.* eadem ad 150. flor. Rhen. et per *Rec. Deput. Spirens. de 1600. §. 11* ad 300. flor. Rhen. denique vero per *R. I. N. §. 11* . ad 600. flor. Rhen. in reditibus vero annuis ad 16. thal. redacta fuit. In computanda autem hac summa in diuersa abiere ICti; aliis, quos inter GAILIVS *Lib. I obs. 123. n. 3.* quantum in libello petitum, attendi, aliis aliter sententientibus. Sed omnem scrupulum iis exemit Aug collegium, Camerali Decreto generali, 1603. decernendo summam grauaminis, i. e. eam, in qua appellans laesus est, attendendam esse, idemque per Conclusum pleni probatum docuit; Generalia autem decreta per nouissimae Visitationis Decretum d. 27. Nou. 1713. legis valorem accepere.

§. DCCXL.

Epistola, qua appellans iudicem a quo certiorem facit, se conquesturum esse de grauamine sibi illato, SCHEDVLA APPELLATIONIS; Scriptura vero, in memoriam ac probationem interpositae legitime appellationis confecta, INSTRVMENTVM APPELLATIONIS (*) audit. *Schedula et instrumentum appellationis.*

(*) Appellaturo in scriptis duplex intra decendium via patet, aut enim iudici a quo per litteras significandi, grauamen sibi illatum, seque ab eodem prouocaturum ad superiorem, et haec appellatur schedula appellationis; aut coram Notario et testibus declarare, se grauatum sententia iudicis, superioremque appellare. Hoc casu in memoriam et probationem rite interpositae appellationis Instrumentum a Notario conficitur, iudici ad quem exhibendum, et hoc vocatur appellationis. Vid. *C. O. C. Part. II. Tit. 32. §. 6.*

§ DCCXLI.

Mandatum iudicis ad quem, ad iudicem a quo et appellatum directum, de non mutando statu *Inhibitio; Compulsoriales; Pro-*

cessus appellationis pleni; minus pleni. praesenti litis, INHIBITIO; Mandatum eiusdem ad iudicem a quo, de edendis sibi actis prioris instantiae, COMPVLSORIALES (a); Inhibitio et compulsoriales cum citatione appellati, eiusque aduocati, PROCESSVS APPELLATIONIS PLENI (b); si vero aliquid horum deficit, MINVS PLENI (c) dicuntur.

(a) Dicuntur ab eo, quod iudex superior inferiorem compellat ad edenda acta. *L. 1. C. de edend.* in qua ita dispositum: *Is, apud quem res agitur, acta publica, tam ciuilia, quam criminalia, inspicienda, ad inuestigandam veritatis fidem, exhibebit.* Hoc vero quum iudex a quo ex officio facere hodie teneatur, negligens adipsum Mandato S. C. et sub poena XX. Marc. auri puri ad id adstringitur. *C. O. C. P. II Tit. 34. §. 11.* Huic si debitam obedientiam non praestiterit, vlterius Mandatum S. C. vlteriorum compulsorialium nomine celebre, decernitur, huicque inseritur citatio ad videndum se incidisse in poenam simplicibus compulsorialibus insertam, iamque gratuita actorum editio eidem imperatur. Si neque his paruerit, olim arctiores, sub poena banni, illos sequuti sunt.

(b) Processus vocabulum iis accommodatur scriptis, quae nomine iudicis, in Supremis vero Imperii Tribunalibus, Imperatoris, ad eos, qui iurisdictioni eorum parent, diriguntur.

(c) V. g. Compulsoriales in appellatione extraiudiciali locum non inueniunt, acta enim non adsunt; Inhibitio in caussis alimentorum, cambiorum, it. si appellatus ante appellationem in possessione rei litigiosae fuerit, cessant. Vid. *R. I. d. 1594. §. Die Inhibitiones etc.*

§. DCCXLII.

Attentata; reuocare eadem. Mutatio status litis, qui fuerat tempore appellationis interpositae, a iudice, vel litigantibus facta, ATTENTATORVM nomine venit. Sublata mutatione, rem in eum statum, quo fuerat tempore appellationis interpositae, restituere, REVOCARE ATTENTATA dicimus (*).

(*) *Atten-*

(*) *Attentare* generatim conatum turbandi aliquem in poſſeſſione, *L. 5. C. de Epiſc. ac cleric.* it. actum turbatiuum denotat. *c. 5. et 1. 1. X. ne lit pend.* Iudex, deferendo appellationi, abdicat ſe iuriſdictioni hoc in caſu, adeoque incompetens fit, hinc, ſi nihilominus actum iuriſdictionis contentioſae exercuerit, v. g. ſententiam a qua executioni mandauerit, attentat idem. In Supremo vero Archidicaſterio Camerali ſiue detulerit appellationi iudex inferior, ſiue minus, abſtinere ab omni cognitione debet, quoties ad Aug. hoc iudicium querela delata eſt, ſecus ſi fecerit, attentatum committit. *C. O. C. P. III. Tit. 37. §. 1.* Litigantes vero attentant, ſtatum poſſeſſionis litigioſae rei mutando, v. g. fructus in loco controuerſo colligendo, penſiones exigendo, in quarum exigendarum poſſeſſione non eſt exigens. Tertius non attentat, quum res inter alios acta aliis non praeiudicet. Vid. GAILIVS *Lib. I. obſ. 72. n. 6.*

§. DCCXLIII.

Quoties appellatus declarat, ſe velle pariter de grauamine ſibi illato apud ſuperiorem conqueri, appellationi ADHAERERE dicitur; ADHAESIO igitur eſt querelae appellati cum querela appellantis coniunctio (*). *Adhaeſio.*

(*) Appellatione ab appellante interpoſita, appellato licet grauamina ſua, ſi quae habet, cum grauaminibus appellantis cumulare, *L. 38. C. de appellat.* modo id faciat intra decendium. Fieri vero poteſt, vt vtraque pars ſe grauatam exiſtimet. V. g. Caius vindicat praedium, quod ſuum dicit, a Seio, quem malae fidei poſſeſſorem nominat. Iudex Caio praedium addicit, Seioque imperat, vt reſtituat idem, fructuum ratione non habita. Grauatum hac iudicis ſententia ſe ſentit Seius, praedium ſuum eſſe conſtanter aſſerens, defendensque falſis probationibus vſum actorem, iudicemque male pronunciaſſe, proindeque ſuperiorem appellat. Sed et Caius eadem ſententia grauatum ſe cenſet, aſſeritque praedium quidem bene ipſi adiudicatum, ſed et inſuper adiudicandos fuiſſe fructus, tam perceptos, quam percipiendos, vt *L. 22. C. de rei vindic.* ſimilique ratione ad ſuperiorem prouocat. Caius igitur appellationi Seii adhaeſit.

§. DCCXLIIII.

Causa efficiens, Effectus, suspensiuus; deuolutiuus.

CAVSA EFFICIENS est principium, cuius actio est ratio sufficiens existentiae alterius; EFFECTVS vero dicitur, quicquid rationem existentiae suae in actione caussae habet. Appellatio, dum impedit iudicem a quo, quo minus sententiam a se prolatam executioni mandet, EFFECTV SVSPENSIVO (*); dum vero cognitionem de grauamine ad superiorem iudicem transfert, EFFECTV DEVOLVTIVO gaudere dicitur.

(*) Appellationem suspendere executionem docet *L. 3. §. 3. C. de appellat.*

§. DCCXLV.

Apostoli, s. Libelli dimissorii.

Litterae ad iudicem ad quem, de interposita appellatione (a), APOSTOLORVM (b), it. LIBELLORVM (c), aut LITTERARVM DIMISSORIARVM (d) nomine veniunt.

(a) Apostoli alias litteras notabant, quas Episcopus ad alium Episcopum dabat, de recipiendis clericis peregrinantibus, vid. du FRESNE *Gloss. voc. Apostoli*; hic vero pro litteris, seu libellis appellatoriis, vt vocantur in *L. . in f. et L. . §. f. D. de appell.* h. e. talibus, quibus maxime iudex inferior, interdum etiam Notarius, aut appellatus, vid. §. seq. superiori nunciat, appellatum esse. Ita namque MARCIANVS *L. vn. D. de libell. dimiss.* scribit: *Post appellationem interpositam litterae dandae sunt ab eo, a quo appellatum est, ad eum, qui de appellatione cogniturus est, siue principem, siue quem alium, quas* LITTERAS DIMISSORIAS, *seu* APOSTOLOS *nominant.* In his enim iudex inferior superiorem certiorem facit de appellatione interposita; in hunc namque modum IMPP. VALENTINIANVS ac VALENS Ordini ciuitatis Carthaginensis *L. 14. C. de appellat.* rescribunt: *Iudicibus non solum appellationis suscipiendae necessitas videtur imposita, verum etiam triginta dierum spatia ex die sententiae definita sunt, intra quae gesta, vna cum relatione, litigatoribus conuenit praestari,*

et

et clarius idipsum proponit MARCIANVS *cit. L. vn. D. de libell. dimissor. Sensus autem litterarum talis est: Appellasse (puta) Lucium Titium a sententia illius, quae inter illos dicta est.*

(b) APOSTOLI dicuntur a Graeca voce ἀποστέλλειν, i. e. mittere; vnde et Latino nomine Libelli litterae dimissoriae dicuntur. Vid. not. seq.

(c) Vid. *rubr. Tit. D. de libell. dimissor.*

(d) MODESTINVS in *L. 106. de verb. signif.* scribit: DIMISSORIAE LITTERAE dicuntur, quae vulgo Apostoli dicuntur: Dimissoriae autem dictae, quod causa ad eum, qui appellatus est, dimittatur. Formulam earum vid. in *c. 31. C. 2. qu. 6.*

§. DCCXLVI.

APOSTOLI, quibus iudex a quo testatur, se in honorem superioris appellationi detulisse, REVERENTIALES (a); quibus idem grauamen appellantis conuellit, REFVTATORII (b); quibus grauamen illatum reuocat, RESTITVTORII (c); quibus Notarius interpositam appellationem testatur, TESTIMONIALES; quibus appellatus idem testatur, CONVENTIONALES dicuntur (d). *Apostoli reuerentiales; refutatorii; restitutorii; testimoniales; conuentionales.*

(a) Vid. *c. 1. de appellat. in 6.*

(b) Vid. *L. f. §. 1. C. de appell. et L. 6. pr. D. de appell. recip. L. 6. §. 3. L. 18. et 19. C. de appellat.*

(c) Vid. *c. 60. X. de appellat.*

(d) Vid. *c. f. X. de appellat.* Formulas perlustrare si percupis, eas tibi suppeditabit larga quidem manu VOLCKMANNVS commune practicorum oraculum.

§. DCCXLVII.

Propositio, continens querelam appellantis de iis, per quae se laesum existimat, LIBELLVS GRAVAMINIS dicitur (*). *Libellus grauaminis.*

(*) *Libelli* definitionem vid. §. CXXXVI. *Grauaminis* vero § DCCXXIIII. Ex his componitur definitio LIBELLI GRAVAMINIS. Is autem primo formalia, dein materialia appellationis defendit. Prius in Aug. Camerae Imperialis Iudicio expedit appellantis procurator in supplici libello pro concedendis processibus appellationis, posterius vero in libello grauaminis, idque recensendo factum, grauamina, cum expositione eorumdem ac vindicatione iuris sui, cui additur denique petitum congruum, sententiae reformandae.

§. DCCXLVIII.

Desertio appellationis. Qui appellationem interpositam vel plane non, vel non legitime (a) persequitur, eam DESERERE (b) dicitur. DESERTIO E. est exclusio iuris appellandi ob non continuatam legitime querelam de grauamine illato.

(a) Paria in iure existimantur non factum et non legitime factum. *L. . D. qui satisd. cog.* Legitimum vero dicitur id, quod legibus conforme. Leges vero in appellationibus exigunt certa solemnia (§. DCCXXVIII.), constituunt tempora, intra quae negotia expedienda (§ DCCXXXVII.), iis E. non attentis appellatio redditur deserta. V. g. Si ab appellante acta intra trigesimum non requirantur, *R. I. N §. 6* . si iusiurandum appellationis in termino reproductionis non praestitum, §. 118 *R. I. N.*

(b) *Deserere* est omittere, siue scienter *L. 10. D. de iud.* siue negligentia, vt si quis fatalia labi sinat, non vero dolo deceptus aut errans. Ita namque PAVLVS *L. 21. D. de inoff. testam.* eum, qui, dolo heredis scripti circumuentus, a querela inofficiosi destitit, deseruisse hanc dici non posse, docet.

§. DCCXLVIIII.

Sententia desertionis; non deuolutionis. Determinatio iudicis ad quem, iure conquerendi de grauamine illato exclusum esse grauatum, SENTENTIA DESERTIONIS (a); Determinatio vero iudicis eiusdem, ius cognoscendi

scendi de grauaminibus sibi in praesenti casu non competere, sententia NON DEVOLVTIONIS (b) dicitur.

(a) Vid. §. praeced. Hinc formula: Daß die Sache, als desert, nicht angenommen.

(b) Vid. §. DCCXLIIII. Formula eiusdem est: Daß die Sache an dieses (höchste) Gericht nicht erwachsen; dannenhero an Richtere voriger Instanz, denen Rechten nach, zu remittiren. In sententia desertionis remissionis ad iudicem priorem mentio nulla fit. In Aug. Camerali Iudicio tamen praeiudicium huius non vnicum habemus. Secundum eiusdem stilum enim remissio quandoque expresse, quandoque vero tacite fit. Hoc perspiciens RODINGIVS *in Pandect. cameral.* hac distinctione vsus est, scilicet, quoties iudici inferiori inhibitum, toties, appellatione deserta, causam remitti, non remitti, quoties nulla facta inhibitio. Sed obstat huic praeiudicium sententiae desertionis in causa de MERODE contra communitatem de VILLIERS, in qua, inhibitione facta et postmodum deserta appellatione, d. 2. Apr. MDCCI. pronunciata sententia desertoria, nulla remissionis mentione iniecta.

§. DCCL.

Omne, ea propter, quod legibus aduersum, corruens, NVLLVM (a) dicitur. NVLLITAS igitur est qualitas facti, qua illud vt legibus aduersum corruit; Quodsi factum ita emendari possit, vt legibus ex postfacto respondeat, nullitas dicitur SANABILIS (b); sin minus, INSANABILIS (c). *Nullum; Nullitas; sanabilis; insanabilis.*

(a) IMPP. THEODOSIVS et VALENTINIANVS hoc perspicue exponunt in *L. 5. C. de legib.* disponentes: *Ea, quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum* INVTILIA, *sed pro* INFECTIS *habeantur, licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit: Inutilia esse debere, quod factum est; Sed etsi quid fuerit subsecutum ex eo, vel ob id, quod interdicente lege factum est, illud quoque* CASSVM *ac* INVTILE *esse praecipimus.* W. Iunge Io. STEPH. PÜTTERI progr. *de theoria nullitatis.* S.

(b) Sanabilis nullitas emendari ac corrigi, damnumque per eam datum reparari potest. V. g. si contra ius in thesi pronunciatum; id enim in secunda instantia reparari potest. Et hae nullitates propterea etiam iniquitates dicuntur. *R. I. N. §. 121.*

(c) Nullitas insanabilis corrigi non potest; oritur enim ex defectu in persona iudicante, litigantium, ac in processus substantialibus. V. g. si iudex fuerit incompetens, *L. 1. et f. C. si a non compet. iud. iudic.* si sententia feratur in non citatum, *L. 1. §. 1. D. quae sent. sin. appell. rescind.* si lis non contestata sit. *L. 4. C. de sentent.*

§. DCCLI.

Querela nullitatis. Allegatio nullitatis, a iudice inferiori commissae, iudici superiori eum in finem facta, vt idem grauamen illatum tollat, QVERELA NVLLITATIS dicitur.

§. DCCLII.

Restitutio in integrum. Reductio causae in statum, quo ante sententiam grauantem fuit, ob noua instrumenta, RESTITVTIO IN INTEGRVM dicitur (*).

(*) Ius Romanum restitutionem aduersus sententias ignorat, excepta restitutione ob aetatem et statum. Id te docebit *t. t. C. si aduers. rem iudic.* Conceditur vero restitutio aduersus sententias de iure Germanico non nisi ex nouis instrumentis. Noua autem dicuntur, quae antea in iudicio non allegata sunt. *C. O. C. P. III. Tit. 63. pr.* Inde procurator nomine principalis sui ac Aduocati iurare debet, cognita sibi ea, quae in vim probandi producit, vel non fuisse instrumenta, vel cognita quidem, se tamen vsum eorum latuisse. Vid. *Decret. gen. Supr. Archidicast. Cameral. d. 2. Iul. 1669. et d. 7. Iul. 1671.* W. Differentiam restitutionis in integrum Romanae ac Germanicae et vtriusque indolem egregie ostendit Io. Frid. Wahl 2. progr. 1) *de restitutione in integrum maiorum aduersus rem iudicatam.* 2) *de vsu restitutionis in integrum praetoriae in iudiciis Germ.* Goett. 1751. S.

§. DCCLIII.

Iterata eorum, quae in iudicio in scriptis disceptata sunt (a), perlustratio, ob allegatam iudicis incuriam, REVISIO ACTORVM (b) dicitur. *Reuisio actorum.*

(a) Complexus enim eorum, quae in iudicio in scriptis disputata sunt, *Actorum* nomine venit. *Acta.*

(b) Conf. *C. O. C. P. III. Tit. 63.* Reuisio E. supponit iudicis, sententiam ferentis, incuriam. Adeoque alii, qui sententiam non tulit, acta reuidenda traduntur. W. Conf. IVST. C. L. DE SCHELLWITZ *de remedio reuisionis ex legibus Imperii et praxi Camerae Imp.* Goett. 1760.

§. DCCLIIII.

Iteratae perlustrationis actorum petitio, ob dolum iudicis, sententiam ferentis, ACTIO SYNDICATVS dicitur (*). *Actio Syndicatus.*

(*) Iudex ex imperitia male iudicans litem suam facere dicitur *pr. I. de oblig. quae quasi ex delict. nasc. L. 15. pr. D. de iudic.* et laeso tenebatur ad id, quod eius interat. Idem, si insuper dolo corruptus id fecerit, obtinet. *C. O. C. P. III. Tit. 63. §. 14.* Conf. Ill. Dn. BOEHMERVS in *Diss. de remedio syndicatus, aduers. sent. Summ. Imp. Tribunal.*

§. DCCLV.

SVPPLICATIO nil aliud est, quam reuisio, supplici libello petita (*). *Supplicatio.*

(*) Supplicatio, quae supplici libello ab Imperatore petitur, in Iudicio Imperiali Aulico loco reuisionis, in Iudicio Camerali vsitatae, introducta. Vid. *Instr. Pac. Westphal. art. V. §. 54. 55.* Eius vestigia habes in *L. 5. C. de precib. Imp. offerend.* et *L. vn. C. de sent. Praefect. Praet.*

§. DCCLVI.

Remissiones causarum ad superiorem (a) ob ius dubium (b), RELATIONES (c) dicebantur (d). *Relatio.*

(a) Siue

(a) Siue iudex is fuerit, quod olim obtinuit, *L. 79. D. de iudic.* siue princeps, quod nouiori iure inualuit. *L. 1. 2. et 3. C. de relat.*

(b) VLPIANVS *L. 79. §. 1. D. de iudic.* scribit: *Iudicibus de iure dubitantibus Praesides respondere solent.*

(c) Dicuntur etiam Consultationes *L. 1. C. de relat.* Olim tales relationes fiebant ad Senatum a Consulibus et ex priuilegio Imperatoribus primi seculi id competiit. Vid. LIPSIVS ad TACITI *annal. Lib. XV. c. 25.*

(d) Hodie ius dubium authentice interpretantur Status Imperii, proindeque, si dubium aliquod oriatur, solet recurri ad comitia Imperii. Hoc factum Anno MDCCIII. in causa Comitis DE PÖTTINGEN et KIRCHBERG contra Principem SALMENSEM. Recurrebatur ad comitia Imperii, atque interpretatio *C. O. C. P. II. Tit. 7.* petebatur. Alia exempla vid. apud MOSERVM von dem *Recursu ad Comitia*, it. DECKHERRVM *Consil. forens. L. I. c. 31. n. 13. p. 160.*

§. DCCLVII.

Lib. XLVIIII. T. 14. *Fiscus; Aerarium; Procurator fisci, s. Fiscalis.*

Patrimonium principis (a), FISCVS (b); reipublicae, AERARIVM (c); qui fisci curam gerit, PROCVRATOR FISCI, f. FISCALIS (d) dicitur.

(a) Patrimonium supra §. DCXXIIII. dixi complexum rerum, titulo dominii ad aliquem spectantium. Fiscus igitur complectitur omnia, quae in dominio principis, non eminenti, sed speciali sunt, vtpote hereditates, donata ipsi, bona caduca, etc. de quorum origine eleganter disserit GVNDLINGIVS Πρωτ. *Tit. de Offic. Proc. Caes. §. 4. sq.* Inde est, quod VLPIANVS *L. 1. §. 4. D. ne quid in loc. publ.* res fiscales *quasi proprias et priuatas principis* vocet, fiscoque interdum epitheton priuati addatur. Vid. SPARTIANVS *vit. Hadriani c. 7.* W. Non satis accurate AVCTOR fiscum et patrimonium Principis definiuit. *Fiscus* est complexus redituum, Principi, qua tali, competentium; *Patrimonium Principis* autem est complexus bonorum Principi, qua priuato, competentium. ANDR. FLOR. RIVINVS *de bonis Principis patrimonialibus.* Vit. 1737. *Elem.* mea *antiqu. iur. Rom. §. 398.* S.

(b) *Fiscum*

(b) *Fiscum* a fissis, seu viminibus (erat sportellae genus), quibus pecunia asseruabatur olim, dictum fuisse, testes sunt ASCONIVS PAEDIANVS in *Verrin. II.* FESTVS *Lib. XV. voc. Fiscus*, ISIDORVS *Etymol. Lib. VII c. 19.* SVETONIVS in *vita Claudii c. 18.* *Positis ante se cum pecunia* FISSIS scribens. Vid. SPELMANN *Glossar. voc. Fiscus.* Differebant autem a sportellis fissi in eo, quod hi maiori pecuniae numero asseruando inseruirent, vid. ASCONIVS PAEDIANVS *all. loc.* illae minori. Hinc PLAVTVS *Maenechm. Act. I. Sc. 4. pr.*

SPORTVLAM *cape, atque argentum, atque obsonium affer.*

(c) AERARIVM ab aere dici liquet. Erat autem receptaculum pecuniae ad populum spectantis. Initio quidem, et statu reipublicae Romanae libero, reditus omnes aerario illati fuerunt, sub Imperatoribus vero aerarii ac fisci distincta fuit ratio, hoc ad Caesarem, illo ad populum spectante. Docet hoc PLINIVS *Panegyr. ad Traian. c. 36.* dicens: *Fortasse non eadem securitate* FISCVM, *qua* AERARIVM *cohibes, immo tanto maiore, quod plus tibi licere de* TVO (fisco scilicet), *quam de* PVBLICO (puta aerario) *credis.* Idem confirmat SPARTIANVS in *vit. Hadriani c. 7.* scribens: *Damnatorum bona in* FISCVM PRIVATVM *redigi vetuit, omni summa in* AERARIO PVBLICO *recepta.* Et TACITVS *Annal. Lib. V. bona Seiani ablata* AERARIO, *vt in* FISCVM *redigerentur*, refert. Confusa vero post haec duo ita sunt, vt DIO CASSIVS Seculi III. scriptor *Hist. Rom. Lib. LIII. p. 511.* fateatur: *Nescire se, quid inter Augusti et publicum aerarium intersit?* quocum consentit eiusdem seculi ICtus PAVLVS *L. 13. pr. D. de iur. fisci.* Vid. B. Dn. HEINECCIVS *Ant. Rom. Lib. I. c. 25. §. 10.* et, qui elegantissime hanc rem proposuit, V. C. Dn. IOSEPHVS BONN, ICt. ac Supr. S. R. I. Tribunalis, Camerae Imperial. Protonotarius, mihi amicissimus, in Opusc. *de iure ac officio fisci Caesarei, Procuratoris et Aduocati, §. 2. sq.*

(d) It. PATRONVS AERARII, *L. 8. C. de aduoc. diuers. iudicum*; it. PATRONVS FISCI, *c. L. 8. C. et 5. C. Theod. de his, quae administr.*; PATRONVS FISCALIVM COMMODORVM, *L. 1. C. Theod. de aduoc. fisci*; DEFENSOR FISCI, *L. 3. C. Theod. de delat.*; DEFENSOR DOMVS PRINCIPIS, *L. 5. C. Theod. de actor.* Vid. Dn. BONN. *c. l. §. 4.*

§. DCCLVIII.

§. DCCLVIII.

Publicare, s. confiscare; Bona caduca.

Bona priuatorum in patrimonium principis addicere, PVBLICARE (a), it. CONFISCARE (b) dicitur. BONA fisco applicata ideo, quoniam nemini ius in ea competit, dicuntur CADVCA (c).

(a) *Publicare* idem est, quod publice vendere. Ita MARCIANVS in *L. 5. D. de bon. eorum, qui ante sent.* hoc vocabulo vtitur.

(b) Vid. *L. f. D. de bon. eor. qui ante sent. L. 4. C. de re milit.*

(c) CADVCVM enim vacuum interpretatur CICERO *de Orat. 3.* Vid. *L. 30. D. de V. S.*

§. DCCLVIIII.

Lib. XLVIIII. T. 15. *Captiuus; Postliminium.*

CAPTIVVS dicitur, qui ab hoste detinetur. POSTLIMINII notionem tradidi supra §. CC.

§. DCCLX.

Lib. XLVIIII. T. 16. *Bellum; Miles.*

Status, quo gens gentem ad aliquid faciendum vel omittendum compellit, BELLVM (a); quorum ministerio eadem ad hoc vtitur, ii MILITES (b) dicuntur.

(a) Gentes priuatorum instar sunt. E. laesiones auertere, suum vero vindicare possunt; Idipsum vero nonnisi armata manu fieri potest, inde belli notio. CICERO *de Offic. Lib. I. cap. 11.* BELLVM dicit *omnem concertationem per vim*; huic definitioni GROTIVS *de iure belli ac pacis I. 1. 2. 1.* addit verba: *Qua tales sunt*, ratus, non actum, sed statum belli definiendum fuisse ipsi; sed hac ratione in tumultum degenerare, obseruauit B. Dn. HEINECCIVS *Elem. iur. nat. et gent. Lib. II. §. 181. not.* *. ipseque adoptauit definitionem BYNCKERSHOECKII, quam is proposuit in *quaest. iur. publ. I. 1.* Ita autem ille: BELLVM *est eorum qui suae potestatis sunt, iuris sui persequendi ergo, concertatio per vim et dolum.* W. Non omnis vis, qua gens erga gentem ad aliquid faciendum vel omittendum vtitur, *bellum* est, cum alias

et

et *repressaliae*, quae vocantur, bellum efficerent. Requiritur ergo vis manu militari illata. I. P. DE LVDEWIG *de iuris gentium laesione*. 1741. S.

(b) MILITEM dictum putauerim a voce *mille*, sicuti dux olim dictus Chiliarchus. *L. 1. f D. de milit. testam.* Aliam variam ac ridiculam etymologiam militis vid. apud MENAGIVM *Amoenit. iur. ciuil. c. XXXVIIII. p. m. 305.*

§. DCCLXI.

Actus, quo in numerum militum recipiuntur homines, vibrandis armis apti, DELECTVS MILITARIS dicitur (*). *Delectus militaris.*

(*) Milites ratione receptionis duplicis erant generis, lecti nimirum, aut mercenarii. Ad istos pertinebat delectus. Constat autem, omnes ciues Romanos bello studere oportuisse. Vid. CICERO *pro Muraena c. 14.* Quodsi nunc eorum auxilio indigeret respublica, aliquis e magistratibus maioribus edicto proposito iubebat omnes militaris aetatis viros adesse in campo Martio vel Capitolio. Vid. POLYBIVS *Hist. Lib VI. c. 17.* LIVIVS *Hist. Rom. Lib. XXVI. c. 31.* Postquam conuenerant, magistratus conscendebat tribunal, singulorumque nomina per praeconem recitari iubebat, ad quod quilibet tenebatur respondere: ADSVM: PRAESTO SVM. Vid. LIVIVS *Hist Rom. Lib. II. c. 28. et 30.* it. *Lib. XXXXII. 32.* Delectu ita facto, eorum nomina catalogo inserebantur, vnde phrasis: *Scribere exercitum*, vid. CICERO *Lib. XII. ep. 15. ad famil.* iureiurandoque demum obstringebantur, id quod primum A. V. C. CCCXXXXVIIII. factum refert LIVIVS *Hist. Rom. Lib. XXII. c. 38.* W. Conf. *Elem.* mea *antiqu. iur. Rom.* §. 348. *sqq.* §. 384. *sqq.* S.

§. DCCLXII.

Merces (a), quae militibus pro praestita opera conceditur, STIPENDIVM (b); STIPENDIA vero MERERI (c) dicitur, qui accepta mercede militat. *Stipendium; Stipendia mereri.*

(a) Milites vel lectos fuisse, vel mercenarios, §. praeced. not. (*) dictum est. Initio omnes erant lecti, propria-

propriisque sumtibus militiae onera ferebant, inde nonnisi tales legebantur, qui sumtus ferre possent, vid. LIVIVS *Hist. Rom. Lib. VIII. c.* 20. nec nisi ciues superiorum V. classium, i. e. quorum facultates superabant XII. millia et L. aeris (classes enim secundum facultates erant ordinatae), ad militiam admittebantur. Vid. GELLIVS *Noct. Attic. Lib. XVI. c.* 10. Progressu vero temporis et peregrinorum opera in militia vtebantur Romani, id quod primum A. V. C. DXXXVIIII. in Hispania factum, Celtiberiis mercede conductis, refert LIVIVS *Lib. XXIII. c.* 49. vnde et mercenarii dicti fuere.

(b) STIPENDIVM a stipe dictum, probabile est *L.* 27. *D. de verb. signif.* Stips enim aes denotauit olim. Vid. VARRO *de lingu. Lat. Lib. IIII.* et *L.* 1. *D. de colleg. et corporibus.*

(c) *L.* 18. *D. de re iud.*

§. DCCLXIII.

Lib. XLVIIII. T. 18. *Veteranus.*

Qui iustum tempus (a) militiae inseruiendo impleuit, VETERANVS (b) dicitur.

(a) Iustum tempus dicitur, quod legibus praescriptum est. In hoc vero determinando variant ICti atque Historici. Alii ad militiam XXV. annos requirunt, vt SERVIVS ad VIRGILII *Aeneid. II.* 157. quos AVGVSTVS, respectu ad pedites habito, ad XX., intuitu vero equitum, ad X. reduxit. Vid. TACITVS *Annal. Lib. I. c.* 78. LIVIVS *Lib. XXXVII. c.* 11. Alii vero totidem expeditiones numerant, vt POLYBIVS *de Milit. Rom. c.* 1 §. 1. In praetorianis XII. in vrbanis XVI. anni desiderari. Vid. BVRMANNVS *de Vectigal p.* 172. Impleto hoc annorum numero missi, vocatique EMERITI seu VETERANI, denuo vero in numerum collecti, EVOCATI. Vid. SIGONIVS *de ant. iur. pop. Rom. L. I. c.* 15.

(b) Liberalibus artibus enutriti non solum, sed et iurisprudentiae operam dantes, ad milites comparati, iisdem fere cum iis priuilegiis gauisi sunt, inde et quasi militare dicti, vid. §. *CCCLVI. not. b.* quumque milites, qui iusta stipendia meruerant, mitterentur honeste, et istis priuilegium missionis vel quasi applicatum quodammodo fuit. Artibus namque et praecipue iuri

studiosus

studiosus, postquam in studio suo per quinquennium decurrerat, dignus fuit indicatus, qui mitteretur honeste a magistris scholarum. Ita de his IMPERATOR in *praefat. ad Antecess. §. 6.: Quibus, si bene sese imbuerint, et in quinti anni, quo* PROLYTAE *nuncupantur, metas constitutionem* etc. quod HESYCHIVS interpretatur προλυθίους [illegible] quasi eos, qui a praescripta et praefinita studiorum lege soluti, et tanquam emeritis stipendiis honestam a magistro scholarum emissionem impetrarunt. Atque haec ratio sufficiens fuit, vt etiam de iure Germanico studium quinquennale commendatum, maxime vero in eo, qui in Assessorem Supr. Camerae Imperialis recipi vellet, olim fuerit requisitum. *C. O. C. P. I. Tit. 3. §. 1.* indeque factum, vt, qui quinquennium absoluisset, vocatus sit Academico stylo: Ein alter Pursch, quod tandem studiosa iuuentus, cui quandoque interpretandi ius vi et clam competit, ita interpretata in suum imaginarium commodum, vt eos, qui primum annum superarunt, elogio veteranorum, derer alten Pursche, donarit, opposueritque iis eos, qui in primo stadio adhuc constituti, hisque praedicatum schola adhuc recentium, derer Füchse, attribuerit.

§. DCCLXIIII.

Liberatio ab obligatione, qua miles tenebatur, MISSIO, vel potius DIMISSIO, et quidem, quae conceditur ob impletum iustum militiae tempus, HONESTA (a); quae ob vitium animi vel corporis, CAVSARIA (b); quae ob delictum cum priuatione existimationis (c) contingebat, IGNOMINIOSA (d); Priuatio insignium militarium EXAVCTORATIO (e) vocatur. *Missio; honesta; causaria; ignominiosa; Exauctoratio.*

(a) Qui legitimum stipendiorum numerum meruerat, eum Veteranum §. praec. dixi. Veteranus autem liberabatur ab obligatione, qua tenebatur vt miles, cumque honore dimittebatur, simulque honeste impleuisse tempus ipsi praefixum dicebatur. Vid. *L. 8. D. de excus.*

excus. L. 13. §. 3. *D. de re milit.* L. 2. §. 3. *D. de his, qui not. infam.*

(b) H. e. Quibus morbus caussa missionis impetratae est. Vid. BRISSONIVS *de verbor. signif. h. v.* et LIVIVS *Histor. Roman. Lib. VI. c. 6.* Qui vero se excusare vellent ab onere militiae ob morbum, iureiurando id facerent, necesse erat. Vid. IDEM *Lib. VI. cap. 23.*

(c) Sine ignominiae mentio facta sit, siue nulla, *L. 13. §. 3. D. de re milit.* posterius enim exauctoratio in specie erat. Ob delictum vero missos infamia sequebatur. Ita enim MACER *c. L. 13. §. 3. D. de re militar.*: *Et is,* scribit, *qui ignominia missus est, neque Romae, neque in sacro comitatu agere potest.* Et *L. 1. pr. D. de his, qui not. infam.* Praetor ait: *Infamia notatur, qui ab exercitu ignominiae causa, ab Imperatore, eoue, cui de ea re statuendi potestas fuerit, dimissus erit.*

(d) Exempla prostant apud HIRTIVM *de bello Africano cap. 54.* vbi inter alia Caesar e suggestu ad concionem loquitur: C. AVIENE! (erat Tribunus militum) *quod in Italia milites populi Romani contra rempublicam instigasti, rapinasque per municipia fecisti; quodque mihi reipublicaeque inutilis fuisti, et pro militibus tuam familiam iumentaque in naues imposuisti, tuaque opera militibus tempore necessario respublica caret; ob eas res* IGNOMINIAE CAVSA AB EXERCITV MEO TE REMOVEO, HODIEQVE EX AFRICA ABESSE, ET, QVANTVM POTES, PROFICISCI IVBEO. Hanc ignominiosam missionem describit MACER *L. 13. §. 3. D. de re milit.* his: IGNOMINIOSA CAVSA *est, cum quis propter delictum sacramento soluitur*, et VLPIANVS *L. 1. §. 2. D. de his, qui not. infam.* ita: IGNOMINIOSA autem MISSIO *toties est, quoties is, qui mittit, addit nominatim, ignominiae causa se mittere.* Sed confer ad h. l. *L. cit. 13. §. 3. D. de re milit.*

(e) Vid. *L. 2. §. 2. D. de his, qui not. infam.* verb.: *Si eum* EXAVCTORAVERIT, i. e. INSIGNIA MILITARIA DETRAXERIT. Hoc fiebat, quoties arma deponere iuberentur milites hoc modo: QVIRITES, DISCEDITE, ATQVE ARMA DEPONITE. Vid. SVETONIVS in *vit. Vitell. c. 10.* LAMPRIDIVS in *vit. Alexand. Seuer. c. 52.* Et licet ignominiae mentio non facta,

facta, infamia tamen exauctorationis comes erat. *L. 1. §. . D. de his, qui not. infam.* Quandoque tamen exauctorationis vocabulum pro honesta missione accipitur, *L. 29. D. de liberal. caus.* Vid. LIPSIVS *de milit. Rom. L. V. dial. 19.* AVCTORARI vero miles dicitur, quando sacramentum militare praestat, et ipsum sacramentum AVCTORAMENTVM. Vid. SVETONIVS *August. cap. 24. Tiber. cap. 30.* LIPSIVS *ad* TACITI *Annal. Lib. I. cap. 36* Hinc exauctorari dicitur, qui sacramento soluitur.

§. DCCLXV.

Ciuitates, in societatem munerum et honorum a Romanis receptae, MVNICIPIA; ciues harum ciuitatum, MVNICIPES (a); qui vero domicilium in ciuitate tali constituerant, munerum tamen atque honorum non participes erant, INCOLAE (b) vocabantur. Lib. I. T. I. *Municipia; Municeps; Incola.*

(a) *Municeps* dicitur a vocibus: *Munus* et *capio*; particeps namque erat munerum ac dignitatum in republica Romana. Vid. VOSSIVS *Etymol. voc. munus.* et PAVLVS *L. 18. D. de verb. signif.* municipes dicit, quod munera capiant. FESTVS *de verb. signif. h. v.* scribit: MVNICIPIVM *est genus hominum, qui, cum Romam venissent, participes erant omnium rerum, ad munus fungendum, vna cum Romanis ciuibus, praeterquam de suffragio ferendo.* Sed hi speciatim CAERITES a Caeritis, quibus ius municipii primum indultum, ob receptionem virginum vestalium, excluso tamen suffragii iure, vid. LIVIVS *Hist. Rom. Lib. V. c.* 40. reliqui vero municipes vocati. SIGONIVS *de antiqu. iur. Ital. Lib. II.* Tales v. g. erant Coruncanii, Camerino oriundi, qui per TIBERIVM CORVNCANIVM primum, primique ex plebeiis municipii iure donati. Vid. Diss. mea epist. ad Perill. Dn. IVST. HENNING. BOEHMERVM, Duc. Magdeb. Cancell. *de Tiberio Coruncanio, diuini humanique iuris instauratore atque interprete. Halae Magdeb. MDCCXL. §. 4. et 5.* W. Plura et certiora dabit HADR. STEGERI diss. *ad legem municipalem Romanorum.* Lips. 1738. S.

(b) INCOLA dicitur, qui praedium vrbanum conduxit. *§. CCCXCVIIII.* et *not. a.* Hic vero, qui illud quolibet titulo possidet, domicilium in ciuitate aliqua dum constituit, ad munera vero publica adspirandi spe destituitur. POMPONIVS *L. 239. §. 1. de verb. signif.* scribit: INCOLA *est, qui aliqua regione domicilium suum contulit, quem Graeci πάροικον, iuxta habitantem appellant.* Nostro idiomate dicitur: Ein Beysaß.

§. DCCLXVI.

Lib. L. T. 2. *Decurio.*

Magistratus municipiorum dicti DECVRIONES (*).

(*) Vid. SVETONIVS in *vita Augusti cap.* 101. CASAVBONVS ad SPARTIANVM in *vita Adrian. cap.* 1. Dictos eos ab eo, quod initio, quum coloniae ducerentur, decima pars consilii publici gratia conscribi solita sit, scribit POMPONIVS *L. 239. §. 5. D. de verb. signif.* De his vid. IAC. GODOFREDVS *Opusc. Diss. VII. p. 19. Edit. Conrad.*

§. DCCLXVII.

Lib. L. T. 3. *Album.*

ALBVM hic notat indicem, in quem nomina Decurionum erant relata (*).

(*) *L. 1. D. de alb. scrib.* Alio significatu tabulam, quae edictum Praetoris exhibebat, denotat. Vid. *§. CVIII.*

§. DCCLXVIII.

Lib. L. T. 4. *Munus; publicum; priuatum; patrimoniale; personale.*

Ad quod ob finem reipublicae promouendum obligamur, MVNVS (a); quod, si in salutem illius primario tendit, PVBLICVM (b); si in commodum alterius ciuis, PRIVATVM (c); Munus, cum deminutione patrimonii coniunctum, PATRIMONIALE (d); si sine eo, PERSONALE (e) dicitur.

(a) Finis

(a) Finis reipublicae eſt ſalus ac ſecuritas imperantis et ciuium. Hinc, ſi nobis iniunctum, vt actiones ad eumdem facientes, determinatas in ſpecie, edamus, munere gaudere dicimur.

(b) CALLISTRATVS *L. 14. §. 1. D. de muner. ac honor.* ſcribit: PVBLICVM MVNVS *dicitur, quod in adminiſtranda republica cum ſumtu, ſine titulo dignitatis ſubimus.*

(c) Veluti tutela. *pr. I. de excuſ.* Add. *L. 6. §. 15. D. de excuſ. tut.*

(d) Huc pertinent tributorum ſolutio, *L. 3. §. 11. D. de muner.* hoſpitum receptio, *L. 3. §. 14. eod.* viarum publicarum munitio. *L. 3. C. de muner.*

(e) Hoc corporis ac animae viribus abſoluitur, vt tutela, cura etc. Vid. *L. 18. pr. D. de muner.*

§. DCCLXVIIII.

Iudicium aliorum, de gradu perfectionis noſtrae, HONOR dicitur (*). *Honor.*

(*) Quumque plerumque hominum maxima pars de eo, quem princeps munere ornauit, fiduciamque ſuam in eo collocauit, optime ſoleant iudicare, atque probabile etiam ſit, eum perfectione alios antecellere, honoris notio iis applicata eſt, pro gradu muneris ipſis impoſiti. Abuſus per ſe liquet.

§. DCCLXX.

Remiſſio temporalis obligationis ad ſubeunda munera, VACATIO (a); perpetua, IMMVNITAS (b) dicitur (c). Lib. L. T. 5. et 6. *Vacatio; Immunitas.*

(a) Vid. *L. 4. D. de vacat. et excuſat. muner.*

(b) Immunis enim idem eſt, quod ſine munere, *L. 18. D. de verb. ſignif.* VOX *munis* namque notat officioſum. Vid. PLAVTVS *Mercat. Act. I. Sc. 1. v. 104.:*

Dico eius pro meritis gratum me et MVNEM *fore.*

(c) Excuſationis definitionem habes *§. DXIII.*

§. DCCLXXI.

Lib. L. T. 7. *Legatus.*

Qui ad obtinendum reipublicae finem (a) peregre mittitur, LEGATVS (b) dicitur.

(a) V. g. ad foedus pangendum, paciſcendum de commerciis. Priori ſecuritas, poſterioribus ſalus reipublicae promouetur.

(b) In ſpecie vero Romanis legati dicebantur vicarii Proconſulum ac Praeſidum prouinciae. Vid. CICERO *Orat. pro Muraena cap. 9.* Hi vero ex ſenatu legebantur, IDEM *Orat. pro Sextio cap. 14.* atque abſentibus Proconſulibus, aut Praeſidibus, mandatam exercebant iurisdictionem. Vid. LIVIVS *Hiſtor. Roman. Lib. VIII. c. 34.*

§. DCCLXXII.

Lib. L. T. 8.

ADMINISTRATIONIS definitio ſuppeditata eſt §. CLXXXIII.

§. DCCLXXIII.

Lib. L. T. 11. *Nundinae.*

Confluxus hominum, ad commercia celebranda ſtatis temporibus, NVNDINAE (*) dicuntur.

(*) Quaſi Nouemdinae. Celebrata autem naſcente republica Romana nono quolibet die. Hoc ruſtici, qui reliquis diebus agros coluerant, ad vrbem Romam confluebant frequentes, viſuri, quid noui gereretur, ſimulque mercatus gratia; vnde etiam reliqui dies ruſtici vocati. Vid. VARRO *de re ruſtic. praefat.* et DIONYS. HALICARNASS. *Ant. Rom. Lib. VII. c. 7.*

§. DCCLXXIIII.

Lib. L. T. 12. *Pollicitatio.*

POLLICITATIO (a) dicitur ſpontaneum promiſſum, maxime reipublicae gratia factum (b); Spontaneum promiſſum vero Deo factum VOTVM vocatur.

(a) VL-

(a) VLPIANVS *L. 3. D. de pollicit.*: *Pactum*, inquit, *est duorum consensus atque conuentio*, POLLICITATIO *vero offerentis solius promissum.*

(b) Vid. *L. vn. C. de ratiocin. oper. publ.*

§. DCCLXXV.

Qui sua opera efficit, vt plures in idem placitum consentiant, PROXENETA (a); quicquid iidem in remunerationem adhibitae operae accipiunt, PROXENETICVM (b) vocatur. Lib. L. T. 14. *Proxeneta; Proxeneticum.*

(a) *L. 3. in f. D. de proxenet.* Προξενήτης interpretem significat, vnde et proxeneta in *L. 3. cit. D.* interpres dicitur. Sunt autem varii generis, qui commerciis, et qui nuptiis contrahendis student. Illi vernacula Mackler, hi vero Kuppler salutantur.

(b) V. g. Caius deperit Seiam, eamque vxorem ducere percupit: Adit proinde Syram, eamdemque rogat, vt fauorem Seiae sibi conciliet, simulque promittit, se, si eo rem deduxerit illa, vt nuptias cum Seia contrahere liceat, Syrae daturum C. vna cum veste festiuali. Honorarium hoc, si ita dicere fas est, proxeneticum, vernacula: Der Kuppel-Pelz audit.

§. DCCLXXVI.

Quantitas (a), quae a subditis imperanti pro tutela soluitur, CENSVS (b), vel TRIBVTVM (c); quodsi pro singulo indiuiduo soluatur, CAPITATIO (d) dicitur. Lib. L. T. 15. *Census; Tributum; Capitatio.*

(a) Si quantitas illa in frumento consistit, dicitur Gatter-Zinsen, qualis in vicinia Norimbergae praestari solet. Vid. BESOLD. *Thes. pract. Contin.* DIETHERR. *p. 759.*

(b) SERVIVS TVLLIVS, Romanorum rex, censum primus instituit, conuocatis ciuibus, iuramento prae-

 stito

ſcito confitentibus, quantum quilibet in bonis haberet, horumque ratione habita iis impoſuit cenſum. Vid. DIONYSIVS HALICARNASS. *Lib. IIII. cap.* 2. Quoniam vero tantum ſoluere tenerentur, quantum vires patrimonii permitterent, quantique cenſerentur, cenſus appellatio inde petita eſt.

(c) TRIBVTVM dictus fuit cenſus, quod per tribus fuerit exactus. Vid. *L.* 27. *D. de verbor. ſignif.*

(d) Vernacula dicitur Kopf-Steuer. In hoc praeſtando enim non patrimonii, ſed indiuiduorum ratio habetur.

F I N I S.

REPER-

REPERTORIVM
DEFINITIONVM
AD ORDINEM
INSTITVTIONVM.

Ad Lib. I. Tit. I. de Iust. ac Iure conferas:

§. I. II. III. IIII. V. XIIII. XV. XVI. XVII. XVIII. XVIIII. XX. XXI.

Ad Tit. II. de Iur. nat. Gent. ac ciuil.

§. VI. VII. VIII. VIIII. X. XI. XII. XIII. XXII. XXIII. XXIIII. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXVIIII. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIIII. XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XXXVIIII. XL. XLI. XLII. XLIIII.

Ad Tit. III. de Iure personarum.

§. XLV. XLVI. XLVII. XLVIII. XLVIIII. L. LI. LII.

Ad Tit. IIII. de Ingenuis.

§. LVI.

Ad Tit. V. de Libertinis.

§. DCXI. DCXII. DCXIII. DCXIIII.

Ad Tit. VIII. de his, qui sui vel etc.

§. LIIII. LV. LVII. LVIII. LVIIII. LX. LXI. LXII. LXIII. CXI.

Ad Tit. VIIII. de patria Poteſtate.

§. LXIIII. LXV. LXVI. LXVII. LXVIII. LXVIIII.

Ad Tit. X. de Nuptiis.

§. CCCCLX. CCCCLXI. CCCCLXII. CCCCLXIII. CCCCLXIIII. CCCCLXV. CCCCLXVI. CCCCLXVII. CCCCLXVIII. CCCCLXVIIII. CCCCLXX. CCCCLXXI. CCCCLXXII. CCCCLXXIII. CCCCLXXIIII. LXX. CCCCLXXV. CCCCLXXVI. CCCCLXXVII. CCCCLXXVIII. CCCCLXXVIIII. CCCCLXXX.

Ad Tit. XI. de Adoptionibus.

§. LXXI. LXXII. et LXXIII.

Ad Tit. XII. quibus modis ius patr. poteſt. etc.

§. LXXIIII. et LXXV.

Ad. Tit. XIII. de Tutelis.

§. DI. DII. DV. DVI.

Ad Tit. XIIII. qui teſtam. tut. dar. poſſ.

§. DIII.

Ad Tit. XV. de Legitim. agnat. tutel.

§. DIII.

Ad Tit. XVI. de Capitis deminut.

§. CXCVIIII.

Ad Tit. XVII. de legitim. patronor. Tutel.

§. DXCII.

Ad Tit. XVIIII. de fiduc. Tutel.

§. DIIII.

Ad Tit. XX. de Atiliano Tutore.

§. DIII. DIIII. DVII. DVIIII. DXVII. DXVIII.

Ad

Ad Tit. VII. de Donationibus.

§. DCVI. DCVII. DCVIII. DCVIIII. DCX.

Ad Tit. VIII. quib. alien. licet vel non.

§. CCCCLXXXVIIII.

Ad Tit. X. de Testament. ordinand.

§. DXXIIII. DXXV. DXXVI. DXXVII. DXXVIII. DXXVIIII.

Ad Tit. XI. de Militari testam.

§. DXXX.

Ad Tit. XIII. de Exheredat.

§. DXXXII. DXXXIII. DXXXIIII.

Ad Tit. XIIII. de Hered. instit.

§. DXXXI. DXLI. DXLII. DXLV. DXLVI. DXLVII. DXLVIII. DXLVIIII. DL. DLI. DLIIII. DLV. DLVI.

Ad Tit. XV. de vulg. Substit.

§. DXLIII.

Ad Tit. XVI. de pupill. Subst.

§. DXLIII. DXLIIII.

Ad Tit. XVII. quib. mod. testam. infirm.

§. DXXXVI. DXXXVII. DXXXVIII. DXXXVIIII. DXL.

Ad Tit. XVIII. de inofficioso Testam.

§. DXXXV.

Ad Tit. XXXVIIII. de Heredum qualit. et diff.

§. DLII. DLIII.

Ad Tit. XX. de Legatis.

§. DLXI. DLXII. DLXV. DLXVI. DLXVII. DLXVIII. DLXVIIII. DLXX. DLXXI. DLXXII. DLXXIII. DLXXIIII. DLXXVII. DLXXVIII. DLXXVIIII. DLXXX. DLXXXI. DLXXXIIII. DLXXXV.

Ad

Ad

Ad Tit. XXX. quib. mod. toll. obligatio.

§. DCCXXI. DCCXXII. DCCXXIII. DCCXXIIII. DCCXXV. DCCXXVI. DCCXXVII. DCCXXVIII. DCCXXVIIII. DCCXXX.

Ad Libr. IIII. Tit. III. de L. Aquil.

§. CCLXXII. CCLXXIII. CCLXXIIII. CCLXXVII.

Ad Tit. V. de Oblig. quae quasi ex delicto nascuntur.

§. DCCLIIII. CCLXXVIII. CCLXXVIIII.

Ad Tit. VI. de Actionibus.

§. DCC. DCCI. DCCII. DCCIII. DCCIIII. DCCV. DCCVI. DCCVII. DCCVIII. DCCVIIII. singulas vero actiones reperies in Indice actionum.

Ad Tit. VII. quod cum eo, qui in al. etc.

§. CCCXLI. CCCXLVIIII. CCCL. CCCLI. CCCLII. CCCLIII. CCCLIIII. CCCLVIII. CCCLVIIII.

Ad Tit. VIII. de noxal. Act.

§. CCLXXX. CCLXXXII.

Ad Tit. VIIII. si quadrupes pauper. fec. etc.

§. CCLXXV. CCLXXVI. CCLXXXI.

Ad Tit. X. de iis, per quos possumus agere.

§. CLXX. CLXXI. CLXXII. CLXXIII. CLXXIIII. CLXXV. CLXXVI. CLXXVII. CLXXVIII. CLXXVIIII. CLXXX. CLXXXI. CLXXXII.

Ad Tit. XI. de Satisdationibus.

§. CXVIIII. CXX.

Ad Tit. XII. de perpet. et temp. Act.

§. DCLXXXVII.

Ad

Ad Tit. XIII. de Exceptionibus.

§. DCLXXXIII. DCLXXXIIII. DCLXXXV. DCLXXXVI. DCLXXXVII. DCLXXXVIII. DCLXXXVIIII.

Ad Tit. XIIII. de Replicationibus.

§. DCXC.

Ad Tit. XV. de Interdictis.

§. DCLVIIII. DCLXX. DCLXXI.

Ad Tit. XVI. de Poena temere litig.

§. CCCXVIII.

Ad Tit. XVII. de Offic. Iudicis.

§. CCXXXV.

INDEX

INDEX
DEFINITIONVM.

A.

Agnoscere

B.

Libellum

Obligatio

Teſta-

Index Definitionvm.

CORRIGENDA.

Pag. 30. Not. (c) lin. 7. pro *Tertull.* lege *Tertyll.*

- 273. Not. (a) lin. 1. pro Caivs lege Gaivs